IOANNIS ANTONIJ VALTRINI, SOCIETATIS IESU, DE RE...

Giannantonio Valtrini,
Ruggero Bonghi

Digitized by Google

VII. 16

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
1
7 -A
17

IOANNIS

ANTONII VALTRINI,

ROMANI,

SOCIETATIS IESV,

DE RE MILITARI

Veterum Romanorum

LIBRI SEPTEM.

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, sumptibus
Hermanni Mylij.
ANNO M.DC.XVII.
Cum gratia & Priuilegio S.Caes.Maiest.

PRÆFATIO IN LIBROS DE MILITIA ROMANORUM.

VAE à singulis populis ducibusque pace aut bello fortiter ac præclarè gesta sunt, multi omni ætate viri ingenio doctrinaque præstantes literis tradidere. Qua industria non id modo sunt consecuti, vt excellentium virorum factis describendis, in eiusdē ipsi gloriæ societatem venirent: verū etiam eadem opera, non parum humanæ vitę videntur consuluisse. Nam fugitiuam rerum memoriā quodam modo retrahentes, effecere, vt quæ natura caduca sunt, scriptorum nobilitate habeantur æterna: vnde mortales, rerum præteritarum euentis inter se cōferendis, salutaria sumant exempla, quibus & præsentia recte moderentur, & prouideāt futura sapienter. Ex omnibus autem populis, quorū res gestæ literis proditæ sūt, nulla videtur

gens vnquam fuisse, quæ pacis belliq́ue studia aut vehemẽtius, quam Romani, coluerit, aut prudentius comparārit: nulla item, quæ virtutibus, vitijsque alternantibus, maiores habuerit fortunæ vicissitudines. Ex quo etiam fit, vt neque plura, neque illustriora quisquam aliunde haurire possit, aut cultę aut neglectę documenta virtutis, quàm ex Romani Imperij siue spoliata siue florente fortuna. Illud porrò vel in maxima parte fœlicitatis populi Rom. ponendum puto, quod paria suo imperio habuit ingenia scriptorum, qui orationis amplitudine, magnitudinem rerum gestarum exæquare potuerunt. Neque solum dum stetit Imperium, cum videlicet gratia & ambitio homines ad scribendum hortari posse videbantur, sed eo exciso, tamen non defuere, qui quasi ex ruderibus rediuiuam eius formam ac speciem suis scriptis restituere conarentur. Itaque vrbs illa pulcherrima (quam qui Deorum templum nominauit, is veram speciem Romanæ vrbis cepisse visus est) licet fortunæ ludibrio

dibrio proſtrata, reſurgit tamen doctorum virorum ingenijs; ac diutius manebit ſcriptorum monumentis, quam natura ſtare potuiſſet. Iam in eorum libris ſpeciem Rom. Reipubl. reuiuiſcentis cernimus, ciuium ordines, iura, magiſtratus, leges, comitia, moreſque fere omnes tum publicos, tum priuatos: vt iam nos Roman. Remp. extinctã vel omnino non ſentiamus, vel certè minore cum deſiderio doleamus. Vna Romanorum militia, neſcio quonam fato, iacuit hactenus in tenebris, nec vllum habuit, vt cetera, lumen literarum. Nam quotquot de ea ſcribere ſunt aggreſſi, qui particulam eius duntaxat aliquam attigerunt: plerique etiam veterem Reip. militiam cum ea quæ temporibus Imperatorum eſt inuecta, male confuderunt.

Hanc ego Romanam militiam ab alijs vel prætermiſſam, vel relictam potiſſimum delegi, quam hoc commentario explicarem, non patriæ amore, aut gloriæ cupiditate adductus (quid enim longius abeſt à religioſi

viri moribus?) sed officio impulsus ac studio iuuandi plurimos, ne nobilissima ac maxime necessaria antiquitatis Roman. pars ignoraretur: neque vt militandi præcepta darem, sed vt rationem exponerem, quam in suscipiendo gerendoque bello veteres Romani, florente Republ. tenuissent. Vtinam hanc qualemcumque operam ac studium sacræ potius, quam profanæ antiquitati illustrandæ tribuere mihi liceret: id verò multo magis ex animi mei sententia esset, forte etiam ad religiosum statum conuenientius, sed nimirum quicumque in hac Societate Iesu, animis corporibusque deuotis, Deo eiusque Ecclesiæ militamus, nihil refugere debemus, aut à nostro munere alienum iudicare, quod gloriæ diuinæ ac proximorum vtilitati possit inseruire. Quare cum Societas nostra, admirabili consilio id in se receperit; vt scholis publice institutis, adolescentes ad humanitatem erudiat, quod tenera illa ætas, vna cum litteris facilius ad pietatem conformari posse videatur: omnino ei præ-

ei præstanda sunt omnia, quæ ab humanitatis professoribus postulantur, aut huius professionis nomen relinquendum. Porrò sic iam omnium mentibus infirmatum est atque anticipatum, studia humanitatis tota in antiquitate posita esse, vt nemo ea ritè profiteri possit, quin Philologiam vniuersam, omniaque veteris Romanæ reipubl. instituta moresque scientia comprehenderit. Rectè ne id, an secus, alij viderint, certè nobis iam integrum non est, aut opinionem tam vetustam tamque penitus insitam exstirpare, aut contra eam velle disserere: quin potius neruis omnibus contendendum est, vt ne hospites in antiquitate videamur, neve laus hæc in nostris gymnasijs iure desiderari possit. Ex omnibus autem partibus antiquitatis Romanæ, quarum quidem tractatio ad humanitatem pertinere potest, nullius fructus mihi latius patere videtur, quam Romanæ militiæ. Etenim ex antiquitatis Romanæ cognitione aut vtilitas quæritur, aut voluptas. Vtilitas verò illa, opinor, vel

ſola vel maxima eſt, vt Romani ſcriptores dum leguntur, recte intelligantur (legere enim, neque intelligere etiam vulgari reprehenditur prouerbio:) hoc autem ſine aliqua antiquitatis Romanæ notitia fieri non poſſe videtur. Accedit alterum commodum, neque id ſanè paruum, quod, ignoratis Romanis auctoribus, latinam linguam quæ tantopere expetitur, quæque ex ijs ſolis hauritur, ignorari quoque neceſſe eſt. Quis porro neſcit, Romanorum auctorum plurimam optimamq; partem bella ſcribere, quæ Romani vel ciuilia inter ſe, vel externa cum Regibus populiſque geſſere? vt ſine rei militaris notitia, in magna & rerum, & auctorum, atque adeo latinæ linguæ ignoratione verſari neceſſe ſit. Iam vero quid dicam de voluptate? quæ tanta eſt, vt ne maior quidem ex omni reliqua antiquitate ſperari poſſit? Etenim ſi res Romanæ iccirco delectant, quod omnes ſic habēt perſuaſum, nullam rempubl. ſapientioribus legibus temperatam, neque vllius populi res geſtas præſtan-

ſtantiores eſſe poſſe: quãtam tandem voluptatem afferet militiæ tractatio, quã populus Rom. præ omnibus rebus maxime coluit, quæ Rom. vrbi æternam gloriam peperit, quæ orbem terrarum parere imperio Rom. coegit, quæ demum vna cum ipſa vrbe nata, altaq; eſt, & cum eadem ſimul exſtincta. Quid ad animi delectationem iucundius, quam procul ab omni diſcrimine, domi ſedentem, pugnaciſſimi populi bellicos noſſe apparatus; delectibus intereſſe, milites ordinibus ſignisque diſtinctos cernere vel inſtructa acie concurrere, vel compoſito agmine incedere, vel metari caſtra, vel vrbes oppugnare, militaria ſiue virtutis præmia, ſiue ignauiæ ſupplicia cognoſcere, armorum ac machinarum nomina vſumque diſcere, belli indicendi leges, finiti fœdera, magiſtratuum iura tenere, denique Duces ipſos victores inter populi militumque plauſus in vrbem triumphantes ſequi? Quæ cũ ita ſint, quis tandem virum religioſum, Humanitatis profeſſorem iure reprehendat, qui officio, & ſuſceptæ

vitæ instituto, publicisque aliorum rationibus adductus, Romanam militiam, id est, nobilissimam atq; vtilissimam antiquitatis Romanæ partē explicare aggrediatur? vt etiam si hac in re me deserat perficiendi facultas, ipsa tamen laudanda videatur conandi volūtas. Existet forte aliquis aliquando nostro excitatus exemplo, qui rudia hæc, leuiterque adumbrata, meliore præditus facultate absoluat, atque perficiat. Interea nostrum hunc qualemcunque laborem Deo Opt. Max. cui nostra omnis desudat industria, non ingratum fore confido: vt opus ipsius causſa susceptum, ex ipsius item sanctissima voluntate absoluatur.

DE

DE RE MILITARI VETERVM ROMANORVM LIBRI PRIMI, QVI EST DE Bellorum Indictione,

CAPITA XI.

1. De præstantia militiæ Romanæ.
2. De honore, quem Romani rei militari tribuebant.
3. De Seueritate disciplinæ militaris Romanorum.
4. De labore & exercitatione militū Romanorum.
5. De religione Romanorum in suscipiendis, gerendisq; bellis.
6. De Auspicijs militaribus.
7. De Diebus præliaribus.
8. De Iustitia Romanor. in suscipiendis, gerendisq; bellis.
9. De Rebus repetendis.
10. De ijs quæ fierent ante belli indictionem.
11. De Indictione bellorum.

Libri secundi, qui est de Militum delectu.

CAP. VII.

1. De Imperatore deligendo.
2. De Militiæ generibus.
3. De Militum delectu.
4. De Aetate Militari.
5. De Vocationibus militaribus.
6. De ijs, qui à militia reijcerentur.
7. De Sacramento militari.

Libri

Libri tertij, qui est de Militum ordinibus.

CAP. XV.

1. De Legione, eiusq; magnitudine.
2. De Peditum legionariorum ordinibus.
3. De Peditibus leuis armaturæ.
4. De Equitibus.
5. De Auxilijs Sociorum.
6. De Supplementis.
7. De cohorte Prætoria.
8. De alijs generibus hominum, qui castra sequebantur.
9. De Signis militaribus.
10. De Magistratibus legionis, siue exercitus totius.
11. De alijs Magistratibus peditum, equitum, & auxiliorum.
12. De armatura peditum, equitumq;.
13. De vestibus militaribus.
14. De tubis, cornibus, buccinis, alijsq; signis militaribus.
15. De Stipendio militum.

Libri quarti, qui est de Itineribus militaribus.

CAP. VII.

1. De Die locoq; militib. ad conueniendum indicto.
2. De Profectione Imperatoris ex vrbe.
3. De Lustratione exercitus.
4. De Itineribus militaribus.
5. De Castrorum metatione.
6. De Castrorum disciplina.
7. De Motione Castrorum.

Libri

Libri quinti, qui est de Prælio.

CAP. VI.

1. De Præparatione ad prælium.
2. De Acie instruenda.
3. De Prælio.
4. De Militum deuotione.
5. De Oppugnatione vrbium.
6. De Machinis ac tormentis bellicis.

Libri sexti, qui est de ijs quæ fierent post prælium.

CAP. XII.

1. De Humatione Cæsorum, prædæq; collectione.
2. De Prædæ diuisione.
3. De Donatiuo.
4. De donis militaribus.
5. De Missione honesta.
6. De Exauctoratione.
7. De Priuilegijs veteranorum.
8. De Pœnis militaribus.
9. De Animaduersione in hostes.
10. De Pace ac Fœderum generibus.
11. De ritu Fœderum cæremonijsq; in fœderibus faciendis.
12. De Hostium deditione.

Libri septimi, qui est de ijs, quæ Ducibus victoribus honoris caussa decernerentur.

CAP. XXI.

1. De Imperatoris nomine.

2. De Supplicatione.
3. De Aduentu Imperatorum ad vrbem, & Triumphi postulatione.
4. De Triumphi nomine & inuentore.
5. De causis, cur triumphus concederetur, vel negaretur.
6. De ordine, ad quem spectabat triumphum decernere.
7. De Imperio triumphantium.
8. De Pompa triumphi.
9. De Imperatoris curru & ornatu.
10. De reliqua pompa triumphi.
11. De Conuiuio triumphantium.
12. De Triumpho nauali.
13. De Priuilegijs triumphantium.
14. De Ouatione, quibus de causis concederetur.
15. De Ouationis pompa, quid à triumpho differret.
16. De Triumpho in monte Albano.
17. De Triumpho intermisso, & ornamentis triumphalibus institutis.
18. De relatis ad aerarium rationibus.
19. De Aerario.
20. De Trophæis.
21. De Spolijs opimis.

FINIS.

DE RE MILITARI ROMANORVM LIBER PRIMVS.

Qui est de bellorum indictione.

De Præstantia militiæ Romanæ Caput Primum.

TSI omnia instituta Reipubl. Rom. summam apud omnes laudem atque admirationem habent: tum verò nihil aut præstantius aut admirabilius videtur militari disciplina. Nam cæteros ritus, leges, magistratus, mores, pleraque ex his sero admodum Romani accepere: virtus autem bellica & cum ipsa vrbe nata altaque est, & cum eadem simul extincta. Neque enim Romanorum, vt multorum populorum, vno aut altero Imperatore innixa stetit, vt gloria militaris & vixisse cum eorum ætate pariter, & sepulta esse videretur: Sed iam inde ab initijs ipsius vrbis, quemadmodum Liuius ait, tradita per manus in artis perpetuis præceptis ordinatæ modum venerat, neque vlla ciuitas, vel gens aut bellis magis exercita, aut ducum feracior fuit. A Numæ enim Pompilij morte, qui secundus post Romulum ipsius vrbis parentem regnauit,

Lib. 9.

Lib. 1.

uit, vt superiora tempora prætereamus, ad Augusti imperium annis amplius sexcentis, nullum annum Romani, à bellis quietum habuere, præter vnum T. Manlio Cos. Recenseamne duces Romanos omnes omnium ætatum, quorum auspicijs illa bella sunt gesta? id verò infinitum est, cum plures propemodum bello clari Imperatores, vel ex vna Romana familia nnmerare liceat, quam quos multis sæculis reliquæ simul omnes prouinciæ tulerunt. Atque suorum ducum, vt nunquam virtutis, ita fortunæ non sæpe populum Roman. pœnituit. Nam, vt tradunt ij, qui hæc subtilius subduxerunt, annorum quingentorum spatio, quot à pulsis Regibus ad Augusti mortem numerantur, quingenties quinquagies populus Roman. prœliatus est, quadringenties quadragies victor discessit, & quamuis prœlijs aliquot victi Romani sint, bello tamen omni, vt ciuilia sileantur, superiores fuere, & quo sint mirabiliores Romani duces, quam alij, denos vicinosque dies quidam dictaturam, nemo plusquam annum consulatum gessit: ab Tribunis plebis delectus impediti sunt: post tempus ad bella ierunt, ante tempus, comitiorum causa, reuocati sunt: in ipso conatu rerum circumegit se annus: collegæ nunc temeritas, nunc prauitas impedimento aut damno fuit: malè gestis rebus alterius successum est: tironem, aut mala disciplina institutum militem acceperunt. Quæ omnia quemadmodum maxima ad victoriam impedimenta sunt, ita qui virtute effecerunt, vt ea ne victoriæ ob-

Francisc. Patricius de milit. Rom.

Liui. li. 9.

riæ obstarent, ij nimirum non hostium magis quam fortunæ victores videri debent. Quid? quod semper multis partibus numero inferiores Romani cum hostibus conflixere? duas enim legiones cũ suis auxilijs, qui exercitus erat consularis, ad quoduis bellum sufficere existimabãt: maximusque exercitus ille fuit, cum duo consules suas copias cõiunxissent: tantum vel armorum vsus, vel animi virtus, vel militaris disciplina potuere. Iam quæ tanta animi magnitudo, quæ tanta grauitas & constantia in vllis fuit, vt sit cum populo Rom. comparanda? qui quemadmodum nullis vnquam periculis cladibusq; cogi potuere, vt pacem priores peterent, ita oblatam ab ijs, quos vicissent, nunquã reiecerũt, neq; supplices vllos spreuerũt. Hannibal Pœnus, tota ferè Italia victa, protritis Romanorum exercitibus per innumerabiles cædes infestus ad vrbem venerat. Romani tantũ abest, vt aliquid indignum maiorum suorum virtute fecerint, vt ne exercitum quidem à Capuæ obsidione censuerint auocandum: quin etiam quo tempore Hannibal ad mœnia vrbis Romæ armatus sedebat, eo ipso tempore milites porta alia sub vexillis in supplementum Hispaniæ mittebantur, adeo supererant animi ad pericula non solum sustinenda, sed etiam contemnenda. Parua quidem est res illa, sed quæ cùm magnitudinem animi æquè demõstrat, tum ipsum certe Hannibalem non mediocriter turbauit: quod per eos dies forte ager is, in quo ipse castra haberet, perscriptus

Poly li. 3. Viget. li. 2. cap. 4.

sit, emptorque inuentus, nihil ob id pretiò diminuto. Cum hac animi celsitudine agendi sollertia certauit, siue in inueniendis per se ijs, quæ opus essent, siue in imitandis atque efficiendis, quæ de coniurat. Catilin. Polybius libr. 1. & 6. quoque traderentur. Neque enim Romanis, vt Sallustius scribit, superbia vnquam obstitit, quo minus aliena instituta, si modo proba fuissent, imitarentur, & quod vbique apud socios vel hostes idoneum visum esset, cum studio domi exsequerentur. Atque vt leges magistratuumque insignia à Græcis & Hetruscis accepta reticeam, arma atque tela peditum à *a* Samnitibus sumpsere, *b* equitum armaturam à Græcis, *c* castrorum metationem à Pyrrho, *d* nauium fabricandarum rationem à Carthaginiensibus, Athenæus libr. 6. cap. vlt. Romanos à Græcis tormenta & machinas vrbium expugnandarum, à Tyrrhenis aciei instruendæ rationem, à Samnitibus scutum, ab Iberis gæsa sumpsisse dicit, aliaque ab alijs accepta ipsi longe fecere meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.

a Sallust. de coiu. Catilin. *b* Polyb. lib. 6. *c* Frontin. li 4. ca. 1. *d* Polyb. lib. 1.

De honore, qui tribuebatur rei militari.

CAP. II.

NEque verò Romani solum militum ignauiam & contumaciam pœnis coercuere, sed industriam etiam virtutemque præmijs cõmodisq; excitarunt. Honos enim, vt inquit ille, alit artes, iacentque ea semper, quę apud quos-

quôuſque improbantur. Itaque ne militiæ honor, militum vnquam ſordibus obſoleſceret, decreuerunt Romani, vt neque ſerui, neque libertini, neque capite cenſi, quique turpem aliquam artem exercerent, aut crimine aliquo infames eſſent, iudicioue publico damnati, in militiam allegerentur: cõtrà noſtris temporibus ferè fit, vt egentiſſimus quiſque, omnibuſque vitijs contaminatiſſimus militiæ nomen dare ſolet. Qui enim fieri poteſt, vt homines ſeruituti nati, ſuæque famæ prodigi, pro aliena libertate, aut gloria dimicent? egentiſſimi verò etiã facilimè lucri ſpe ad quoduis ſcelus inducuntur. Hæc igitur hominum genera, quorũ pectoris anguſtiæ, gloriæ pulchritudinem recipere non poſſe videbantur, à ſuis caſtris Romani reiecerunt. Vt autem in cæteris virtutem honeſtarent, eiuſque cupiditatem alerent; nemini ad vrbanum magiſtratum aditum patere voluere, qui decem annorum ſtipendia non confeciſſet, vt Plutarchus & Polybius tradidere. Itaq; cum virtus militaris honorum prærogatiua eſſet, iuuentus ſimul ac belli patiens erat, in caſtris per laborem vſu militiam addiſcebat: gloriæque magnum certamen præmiorum ſpes accendebat. Sic ſe quiſque hoſtem ferire, murum aſcendere, conſpici, dum tale facinus faceret, properabat; quod illud vnum ad diuitias, honores, gloriam, nobilitatemque iter expeditum & compendiarium eſſe arbitrarentur, iſq; in vrbe honeſtiſſimus potentiſſimuſque

Pol. lib. 6. Plutar. in c. Gracch.

esset, qui plurima & fortissima in bello facinora edidisset. Eadem fuit in castris ratio, vbi ad ordines honoresq; militares non diuitiæ aut nobilitas, vel gratia, sed sola virtus gradum fecit. Iam verò ne milites, cum meliorē ætatem in bellis attriuissent, senectute demū viribus exhaustis, membrisque plerumque debilitatis, egere cogerentur: ijs captos de hostibus agros liberaliter distribuêre, vt esset, vnde in senectute se suosque liberos sustentarent. Aliaque plurima emeritæ militiæ hominibus decreuerunt: de quibus vna de Missione disputabimus. Itaque cum virtuti summa præmia, ignauiæ pœnæ grauissimæ propositæ essent, quid mirum, si Romani milites, maluerint in acie hostium telis mortem oppetere, cum mortuos etiā ingens gloria sequeretur, quam fuga vitæ suæ cōsulere, vt eam deinde cum ignominia suppl.cioque inter suos amitterent?

De seueritate disciplinæ militaris.

CAP. III.

Hisce rebus omnibus optimus custos militaris disciplinæ seueritas addita est. ita enim cogitabant viri omnū sapientissimi, cū vires armis consistent, ea vbi à recto itinere desciuerint, oppressura esse, nisi opprimantur. Neque apud vllas nationes grauioribus pœnis supplicijsq; militares leges, signorum amor, ducum obedientia sancita sunt. Quoties enim integras legiones, quod signa amisissent,

fissent, aut loco pulsæ hostibus cessissent, legimus decimatas? Bello Tarentino quassatis & attritis Reip. viribus, cum magnum captiuorum numerũ à Pyrrho rege vltro missum recepissent, quoniam crudele videbatur in eos sæuire, quibus hostis pepercisset; eos tamẽ omni ignominiæ genere notarunt. Bello aũt Punico, alijs super alias cladibus cumulatis, cum Hannibal sex millium, quos Cannensi prœlio ceperat, redimendorum potentiam faceret, conditionem spreuere, memores, tantam multitudinem armatorum iuuenum, si honestè mori voluissent, turpiter capi non potuisse. Parem iram aduersus illos distrinxerunt, qui ex Cannensi prœlio fugerunt. nam ijs, quod commilitones suos pugnantes deseruissent, censuere Rempubl. committendam non esse; eosque in Siciliam relegatos, neque munere vacare, neque dono militari virtutis ergo donari, neq; in Italiam, quamdiu hostis intra Italiam esset, reportari voluêre. Bello verò Ligustico, quod Q. Petiliũ Cons. fortissime aduersus hostes pugnantem occidere milites passi essent, legioni senatus neque stipendium anni procedere, neque verò dari voluit, quia pro salute Imperatoris, hostium telis se non obtulerunt, P. etiã Cornelio Nasica D. Iunio Coss. qui exercitũ deseruerant, damnati, virgis cæsi publice venierunt. Finis nullus sit, si ea omnia commemorentur, quæ Romani ad militarem disciplinam sanciendam seuere fecerunt: cuius rei, qui volet, plura exempla apud Valerium

Vale. l. 2. Front li. 4. c. 1.

Liu. l 22. Valer.

Liu. l. 25. Valer.

Valer. Frontin.

Frontin.

& Frontinum poteſt reperire, & infra, cum de pœnis militaribus differetur, nonnulla afferentur. Neque enim fuga ſolum, proditiones, tranſfugia, cæteraque cum ignauia turpitudineue coniuncta pœnis Romani coërcuerunt, ſed etiam fortia facinora, quod ſine ducis imperio eſſent patrata, ſummo interdum ſupplicio vindicarunt. Quo in genere A. Poſtumius Tubertus Dict. & Tit. Manlius Torquatus Coſſ. par nobile Romanorum Imperatorum maximè celebrantur, qui ſuos filios, quod aduerſum ſua edicta extra ordinem in hoſtem pugnaſſent, victores ſecuri percuſſerunt; ſatius eſſe iudicantes patrem forti filio, quam patriam militari diſciplina carere. His igitur, vt ita dicam, piaculis, ſi quid aduerſum militiæ leges peccatum eſſet, procurabatur, militum nota, ignauorum ſanguine, ſtrage filiorum, militariſque diſciplina acriter retenta principatum orbis terræ Romanor. imperio peperit, eaque vna quamdiu viguit, res Romana ſtetit.

Liu. li. 4. & 8. Valer. l. 6. c. 2.

De labore & exercitatione militum Romanorum.

CAP. IIII.

BEllicam virtutem pœnis ſancitam, præmijſque excitatam, ne deinceps otio relangueſceret, Romani labore & exercitatione militari aluerunt: militeſque in pace, vmbratili certamine ad belli labores, veraque pericula durauere. Hinc Seneca epiſtola

XVIII.

XVIII. Miles in media pace decurrit sine vllo hoste, vallum iacit, & superuacuo labore lassatur, vt sufficere necessario possit. Itaque militares copiæ non ab armis robore, prœlijsue, sed ab vna exercitatione nomẽ inuenerunt, vt exercitus dicerentur, vt Varro & Cicero tradidere. Simul enim adolescentes laboris patientes erant, id est, simulatque virilem togã sumpsissent, quę anno 17. sumebatur in Campum Martium à parentibus deducebantur, ibique à magistris, ad omnem belli disciplinam exercebantur. Tantique exercitationem veteres fecerũt, vt in ea vna posita omnia esse arbitrarẽtur. Hinc illa Ciceronis. Quid exercitatio legionum? quid ille cursus, concursus, clamor quanti laboris est? ex hoc ille animus in prœlijs paratus ad vulnera, adduc pari animo inexercitatum militẽ, mulier videbitur. cur? tantum interest inter nouum & veterem exercitum, quantum experti sumus, ætas tironum plerumque melior, sed ferre laborem, contemnere vulnus, consuetudo docet. Iosephus autẽ l. 3. de bello Iudaico: Romanorũ exercitationes prælia sine sanguine, ipsa prælia cũ sanguine; exercitationes appellari posse dicit: adeo nihil in bello accidere posse voluerũt, ad quod sese multo ante per exercitationem nõ præparassent. Quo in genere lepide illud quondã in Polybij historia legimus Romanis accidisse. Cùm enim Romani cum Carthaginiensibus mari pugnare decreuissent; neque tamen aut classis ædificandæ, aut remigandi rationem nossent,

Var. l. 4. de L. L. Cic. li. 2. Tusc.

li. 2. Tusc.

lib. 1. 37.

sent; accidit, vt quinqueremis vna vi tempestatis à cætera hostium classe disiecta, ad littus frangeretur. Hanc nacti Romani, eius exemplo suas naues fabricarunt. Interea dum quinqueremes ædificabantur, Romani sese ad remigium exercebant. Subsellijs enim in arena ordine collocatis remiges insidentes, ad numerum simul omnes brachia protendere, & adducere, remosque per arenam mouere pariter docebantur; cum ad nauarchi vocem omnes simul inciperent, & desinerent. Itaque hac exercitatione Romani confirmati, Carthaginienses aggressi, eos maris primum, deinde etiam terræ imperio exuêre.

Sed, vt ad militares exercitationes reuertar, earum plura genera fuêre: nam cursu, & saltu exercebantur: inferre, & declinare ictus, hastilia, lapidesque manu vel funda iacere; in equum insilire docebantur à magistris, quos propterea duplici annona à veteribus honoratos scribit Vegetius. Vnde illa Senecæ epistola XXCXI. An liberale studiũ istud esse iuuentuti nostræ credimus, quam maiores nostri rectam exercuerunt; hastilia iacere, eadem torquere, equum agitare, arma tractare? De Pompeio quoque scribit apud Vegetium Sallustius, eum cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certasse.

li. 1. c. 13.

li. 1. c. 9.

Qua verò exercitatione inferendi aut declinandi ictus artem tirones addiscerent, ita explicat Vegetius lib. 1. cap. 11. Scuta, inquit, de vi-

de vimine in modum cratium corrotundata texebant, ita vt duplum pondus cratis haberet, quam scutum publicum habere consueuit: ijdemque clauas ligneas duplicis æque ponderis pro gladijs tironibus dabant. A singulis autem tironibus singuli pali defigebantur in terram, ita vt nutare non possent, & sex pedibus eminerent, contrà illum palum, tãquam contra aduersarium, tiro cum crate illa & claua, velut cum gladio se exercebat, & scuto. Qua in meditatione illa quoque cautela seruabatur, vt non cæsim, sed punctim ferirent; & ita ad inferendum vulnus insurgerent, ne qua ex parte ipsi paterent ad plagam. Hanc exercitationem, cum ad palos milites exercebantur, Palariam dictam scribit Charisius Grammat. Duplicis aũt ponderis cratis illa & claua iccirco dabantur, vt, cum vera & leuiora arma tiro sumpsisset, velut grauiore pondere liberatus, securior alacriorque pugnaret. Eandem etiã ob causam hastilia ponderis grauioris, quam vera futura essent iacula, tironibus tradebantur, quæ aduersus illum palum, tãquam aduersus hostem iactarent. Pileis quoq; pannonicis ex pellibus vtebantur, ne grauis deinde galea videretur. *Veget. c. 12.* *Veg. c. 14* *Veg. l. ca. 20.*

Funditores vero, vt idem Vegetius ait, scopas, hoc est, fruticum, vel straminum fasces, pro signo ponebant, ita vt DC. pedibus remouerentur à signo, vt sagittis vel lapidibus destinatis sæpius, signum tangerent. *l. 2. c. 1. 23.*

Equitandi verò artem addiscebant, equis *l. 1. c. 18.*

ligneis, hieme quidem sub tecto, æstate vero in campo, positis super quos, Vegetio teste, iuniores primo inermes, dum consuetudine proficerent; deinde armati cogebantur ascendere. Qua in re maxima cura adhibebatur, vt non solum à dextris, sed etiam à sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent, euaginatos etiam gladios vel hastas tenentes. Vitio autem fuisse datum adolescenti Romano, qui nesciret equitare, significat Horatius cum stomacho quodam scribens: l. 3. c. 24.

Nescit equo rudis hærere ingenuus puer.

Vbi verò satis sese exercuisse visi essent, in Tiberim sese deijciebant, vt eadem opera & natandi artem addiscerent, & sudorem laboremque æstu collectum deponerent, quam etiam ob caussam scribit Vegetius huiusmodi exercitationibus campum Martium Tiberi vicinum fuisse electum. l. 1. c. 10.

In huiusmodi exercitationibus illud adolescentum pudori & honestati tributum est, vt primo anno, quo togam virilem sumpsissent, ne corpus nudarēt, sed tunicati exercerentur: cum cæteri campestribus duntaxat succincti essent. Cicero in Cæliana, Nobis quidem, inquit, olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus: & vt exercitatione ludoque campestri tunicati veteremur Isidorus lib. XIX. cap. XXII. Campestria nuncupantur pro eo, quod eisdem iuuenes, qui nudi exercentur in campo, pudēda operiunt.

Vt autem nō solum corpus ad labores durarent

rarent: sed etiam animum ad cædes, vulneraque assuefacerent, ludos gladiatorios instituerunt, vt cum pugnas, & vulnera, & ferrũ, & nudas inter se cohortes certantes vidisset, dimicantes postea in bello armatos hostes non timerent, neque vulnera & sanguinem perhorrescerent; quemadmodum in Maximi & Balbini vita scribit Capitolinus.

Neque verò in pace solum adolescentes, antequam in milites allegerentur, ad militiæ munera laboresque erudiebantur; sed multo magis ijdem, vbi in militiam essent adscripti, exerciti sunt. Nam de Pompeio Plutarchus, & Appianus scribunt, eum tironibus exercendis non interfuisse solum, sed etiam præfuisse, confluentibus ad id spectaculum ex omni parte plurimis. Vegetius etiam tradit, tirones bis in die, mane, & post meridiẽ: veteranos autem sine intermissione semel in die in armis exerceri solitos. At quibus exercitationibus? militaribus itineribus, silua cædenda, ferendis oneribus, ceteris q; . Interdũ etiam terrestres, maritimæq; copiæ instructæ inter se decurrebant, simulachrumque pedestris, nauali sue pugnę edebant: vt in simulata illa pugna milites ordines seruare, signa agnoscere assuescerent. Liuius libro decimo. Titus Manlius Cos. vix dum ingressus hostium fines, cum exerceretur inter equites, ab rapido cursu circumagendo equo effusus, extemplo prope exspirauit, & libr. XXIII. T. Sempronius Cos. quia otiosa statiua erãt, crebro decurrere milites cogebat, vt tirones (ea ma-

Plutar. in Pompeio Appianus l. 2.

(ea maxima pars volonum erat) assuescerent signa sequi, & in acie ordines agnoscere suos Et lib XXVI. in extremo, Scipio paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercendis nauálibus, pedestribusque copijs absumpsit, primo die legiones in armis quatuor millium spatio decurrerunt, secundo die arma curare, & tergere ante tentoria iussit, tertio die sudibus inter se in modum iustæ pugnæ concurrerunt, præpilatisque missilibus iaculati sunt, quarto die quies data, quinto iterum in armis decursum est, hunc ordinem laboris quietisque quoad Carthagine morati sunt, seruauerunt. Remigium classici milites tranquillo in altum euecti, agilitatem nauium simulachris nauális pugnæ experiebãtur. Hæc Liuius. Augustus quoque, vt auctor
l. 1. c. 27. est Vegetius, cauit, vt ter in mense tam equites, quam pedites educerentur ambulatum: hoc enim verbo, hoc exercendi genus nominabãt. Decem millia passuum armati instructique omnibus telis pedites, militari gradu ire ac redire iubebantur in castra, ita vt aliquam itineris partem cursu alacriore conficerent. Equites quoque diuisi per turmas, armatiq; similiter tantum itineris peragebant, ita vt ad equestrem meditationem, interdum sequerentur, interdum cederent, & recursu quodam impetus reparárent. Non solum autem in campis, sed etiam in cliuosis, & arduis locis & ascendere, & descendere vtraque acies cogebatur; vt nulla res, vel casus prorsus pugnantibus posset accidere, quam non

ante

ante boni milites assidua exercitatione didicissent.

Tanti autem exercitationem fecere Romani, vt, præterquã quod eius magistros ac præfectos multis præmijs honestarunt, vt supra demonstratum est; milites etiam, qui parum profecerãt, hordeum, Vegetio teste, pro frumento cogerentur accipere: nec ante eis in tritico redderetur annona, quam sub præsentia præfecti, tribunorum, vel principum, *l. 1. c. 13.* experimentis datis, oĩtẽ dissent se omnia quæ erãt in militari arte, complesse. Multos quoque exercitus, licentia, aut luxuria corruptos, vna exercitatione ad generosissimã militiæ disciplinam Imperatores reuocarunt. Nam de Africano minore ita legitur epitoma LVII. Scipio Africanus corruptum licẽtia luxuriaque exercitum, ad generosissimam militiæ disciplinam reuocauit, omnia enim deliciarum instrumenta recidit: duo millia scortorum à castris reiecit: militem omni die in opere habuit: & triginta dierum frumẽtum ac septenos vallos ferre cogebat. De Metello autem ita scribit Sallustius in Iugurthina, Metellus edicto primum adiumenta ignauiæ sustulit, ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet: ne lixæ exercitum sequerentur: ne miles gregarius in castris, nẽue in agmine seruum, aut iumentum haberet: præterea transuersis itineribus quotidie castra mouere: iuxta ac si hostes adessent, vallo, atque fossa munire: vigilias crebras ponere, & eas ipse cum legatis cir-

tis circuire: item in agmine in primis modo, modo in postremis adesse, ne quisquam ordine egrederetur, vt cum signis frequentes incederent, miles cibum, & arma portaret, ita prohibendo à delictis magis, quam vindicãdo, exercitum breui confirmauit.

Iam verò in cæteris rebus quanta militum patiẽtia fuit, cum, vt ait Seneca, omnem apparatum castrensis disciplina submoueret? Lecti enim è stramine fuere, vnde segestria appellata Varro vult. Mensæ in castris duæ erãt, eodem Varrone teste, altera escaria quadrata, quam Cibilam nominabant, altera vinaria rotunda, quam Cillibantum vocabant: vtraque parce sobrieque exstructa. Spartianus in Hadriano, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter vtens, hoc est lardo, caseo, & posca. Frontinus libr. 4. c. 1. Stratag. Q. Metellus prohibuit alia carne, quam assa, elixaue milites vti. Spartianus de Poscennio antiquę virtutis ac disciplinæ duce. Hic fuit, inquit, tantæ seueritatis, vt cũ milites quosdam in caueo argenteo expeditionis tempore, bibere vidisset, iusserit omnino argentum summoueri de vsu expeditionali, addito eo, vt ligneis vasis vterentur. Idẽ iussit vinum in expeditione, neminẽ bibere, sed aceto vniuersos esse contentos. Idem pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato iubẽs milites, & omnes contentos esse.

Lib. 4. de L. L.

Romani etiam milites ijdem fabri tignarij nauicularij, frumentatoresq; erant: neq; minus aptè gladios & hastas quam secures, dolabra

labra, falcesque tractare consueuerunt. Testes sunt huius rei milites Cęsariani; qui, vt ipse ait Cæsar, materiam cædebant, vnde pōtes, naues, machinasq; vrbibus oppugnandis ædificarent; frumentumque ipsi sibi ex agris metebant, & in castra deportabant. Hinc illa Marcellini Romanos milites degenerasse deplorantis. lib. 22. & Marcell. li. 22. Accessere flagitia disciplinæ castrensis, cum miles cantilenas meditaretur pro iubilo molliores, & non saxum erat, vt ante hac armato cubile, sed pluma & flexiles lectuli, & graviora gladijs pocula: testa enim bibere iam pudebat. & libr. 25. de Iuliano Imp. Per varios procinctus stans interdum more militiæ, cibum breuem vilemque sumere videbatur.

De Religione Romanorum in suscipiendis, gerendisq; bellis.

CAP. V.

POpulus Romanus non solū bellandi scientia, armorumque disciplina, & exercitatione, sed religione, Deorumque cultu ceteris nationibus præstitit vniuersis, qui licet à veri Dei cognitione longissimè abesset, tamen quoscumque Deos superstitio induxerat, eos omni veneratione cultuque prosecutus est. Neq; alia re vlla freti magis, quam Deorum ope bella sunt aggressi. Hinc Tullus Rex apud Liuium, Albanorum legatis respōdit, Regem Romanū Deos facere testes, vter prius populus res repetētes legatos aspernatus *Libr. 1.*

tus dimiserit; vt in eũ omnes experãt huiusce
l. 3. initio. clades belli. Et apud eundem Fabius Cos. legatos hæc in concilium gentis Aequorũ nunciare iussit; Q. Fabium Cos. dicere, se ex Aequis pacem Romam tulisse; ab Roma Aequis bellum afferre, quorum id perfidia, ac periurio fiat, Deos nunc testes esse, mox fore vltores. Si pœniteat, tutum receptum ad expertã clementiam fore: si in periurio gaudeant, nõ dijs magis iratis, quã hostibus gesturos bellum, T. autem Manlius quærenti Geminio Tusculanorum duci qui à Romanis defecerat, vbi Consules, & duo exercitus consulares essent, ita Liuio eodem teste, respondit;
Lib. 8. Aderunt, inquit, in tempore, & cũ illis aderit Iuppiter ipse fœderum à vobis violatorum testis, qui plus potest, polletque. Itaque nullum bellum Romani suscepere, nisi ante explorata Deorum volũtate ijsq; placatis, si sibi iratos esse existimassent, quæ iccirco à
Lib. 38. Romanis facta apud Liuiũ Cn. Mãlius ait, ne vllius calumniæ subijcerentur ea, quæ Dij
Lib. 31. comprobauissent. Hinc bello Macedonico eũ Philippo Rege instante, Senatus, vt Liuius scribit, decreuit, vti Cõsules maioribus hostijs rem diuinam facerent quibus Dijs ipsis videretur, cum precatione ea: Quam rem S. P. Q. R. de Repub. deque ineundo nouo bello in animo haberet; ea res vti populo Romano socijsque ac nomini Latino bene ac feliciter eueniret, secundum rem diuinam, precationemque, vt de Repub. deque Prouincijs Senatum consulerent. Cum pronuntiassent Consules

fules rem diuinam ritè perfectam esse, & precationi annuisse Deos, haruspices respondere lætaque exta fuisse, & prolationem finium, victoriamque & triumphum portendi: tum literę Valerij Aurelijque lectę, & legati Atheniensium auditi.

Etiam supplicatio indicebatur, ludique & dona vouebantur, quæ omnia facta bello Macedonico narrat Liuius libro XXXI. Supplicatio inde à consulibus in triduum ex S. C. indicta est, obsecratique, circa omnia puluinaria, Dij, quod bellum cum Philippo populus iussisset, id bene ac feliciter eueniret. Et paulo post, cum delectum Consules haberent, pararentque quæ ad bellum opus essent, ciuitas religiosa in principijs maxime nouorum bellorum, supplicationibus habitis iam, & obsecratione, circa omnia puluinaria, facta, ne quid prætermitteretur, quod aliquando factum esset, ludos Ioui donumque vouere consulem iussit. Vouit in eadem verba consul, præeunte Maximo Pontifice, quibus antea quinquennalia vota suscipi solita erant, præterquam quod tanta pecunia, quantam tum, cum solueretur, senatus censuisset, ludos, donaque facturum vouit. Eadem bello Antiocheno religiosissime obseruata idem Liuius scribit libro XXXVI. initio. Patres priusquam de Prouincijs agerent, res diuinas facere maioribus hostijs iusserunt in omnibus fanis, in quibus lectisternium maiore parte anni fieri solet: precarique quod senatus de nouo bello in animo haberet,

beret, vt ea res S. P. Q. R. bene atque feliciter euenirent, ea omnia sacrificia læta fuere, primisque hostijs perlitatum est, & ita haruspices responderunt, eo bello terminos populi Romani propagari, victoriam, ac triumphum ostendi. Et mox S. C. factum est, quod populus Romanus eo tempore duellum iussisset cum Rege Antiocho esse, quique sub imperio eius essent, vt eius rei causa supplicationem imperarent Consules: vtique M. Acilius Cos. ludos magnos Ioui voueret, & dona ad omnia puluinaria. Id votum in hæc verba, præeunte P. Licinio Pontifice maximo, Consul nuncupauit: Si duellum, quod cum Antiocho Rege sumi populus iussit, id ex sententia S. P. Q. R. confectum erit, tum tibi Iuppiter populus Romanus ludos magnos, dies X. continuos, facier, donaque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam senatus decreuerit, quisquis magistratus eos ludos quando vbique faxit, hi ludi recte facti, donaque data recte sunto. Eadem in bello contra Persam obseruata scribit Liuius Prodigia quoque si qua nunciata essent, procurabantur, haruspicibus consultis, aut libris Sibyllinis inspectis. Liuius lib. XXII. Priusquam signa ab vrbe nouæ legiones mouerent decemuiri libros adire atque inspicere iussi. & lib. XXXVI. Placatis Dijs, nunc votis ritè soluendis, nunc prodigijs expiandis in prouinciam Cons. proficiscitur. Neque alterius fere rei plura exempla in historia Liuiana legentibus occurrunt.

Lib. 42.

De au-

De auſpicijs militaribus, & litatione.

CAP. VI.



DEorum autem voluntatem & alijs rebus, & auſpicijs maxime Romani exquiſierunt. Auſpicia autem appellata ſunt, ſigna quædam, ex quibus Deorum ſe voluntatem mentemque interpretari poſſe putabant, quæ cum in alijs rebus omnibus publicis priuatisque, tum vero in militia religioſiſſimè ſunt obſeruata. vnde illud Ciceronis lib. II. de Diuinatione, Bellicam rem adminiſtrare maiores noſtri, niſi auſpicato, noluerunt, & lib. II. de leg. Nihil domi, nihil militiæ per magiſtratus geſtum ſine eorum auctoritate poſſe cuiquam probari. *Cic. lib. 1. de Diuin. Liu. l. 6.*

Auſpicia, id eſt, poteſtatem inueſtigandi per illa ſigna Deorum voluntatem, initio Patricij habuere, quod ex oratione Appij Claudij patricij aduerſos plebeios, apud Liuium cognoſcitur. Penes quos, inquit, ſunt auſpicia more maiorum? nempe penes Patres, nam plebeius quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur, nobis adeo propria ſunt auſpicia, vt non ſolum, quos populus creat patricios magiſtratus, non aliter, quam auſpicato creet: ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato Interregem prodamus, & priuatim auſpicia habeamus, quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent. Quid igitur aliud, quam tollit ex ciuitate *Liu. l. 8.*

auſpicia, qui plebeios conſules creando, à Patribus, qui ſoli ea habere poſſunt, aufert? Hæc apud Liuium Appius. Itaque quamdiu in Patriciorum ordine conſulatus ceteriq́ue magiſtratus manſere, ij ſoli auſpicia habuere: poſtea vna cum honoribus ad plebem auſpicia quoque tranſiere. Hinc P. Decius plebeius in oratione aduerſus patricios, vt refert Liuius lib. X. ſemper, inquit, iſta audita ſunt, eadem penes vos auſpicia eſſe; vos ſolos iuſtum imperium, & auſpicium domi militiæq́ue æque adhuc proſperum, plebeium ac patricium fuit, porroq́ue erit. Et lib. VII. idem Liuius, in exſpectatione, inquit, ciuitas erat, quod L. Genucius primus de plebe Conſul, bellum ſuis auſpicijs geſturus eſſet, forte ita tulit caſus, vt Genucius ad hoſtes magno conatu profectus, in inſidias præcipitaretur, quod vbi eſt Romanis nunciatum, nequaquam tantum publica calamitate mœſti patres, quantum feroces infelici Cos. plebeij ductu, fremunt omnibus locis, irent, crearent Conſules ex plebe, transferrent auſpicia, quo nefas eſſet, &c.

Porrò cum multa eſſent genera auſpiciorum, duo tamen in caſtris ſunt adhibita Tripudium, & ex acuminibus: credo quod hæc genera, magis in promptu eſſent volentibus. Quanquam interdum Imperatores de cælo etiam ſeruaſſe legimus. Liuius lib. IV. Parumper ſilentium & quies fuit: nec Hetruſcis, niſi cogerentur, pugnam inituris; & Dictatore arcem Romanam reſpectante, vt ab auguribus,

ribus, simul aues rite admississent, ex composito tolleretur signum.

Tripudio autem, vt eo reuertar, ita augurium captabatur. Singulis magistratibus, qui imperium habebant, augur & pullarius præsto erat, qui pullos in cauea inclusos asseruabat: vbi vero Dei voluntatem Imperator volebat exquirere, auguri, vt scribit Cicero, dicebat. Te volo mihi in auspicio esse, volo, respondebat: tum ille. Dicito si silentium esse videatur. Silentium esse videri augur aiebat, tum ille, Dicito, si pascuntur aues. Pascuntur respondebat, statim enim pullarius pullos (Melicos & Chalcidicos in hoc genere maximè probatos scribit Pliniu) è cauea emittebat, eisque offam obijciebat, futurumque euentum rei ex eorum pastu conijciebat, nam si tardius cauea pulli exirent, aut offam obiectam non attingerent, infaustum habebatur, remque aggressuros inuitis Dijs: sin autem auide arriperent, ita vt aliquid caderet ex ore pulli, cum pascebatur, prosperum euentum, Deosque propitios sibi fore existimabant; atque Imperatori auspicanti Tripudium solistimum à pullario nunciabatur. Quod augurij genus iccirco Tripudium solistimum appellatum est, auctore Cicerone, quia cum offa pullis obiecta, aliquid ex ore in solidum cadere necesse esset, & terram pauere, terripauium primo, post terripudium dictum est, ex eo tripudium, & quod in solidum caderet, solistimum nominatum. Silentium autem in augurio quid fuerit, explicat in eodem loco

Lib. 2. de Diu.

Lib. 10. c. 21.

Lib. 1. de Diu. & lib. 2.

M. Cicero: Silentium dicimus in auſpicijs, quod omni vitio caret. Et Feſtus, finiſtrum in auſpicando ſignificare ait Atteius Capito lætum & proſperum auſpicium: at ſilentium, vbi duntaxat vacat vitio; igitur ſilentio ſurgere cum dicitur, ſignificat non interpellari, quo minus rem gerat. Idem alibi, vt quidem eius lacunas viri doctiſſimi expleuerunt, ſilentio ſurgere, Verrius ait dici, vbi qui poſt mediam noctem, auſpicandi cauſa, ex lectulo ſub ſilentio ſurrexit, & liberatus à lecto in ſolido ſedet, ſiletque, ne quid eo tempore deijciat, rurſuſque ſe in lectum repoſuit: hoc enim eſt proprie ſilentium, omnis vitij in auſpicijs vacuitas. Veranius ait, non vtique ex lecto, ſed ex cubili, nec rurſus ſe in lectum reponere neceſſe eſſe. Et alibi ex eorundem coniecturis, ſolida ſella, ait Verrius, ſedere tum quis iubetur, cum mane ſurgens auſpicandi cauſa, euigilauit; quod antiqui expreſſe, & ab interiora parte excauatas non faciebant ſedes, quas ſolidas ideo, quod in his nihil erat concauum appellabant.

Quanta autem fuerit huius auſpicij auctoritas Plinius oſtendit libro X. c. X X I. de Gallis diſputans. ſecundus eſt honos habitus Melicis, & Chalcidicis, vt plane dignæ aliti tantum honoris præbeat Romana purpura. Horum ſunt tripudia ſoliſtima. Hi magiſtratus noſtros quotidie regunt, domosque ipſis ſuas claudunt, aut referant. hi faſces Romanos impellunt, aut retinent; iubent acies, aut prohibent:

hibent: victoriarum omnium toto orbe partarum auſpices. Liuius lib. VI. Eludant nunc religiones, quid enim eſt, ſi pulli non paſcentur, ſi ex cauea tardius exierint? parua ſunt hæc, ſed parua iſta non contemnendo maiores noſtri, maximam hanc rem fecerunt, & lib. X. Tertia vigilia noctis Papirius ſilentio ſurgit, & pullarium in auſpicium mittit, cum pulli non paſcerentur, pullarius auſpicium mentiri auſus, tripudium ſoliſtimum Conſuli nunciauit. Conſul lætus, auſpicium egregium eſſe, & Deis auctoribus rem geſturos pronunciat, ſignumque pugnæ proponit. Valerius de auſpicijs. P. Claudius bello Punico primo, cum prœlium nauale committere vellet, auſpiciaque more maiorum petijſſet, & pullarius non exire pullos cauea nunciaſſet; abijci eos in mare iuſſit, dicens, quia eſſe nolunt, bibant. *Lib. 1. c. 4.* *Cic. 2. de Natura deorum.*

Auſpicium ex acuminibus, militare fuiſſe docet Cicero lib. II. de Diuinatione, Ex acuminibus, inquit, quod totum auſpicium militare eſt, iam M. Marcellus ille quinquies Cos. totum omiſit. Et lib. II. de Natura deorum, Negligentia nobilitatis, auguriorum diſciplina omiſſa, veritas auſpiciorum ſpreta eſt, ſpecies tantum retenta. Itaque maximæ Reipubl. partes, in his bella, quibus Reipubl. ſalus continetur, nullis auſpicijs adminiſtrantur, nulla perennia ſeruantur, nulla ex acuminibus, nulli viri vocantur, ex quo teſtamenta in procinctu perierunt. Meminit huius auſpicij, etiam Arnobius lib. vndecimo.

Martium discrimen obeuntes, spem prœlij sumitis, & ex acuminibus auspicatis? Id auspicium quale fuerit, obscurum est, nonnulli existimant vetères ex acumine spiculorum, pilorum, ensiumque spem prœlij & euentum solitos auspicari, verbi causa, si splenderet, si retusum non esset, si non sordidum, si non hebes, si horrorem quendam præ se ferret. Cælius Calcagninus lib. 1. epistol. quæst. vlt. putat esse, cum super hastas stellæ apparerent, pila ardere viderentur, de quibus Senec. in nat. quæst. Plinius, Aliqui, quod tamen Cælio non placet, ad Geomantiam referunt, quę acuminibus ita exercetur, vt punctorum paritas, imparitas, obliquitas, quadratio, decussatio spectetur, &c.

Turnebus lib 23. c. XII.

Neque solum auspicato, sed etiam litato rem aggrediebantur, erat autem litare, pacem à Dijs hostijs immolandis impetrare. id autem fiebat, cum hostia cæsa, haruspices exta diligenter inspicientes ex quibusdam haruspicinæ præceptis propitios Deos interpretabantur. Liuius lib. V. Tribuni militum nec auspicato, nec litato instruunt aciem, & lib. VI. Dictator, castris eo die positis, postremo cum auspicato prodisset, hostiaque cæsa pacem Deum adorasset. Et lib. VII. Diu non prolitatum tenuerat dictatorem, ne ante meridiem signum dare posset. & lib. IX. Agentibus diuina humanaque quæ assolent, cum acie dimicandum est, consulibus, Tarentini legati occursare responsum expectantes, quibus Papirius ait, Auspicia secunda esse, Tarentini, pul-

pullarius nunciat, litatum præterea est egregiè: auctoribus Dijs, vt videtis. Ad rem agendam proficiscimur. Plutarchus etiam Paullum AEmilium, prœlij die vsque ad vigesimam hostiam non litasse narrat: in vicesima autem prima demum victoriæ signa apparuisse. Hinc etiam Cicero, Romanos nihil in bello sine extis egisse narrat. *Lib. 1. de Diuin.*

Illud verò in hac re scire operæ pretium est, haruspices in extis consulendis, partem eorum inimicis, partem amicis assignasse, atque ex vtriusque partis colore habituque futura coniecisse. Cic. lib. II. de Diuinatione cum haruspicinam irrideret; Quomodo, inquit, est collata inter ipsos, quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset, quod fissum periculum, quod commodum aliquod ostenderet? Et paulò post, haruspices fissum familiare, & vitale tractant. Liuius lib. IIX. Romani Cos. priusquam educerent in aciem, immolauerunt. Decio caput iecinoris à familiari parte cæsum haruspex dicitur ostendisse: alioqui acceptam Dijs hostiam esse: Manlium egregiè litasse. Et Lucanus lib. I. Pharsal.

Cernit tabe iecur madidum, venasque minaces
Hostili de parte videt.

Hæc auspicia non modo cum prœlium ineundem erat, sed etiam cum amnes transeundi, adhibebantur. Vnde illa Ciceronis de suis temporibus, quibus mos maiorum, & religio iam obsoleuerat. Bellicam rem administrari maiores nostri, nisi auspicato noluerunt. *Lib. 2. de Diuin.*

quam multi anni sunt, cum bella à Prætoribus, & Proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. Hæc autem auspicia, quæ in traiectu amnium fiebant, perennia videntur appellata. Cicero lib. II. de Diuinatione, Bella nullis auspicijs administrantur; nulla perennia seruantur; nulla ex acuminibus. Festus, Perenne dicitur auspicari, qui amnem, aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit. ex sacro autem illam aquam oriri arbitror, quæ ex capite fontis oritur: capita enim fontium omnium, vt notum est, antiquitas consecrauit. quasi ea, quæ castellis, aut manu deducerentur, sacra non essent. Idem Festus, Petronia amnis est in Tiberim profluens, quam magistratus auspicato transeunt, cum in campo quid agere volunt. quod genus auspicij perenne vocatur. Ad hoc auspicium pertinet illud, quod Festus alibi scribit, Manalis, inquit, fons appellabatur ab auguribus, puteus perennis: neque tamen spiciendus videtur; quia flumen id spiciatur, quod sua sponte in amnem influat. Plutarchus etiam Luculum Euphrati scribit θυσιάσαι sacrificasse.

De diebus prœliaribus.

CAP. VII.

TAnta autem fuit Romanorum in bellis gerendis siue religio, siue superstitio, vt non modo nihil nisi placatis Dijs aggrederentur; sed

sed etiam in re gerenda, atque in itineribus faciendis dies certos cauerent, quod eos Deorum aliqua ira infaustos esse existimarent. Herodia. lib. I I I. de Seuero Imp. Iter faciebat sine intermissione, neque festos dies, neque labores vllos magnopere curans. Dies autem illi, quibus prœlium gerere licebat, Prœliares dicti sunt. Festus, Prœliares dies appellantur, quibus fas est hostem bello lacessere, erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit id facere. Et Macrobius, Prœliares dies omnes, quibus fas est res repetere, vel hostem lacessere. Quibus autem diebus bellum gerere non licebat, eos religiosos nominarunt. Festus, Religiosi dies, quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere, quales sunt sex & triginta Atri qui appellantur, & Allienses, & ij, quibus mundus patet. Frontinus lib. I V. c. vltimo, P. Scipio in Lydia exhortatus est fratrem, vt postero, quamuis religioso die committeret prœlium. In diebus autem religiosis Macrobius Latinas ferias numerat saturnalia, & cum mundus patet; item ferias, diesque qui essent notati rebus aduersis, quique postridie kalendarum, Nonarum, Iduumque sequerentur.

Lib. 1 Sat. cap. 16.

Feriæ Latinæ dicuntur, quæ à Romanis, Latinisque communiter in monte Albano Ioui Latiali celebrabantur, à Tarquinio superbo Romanorum Rege institutę, qui ijs ferijs diem vnum dicauit: exactis regibus, alter additus est; post fœdus cum Latinis à Sp. Cassio Cos. ictum, tertius: anno demum V. C C C C. X V I.

Com-

Composita de plebeio consulatu seditione, quartus, vt Liuius, Dionysius, & Plutarchus scribunt. Hæc feriæ conceptiuæ fuere, Macrobio teste, & quotannis à Consulibus antequam ad bellum proficiscerentur, indicebantur. Liuius lib. XLII. Consules ob ea irati senatui, Latinis ferijs in primam quamque diem indictis, in prouinciam abituros se denunciarunt. Et lib. XLIV. Latinas vbi magistratum Cos. inissent, quod per religiones posset, primo quoque tempore fieri placere. Ferijs autem Latinis iccirco nefas erat bellum sumere, quia, vt ait Macrobius, decere non videbatur eo tempore bellum inchoari, quo publice quondam inducię inter Romanum populum, Latinosque firmatæ essent.

Saturnalia feriæ fuere siue ab Iano, siue à Pelasgis, siue ab Herculis comitibus Saturno dicatæ. Hæc vno tantum die initio celebrabantur, id est XIV. kalend. Ianuar. post in triduum propagata, primum duobus adiectis à Cæsare Decembri diebus, deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. Itaque à XVI kalend. cœpta, in XIV. desinebant, quo solo fieri ante consueuerunt. His igitur ferijs neque bellum sumere, neque pœnas exigere fas putabatur, quod, vt ait Macrobius, sine vllo tumultu bellico Saturnus crederetur imperasse.

Lib. 1 Sat. cap. 7. 10. 16.

Nec patente quidem mundo, vt Festus scribit, in Rep. quidquam geri voluere. itaque per eos dies non cum hoste manum conferebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebant-

bebantur, non aliud quidquam in Republ. nisi quod vltima necessitas admonebat, administrabatur. Quid autem vereres mundi nomine, quem patere aiebant, intellexerint, non facile dixerim: existimo tamen de mundo Cereris intelligendum esse. Mundus autem in sacris Cereris videtur appellatus, arcanus quidam ornatus, qui huius mundi superioris similitudinem exprimeret. Hic mundus cum reliquo anni tempore clausus esset, ter in anno ostendebatur: quo tempore nihil eorum, quæ dixi, agi licuit, cum enim sacrum illud Diti patri & Proserpinæ esset, melius occlusa Plutonis fauce, vt Macrobius ait, eundum ad prœlium putauerunt. Hinc Varro apud eundem Macrobium, Mundus, inquit, cum patet, Deorum tristium, atque inferûm quasi ianua patet: propterea non modo prœlium committi, verum etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberûm quærendorum causa ducere, religiosum est. Quibus autem diebus mundus pateret, haud procliue dictu est. Festus enim, ex quo vno hoc peti posset, non sibi constat: in schedis enim F. Vrsini patuisse dicit III. kalend. Septemb. IV. Non. Octob. & III. Idus Nouemb. Idem verò Festus alibi, & in epitoma Pauli, postridie Volcanalia, & ante diem tertium Non. Octobr. & ante diem sextum Idus Nouemb. patuisse ait: vt in alterutro loco mendum inesse necesse sit. Nam Volcanalia in kalendario Romano X. kalend. Septembr. reponuntur.

Iam

Iam verò non alium esse mundum nisi Cereris, Festus ostendit in Schedis, Mundus, inquit, etiam mulieris appellari potest, atque etiam æde Cereris, qui mundus appellatur, qui ter in anno solet patere III. kalend. Sept. & IV. Non. Octobr. & III. Id. Nouembr. qui id omne dictus est, quod terra mouetur. Et alibi, Mundus, vt ait Capito Ateius, in lib. VII. Pontificali, ter in anno patere solet, diebus his, postridie Volcanalia, ante diem tertium Non. Octobr. & ante diem VI. Id. Nouembr. qui quid ita dicatur, sic refert Cato in commentarijs iuris ciuilis, Mundo nomen impositum ab eo mundo, qui supra nos est: forma enim eius est, vt ex his, qui intrauere cognoscere potui, adsimilis illi, eius inferiorem partem, veluti consecratam Dijs manibus, clausam omni tempore, nisi his diebus, qui supra scripti sunt, maiores censuerunt, quos dies etiam religiosos iudicauerunt ea de causa, quod quo tempore ea, quæ occultæ & abditæ religionis deorum manium essent, veluti in lucem quandam adducerentur, & patefierent, nihil eo tempore in repub. geri voluerunt. Hæc Festus. Apuleius verò apologia priore. Quoniam, vt res est, maius periculum decernis speculum philosopho, quam profano mundum Cereris videre.

Ferias quoque publicas in militum delectu vitauere, vt Festus, & Macrobius scribunt. Hinc Varro in augurum libris, Viros vocare ferijs non oportet: si vocauit, piaculum esto. Feriæ aut statiuæ fuêre, certis & constitutis

diebus

diebus ac mensibus, & in fastis, statis obseruationibus annotatæ: aut à magistratibus sacerdotibusve in dies vel certos, vel incertos conceptæ, & imperatæ. Feriæ conceptiuæ fuêre Paganalia, Sementinæ, Compitalia, &c. Statiuæ autem multo plures, vt in mense Ianuario Agonalia, & Carmentalia. Februario, Lupercalia, Quirinalia, Feralia, Terminalia, Equiria. Martio, Equiria, Liberalia, Quinquatrus. Aprili, Cerealia, Palilia, Vinalia, Robigalia. Maio, Lemuria, Agonalia. Iulio, Neptunalia, Furinalia. Augusto, Portunalia, Vinalia, Consualia, Volcanalia, Opiconsiua, Volturnalia. Septembri, Neptuni, & equorum probandorum feriæ. Octobri, Meditrinalia, Augustalia, Fontinalia. Nouembri, Feriæ equorũ probandorũ. Decembri, Agonalia, Consualia, Saturnalia, Opalia, Diualia, Laurẽtinalia. Hęaliæq; alijs mẽsibus, vt ex veteri kal. cõstat, feriæ statiuę fuêre. quibus delectus haberi non potuit. Sed neque diebus Atris, aut ijs qui rebus aduersis notati essent, milites scribere licuit; vt Macrobius, Festus, alijque tradidere. Dies autem Atri sex & triginta fuêre, auctore Festo; id est ij omnes, qui postridie kalendarum, Nonarum, & Iduum sequerentur. Cuius rei causam ex Gellio lib. XV. Annalium, & ex Cassio Hemina lib. XI. Historiarum. A Gellius, & Macrobius hanc tradunt. Anno, inquiunt, ab vrbe condita CCCLXIV. à Tribunis militum Virginio, Manlio, AEmilio, Postumio, collegisq; eorum, in senatu actum, quid esset cur toties intra paucos annos malè esset

Festus V. nouarum. V. Præliares.

Gellium l. 5. cap 17. Macrob. lib 1. c. 16. Sat.

esset afflicta respubl. introductusque in Senatum, L. Aquinius haruspex, dixit Q. Sulpitium Tribunum milit. ad Alliam aduersum Gallos pugnaturum, rem diuinam, dimicandi gratia, fecisse postridie Idus Quinctiles: item apud Cremeram, multisque alijs temporibus & locis, post sacrificium die postero celebratum, male prœlium cessisse. Itaque Pontifices consulti, statuerunt postridie omnes kalendas, Nonas, Idus, atros dies habendos, vt hi dies neque prœliares, neque puri, neque comitiales essent. Eadem haud multo secus narrat Liuius lib. VI. Tum de diebus, inquit, religiosis agi cœptum, diemque ad XV. kalend. Sextil. duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabij cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio vrbis fœde pugnatum, à posteriore clade Alliensem appellarunt; insignemque rei nulli publice, priuatimque agendæ fecerunt. Quidam, quod postridie Idus Quinct. non litasset Sulpitius Tribunus militum, neque inuenta pace deûm, post diem tertium obiectus hosti exercitus Romanus esset: etiam postridie Idus rebus diuinis supersederi iussum, inde, vt postridie kalendas quoque ac Nonas eadem religio esset, traditum putant. Hæc Liuius.

Quæstio. Rom. 25. Aliam causam addit Plutarchus in Quæstionibus, philosopho magis, quam historico dignam. ait enim singulis mensibus ter Lunam luminis varietatem suscipere, kalendis, cum se occultat, Nonis, cum se iterum ostendit, & Idibus, cum iam orbe perfecto est: Romanosque eos dies, qui varij luminis initia

essent,

essent, Dij superis, proximos inferis dicasse, nefastosque statuisse. Adscribit & alteram, quia cum Kalendæ, Nonæ, & Idus sacri Dijs haberentur, neq; ijs prophanum aliquid agere liceret; itaq; dies, qui hos sequerētur, magis apparandis, quàm gerendis rebus destinare voluerunt. Sed hæc vt acute excogitata, sic ad veritatem parum accommodata videri possunt. Gentilitatis enim sunt Apinæ.

Dies etiam ille, quo salutis augurium captabatur, quod Græci διώνισμα τῆς ὑγιείας appellant; ab omni bello purus seruatus est. Quam consuetudinem ita explicat Dionys. lib. XXXVII. Annuo tunc, inquit, spatio Romani bellis vacarunt, ita, vt longo tempore intermissum augurium salutis repeterent. Est autem quoddam diuinationis genus, quo probatur, concedant ne ipsis Dij, vt populo salutem petant: quasi nefas esset eam prius petere, quàm per augurium Deorum voluntas fuerit explorata.

Ad hanc rem dies eligitur singulis annis, quo die nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis se mouerit, nusquam pugnatum sit, atq; ob eam caussam in perpetuis bellis, ciuilibusq; discordijs nunquam celebratur. Et præterea difficillimum est diem vnum aliquem hisce rebus omnibus purum obseruare. Hęc Dion. qui etiam lib. LI. scribit ab Augusto, pace terra, marique parta, Ianum clausum, & augurium salutis celebratum. De salutis augurio meminit Cicero, qui in suis legib. ita sanxit: sacerdotes, vineta, virgetaq; *l. 2. de leg.*

& salutem populi auguranto. & lib. I. de Diuinatione: Tibi P. Claudius Augur Consuli nunciauit, addubitato salutis augurio, bellum domesticum triste ac turbulentum fore. Tacitus lib. XII. Salutis augurium quinque & viginti annis omissum repeti, ac deinde continuari placitum. Suetonius in Augusto: cap. 31. Nonnulla etiam ex antiquissimis cærimonijs paulatim abolita restituit, vt salutis augu- v. Maximum Prætorem. rium. Festus: Pro collegio augurium decretum est, quod in salutis augurio Prætores maiores & minores appellantur, non ad ætatem, sed ad vim imperij pertinere. Cælius Calcagninus li. 6. epist. 9. Augurium salutis sic explicat. Veteres, ait, cum salutem à Dijs expetere non auderent, augurium salutis instituêre, vt nihil temere cum Dijs egisse viderentur.

Metis etiam, neque dum conditis Ancilibus ad bellum proficisci fuit nefas. Sueton. in Othone cap. IIX. Expeditionem impigre, atque etiam præpropere inchoauit: nulla ne religionum quidem cura; sed & motis, necdū cōditis ancilibus, quod antiquitus infaustum haberetur. Et Tacitus eadem de re scribens, li. XVII. Fuêre, inquit, qui Othoni proficiscēti, moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent. Liuius libr. XXXVII. Statiua ad Hellespontū aliquādiu habuerunt; quia dies forte, quibus ancilia mouentur, religiosi ad iter incideranr, ijdem, dies P. Scipionem propiore etiam religione; quia satius erat, disiunxerant ab exercitu.

Seruius

Seruius ad l. 7. Roma colit, cum prima mouent, & ad initium l. VIII. moris fuisse dicit, vt belli dux sacrarium Martis ingressus; primo ancilia commoueret, post ipsius hastã simulachri, dicens, Mars vigila. Ex quo Seruij loco posset aliquis suspicari, bello indicto promi solita ancilia, vt mouerentur: atque egredi ex vrbe antequam cõderentur, ominosum fuisse. Verisimilius tamen est, tempus illud significari, quo ancilia per vrbem lustrarentur, quibus non conditis, nefas erat expeditionem suscipere, quod ex Liuij loco proxime citato colligitur. Lustrabantur autem ancilia Quinquatribus mẽse Martio, vt ante diximus. Charisius l. 1. Quinquatrus à quinquando, id est, lustrando, quod eo die arma ancilia lustrari sint solita.

Illud porrò in hoc genere sciendum est, hanc dierum religionem, tum demum fuisse à Romanis obseruatam, cum ipsi priores bellum inferrent: cum verò illatũ propulsaret, nullum obstitisse diem, quo minus vel salutem suam, vel publicam defenderent dignitatem, quemadmodum scribit Macrobius l. 1. cap. XVI. Saturnaliorum.

De iustitia Romanorum, in suscipiendis gerendisq; bellis.

CAP. VIII.

POpulus Romanus vt illatas sibi iniurias bello acerrime persequi solebat, sic nunquam sine caussa, nec ferè nisi prouocatus, arma alijs inferre consueuit. Qua in re

illud vel maxima admiratione dignum videtur, quod, cum opibus vsque adeo præpotens esset, proferendi autem imperij gloriæq; cupidissimus, eum tamen animum semper in omni ætate, rerumque vicissitudine seruauit, vt nullum bellum temere, ac fere nisi aliorum iniurijs coactus susceperit: siue quod, vt ait pro Marcello, M. Cicero: permultum ad victoriam, ipsam causam putaret conferre; siue quod æquitatis esset amantissimus, Deorumque in primis studiosus; quos, vt aduersos heroice timebat, si vltro ipse iniuriã alijs intulisset; ita propitijs se vsurum sperabat, si iniuriam propulsasset. Varro libr. II. de vita pop. Ro. Apud Nonium. v. Fetiales. Bella, & tarde, & nulla licentia suscipiebant, quod bellũ nullum nisi pium putabant geri oportere. Hinc illa Rhodiorum apud Liuium ad
li. 45. Senatum Roman. oratio: Certe quidem, inquiunt, vos estis Romani, qui ideo felicia bella vestra esse, quia iusta sint, præ vobis fertis: nec tam exitu eorum, quod vindicatis, quam principijs, quod non sine causa suscipiatis, gloriamini. Dionysius quoque lib. II. Romanorum bella ideo semper felicia fuisse
l. 8. Antiquit. narrat, quia iuste suscepta, pie, sancteque gesta essent. Et Cn. Marcius Coriolanus eodem teste Dionysio, cum ad Volscos non solum virtutem, sed religionem etiam, & æquitatem deportasset, licet iusto odio in Romanos arderet, iniuriamque vlcisci quam primum cuperet: tamen ante iustam honestamque belli causam quærendam censuit. Neque

verò

verò necesse est, vt omnia, quæ cum hostibus piè iustéque Romani gesserint, singillatim commemorentur: illud autem vniuersè dixisse satis fuerit, nullam gentem, neque pacis neque belli iura sanctius, quam Romani coluisse, vt Polybius libr. 13. scribit. Atque etiam ob hanc ipsam causam, ne Romani vllũ bellum iniustum susciperent, collegium Fetialium institutum est, quorum id, Dionysio teste, munus fuit, darent operam, ne Romani vlli fœderatæ ciuitati bellũ inferrent, quod si prior aliqua, contra fœderis conditiones aliquid commisisset, legatos ipsi Fetiales agebant, & verbis primo res repetebãt: si postulata facere negligerent, bellum indicebant. Idem, si qui populi illatam sibi à populo Romano iniuriam querebantur, causam cognoscebant, fontesq; dedebant, de legatorum iniurijs iudicabant, pacem conficiebant, aut si parum legitime facta videretur, eandem irritabant: si quid etiam Imperatores contra fidem & iusiurandum fecissent, cognoscebãt, atque expiabant. Cum igitur tantum esset munus Fetialium, iure Cicero dixit libr. 1. officiorum: belli æquitatem sanctissime, fetiali populi Romani iure, fuisse perscriptam. Ex quo illud etiam in suis legibus sanxit. Fœderum pacis, belli, indutiarum, oratores, Fetiales, iudicesque sunto. Et Varro libr. IV. de lingua Latina. Fetiales, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, vt iustum conciperetur bellum. Et libr. III. de vita popul. Roma. apud Nonium, si cuius

l. 2. Antiq.

l. 2. de legib.

v. Fetial.

legati violati essent, qui id fecissent, quamuis nobiles essent, vt dederentur ciuitati, statuerunt, fetialesque viginti, qui de his rebus cognoscerent, iudicarent, statuerent, & constituerent. Liuius lib. 38. L. Minucius Myrtilus, & L. Manlius, quod legatos Carthaginienses pulsasse dicebantur, iussu M. Claudij Prætoris vrbani per fetiales traditi sunt legatis, & Carthaginem auecti.

Collegium Fetialium, qui bellis præessent à Numa institutum est, vt scribit Dionysius, cum eorum leges & iura ab Aequicolis, siue Ardeatibus esset mutuatus. Liuius, & is, qui de viris illustribus scripsit, Ancum Marcium faciunt auctorem, iusque, quo fetiales vterentur, ab antiqua gente Aequicolis descriptum. Valerius libr. X. Sertorem Resium Aequicolam primum ius fetiale excogitasse ait.

Fetiales porrò, vt ait Dionysius, ex familijs nobilissimis eligebantur, eoque Sacerdotio perpetuo fungebantur. Eos viginti numero fuisse videtur indicare Varro loco quē proxime citaui: statuerunt, inquit, Fetiales XX. qui de his rebus cognoscerent. Ex his igitur rebus intelligi potest, quanta fuerit Romanorum in bellis suscipiendis iustitia: neque vllum bellum, vt ait Cicero, iustum esse lib. 1. Off. existimarunt, nisi quod aut rebus repetitis gereretur, aut denunciatum ante esset, & indictum. Hinc illa Liuij de Romanis à ma- lib. 42. iorū virtute desciscentibus. Marcius, inquit, & Attilius Romam cū veniissent, legationem

in Ca-

in Capitolio ita renunciarunt, vt nulla re magis gloriarentur, quam decepto per indutias & spem pacis Persa. hæc, vt summa ratione acta, magna pars Senatus approbabat: veteres, & moris antiqui memores, negabant se in ea legatione Romanas agnoscere artes, nō per insidias, & nocturna prœlia, nec simulatam fugam, improuisosque ad incautum hostem reditus, nec vt astu magis, quam vera virtute gloriarentur, bella maiores gessisse, indicere prius, quam gerere solitos bella: denunciare etiam, interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum vitæ eius insidiantem, eadem Falisci vinctum traditū prodi torem liberorū regis. hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum, neq; calliditatis Græcæ, apud quos fallere hostem, quam superare glorioſius fuerit, interdum in præsens tempus plus profici dolo, quam virtute: sed eius demum animum in perpetuū vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus, iusto ac pio bello esse superatum. Hæc seniores, quibus noua hæc minus placebat sapientia: vicit tamen ea pars Senatus, cui potior vtilis, quam honesti cura erat. Hactenus Liuius. Iam verò quoniam nisi rebus repetitis, belloque indicto, arma Romanos nunqnam intulisse diximus; quæ in vtraque re solemnia obseruata fuerint, ordine deinceps videamus.

De rebus repetendis.

CAP. IX.

CVm igitur gens aliqua fines populi Rom. aut sociorum populi Rom. inuasisset; aut ciuem Rom. sociosue populi Rom. iniuria afficiisset: antequam bello iniurias persequerentur, legatos Romani mittebant, qui res ablatas repeterent, eosq; qui fecissent, deposcerent. Quę si hostes fecissent, bello abstinebant; sin minus, armis ius suum tuebatur, bellumque indicebant. Legati ad res repetendas fere quatuor mittebantur, ex Fetialium collegio electi, quibus præerat is, quem ipsi Fetiales, vt scribit Dionysius, nominassent, hūc Patrem patratum dictum ait Seruius; additque Plutarchus, eum Patrem patratum eligi solitum, qui, patre adhuc superstite, liberos suscepisset. Varro libr. 11. de vita populi Rom. apud Nonium: Priusquam indicerent bellum ijs, à quibus iniurias factas sciebant, Fetiales legatos repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant, Liuius libro IV. Tunc quoque, ne confestim bellum indiceretur, néue exercitus mitterentur, religio obstitit, Fetiales prius mittendos ad res repetendas censuere.

Dionys. lib. 2. Plutarc. q. Ro. 62. Seru. ad l. 9. Iaculum immittit in auras Principiū pugnæ, & Bello initio. Nonius vide Fetiales.

Pater igitur patratus, vt narrat Dionysius, veste, quam cæteri, augustiore, sumptisq; sagminibus siue verbenis (vtroq; enim nomine idem significatur, hoc est gramē ex arce cum sua terra aulsum) cum Fetialibus ad hostium fines contendebat; qui propterea etiam verbenarius

benarius dictus videtur, à Plinio l. XXII. c. 11. Donat. enim in Andr. act. 4, sc. 4. Verbenæ sũt omnes herbæ frondesq; ex aliquo loco puro decerptæ. verbenæ autem dictæ, quasi herbenæ, hæc ille.

Vbi verò Pater patratus ad fines eorum veniſſet, vnde res repeterentur, capite velato (ſtlum lanæ, Liuio teſte, velamen fuit) alijſq; inſignibus, quæ diximus, ornatus, clara voce, ſolemniq́ue carmine, res repetebat: ex quo etiam clarigatio, Plinio, Seruioq́ue auctoribus, appellata eſt. Carmen autem, quo res repetebatur, ita exponit Liuius libr. 1. Legatus, ait, vbi ad fines venit, Audi Iuppiter, inquit, audite fines, (cuiuſcumque gẽtis ſunt, nominat) audiat fas: ego ſum publicus nũcius populi Roman. iuſte pieq́ue legatus venio, verbiſq́ue meis fides ſit. Peragit deinde poſtulata: inde Iouem teſtem facit: Si ego iniuſte impieq́ue illos homines, illasq; res dedier nunçio populi Roman. mihi expoſco; tum patriç compotem me numquam ſinas eſſe. Hæc, cũ fines ſupra ſcandit; hæc quicumq; ei primus vir obuius fuerit; hæc portã ingrediens; hæc forum ingreſſus, paucis verbis carminis, concipiendiq; iuriſiurandi mutatis peragit. Hæc Liuius. quæ eadem proſequitur Græcus auctor Dionyſius, in extremo libro ſecundo. Idem Liuius libr. 4. Miſſi fetiales, nec eorum, cum, more patrum, iurati repeterẽt res, verba ſunt audita: & libr. 42 Legati ad res repetendas in Macedoniam, renunciandamq́ue amicitiam regis miſſi redierunt.

litum. Neque antequam Fetiales reuertissent fas erat de bello quidquam statuere, vt Dionysius ait lib. II.

Vbi autem Senatus bellum gerendum censuisset, ad populum deinceps de bello indicendo ferebatur. Liuius lib. IV. Missi ad Veientes Fetiales; nec eorum, cum more patrum iurati repeterent res, verba sunt audita, controuersia inde fuit, vtrum populi iussu indiceretur bellum, an satis esset, S.C. peruicere Tribuni, denunciando impedituros se delectum, vt Quinctius Cos. de bello ad populum ferret: omnes centuriæ iussere. Et libr. VI. Ex S. C. populique iussu bellum Prænestinis indictum. Et li. VII. Dictator ex auctoritate patrum, ac populi iussu Cæritibus bellum indixit. libro XXI. Latum inde ad populum: vellent, iuberent populo Carthaginiensi bellum indici. libro XXXI. S. C. factum est, vt cum Consules prouincias sortiti essent, atque is Consul, cui Macedonia prouincia euenisset, ad populum tulisset, vt Philippo Regi Macedonum indiceretur bellum P. Sulpicio prouincia Macedonia sorte euenit, isque rogationem promulgauit: vellent, iuberent Philippo Regi, Macedonibusque qui sub regno eius essent, ob iniurias armaque illata socijs populi Rom. bellum indici. Hinc idem Liuius tanquam contra leges vsurpatum notat. Prætor, inquit, nouo maloque exemplo rem ingressus erat; quod ante non consulto Senatu, non Consulibus certio- Lib. 45.

certioribus factis, de sua vnius sententia rogationem ferret: vellet, iuberentne Rhodijs bellum indici, cum antea semper prius senatus de bello cōsultus, deinde ad populum latum.

Quibus ex locis non illud solum intelligitur, quod propositum est, bellum indicendum, nec ne, esset, prius in senatu agitatum, deinde latum ad populum: sed illud præterea, in rogando populo illa verba quodammodo sollemnia fuisse, Vultis, iubetis, Quirites. Populus autem legē de indicendo bello vel respuebat, qua in re solemne fuit verbū Antiquo; vel solēnibus item illis verbis, Vti rogas, bellum iubebat. Liuius libro XXXI. Rogatio de bello Macedonico, primis comitijs, ab omnibus centurijs antiquata est. Et paulo post: Ab hac oratione in suffragium missi, vti rogarat, bellum iusserunt. Cicero lib. II. de legibus suade igitur, si placet, istam ipsam legem, vt ego, vti rogas, dicere possim.

Indicebatur porro bellum comitijs cēturiatis. Liuius libr. IV. Peruicēre Tribuni, denunciando impedituros se delectū, vt Quinctius Cos. de bello ad populum ferret, omnes centuriæ iussere. Et libr. XLII. Patres, quod faustum felixque populo Rom. esset, centuriatis comitijs, primo quoque die ferre ad populum Consules iusserunt, vt bellum cum Perseo iniretur. Nam quod idem Liuius libr. VI. scribit. Tum vt bellum iuberent, latum ad populum est, omnes tribus bellum iusserunt. Id non videtur repugnare, atque euincere,

Tribu-

Tributis comitijs bellum indictum. Tribuum enim nomine populũ vniuersum intellexit, non tributa comitia; quemadmodum etiam de iudicio Perduellionis quod centuriatis comitijs exercebatur, loquens Cicero lib. 1. in Verr. credent, inquit, omnes quinq; & triginta tribus, homini grauissimo atque ornatissimo M. Antonio, qui, se præsente, ciuem Rom. securi percussum esse dixit.

Antequam tamen ad populum quidquam ferretur; iubebat senatus sacrificijs, supplicationibusque deos placari, eorumque voluntatem exquiri, Liuius lib. XXXI. Senatus decreuit, vti Consules maioribus hostijs rem diuinam facerent, quibus dijs ipsis videretur, cum precatione ea, Quam rem S.P.Q.R. de repu. deq; ineundo nouo bello in animo haberet; ea res vti populo Rom. socijsq; ac nomini Latino bene ac feliciter eueniret. Et mox in oratione P. Sulpicij Cons. bellũ suadentis, Huius, inquit, vobis sententiæ nõ Cõsul modo auctor est, sed etiam dij immortales, qui mihi sacrificanti, precantique vt hoc bellum mihi, senatui, vobisque & socijs, ac nomini Latino, classibus exercitibusque nostris bene ac feliciter eueniret, læta omnia, prosperaque portendere, ab hac oratione in suffragiũ missi, vti rogarat, bellum iusserunt. Et libr. XXXVI. initio P. Cornelium Scipionem, & M. Acilium Glabrionem Coss. inito magistratu, priusquam de prouincijs ageret res diuinas facere maioribus hostijs iussérũt in omnibus fanis, in quibus lectisternium

maiore

maiore parte anni fieri solet: precariq;, quod Senatus de nouo bello in animo haberet, vt ea res S. P. Q. R. bene atque feliciter eueniret. ea omnia sacrificia læta fuere, primisque hostijs perlitatum est: & ita haruspices responderunt, eo bello terminos populi Rom. propagari, victoriam ac triumphum ostendi. Hæc cum renunciata essent, solutis religione animis, patres rogationem ad populum ferri iusserunt, vellent, iuberentne cum Antiocho rege bellum iniri? Libro autem XLII. Consules, inquit, quo die magistratum inierunt, ex S. C. cum circa omnia fana, in quibus lectisternium maiorem partem anni esse solet, maioribus hostiis immolassent; inde preces suas acceptas ab dijs immortalibus ominati, senatui ritè sacrificatum, precationemque de bello factam renunciarunt. Haruspices ita responderunt, si quid rei nouæ inciperetur, id maturandum esse; victoriam, triumphum, prorogationē imperij portendi. Patres, quod faustum felixque populo Roman. esset, centuriatis comitijs, primo quoque die ferre ad populum consules iusserunt, vt bellum cum Perseo iniretur.

Neque solùm antequam ferretur ad populum, sed etiam post, indicta est nonnunquam supplicatio. Liuius libro XXXI. Supplicatio inde à Consulibus in triduum ex S. C. indicta est, obsecratique circa omnia puluinaria dij, quod bellum cum Philippo populus iussisset, id bene ac feliciter eueniret.

Sed

Sed & ludi voti, si bellum ex sententia succesſiſſet. Liuius ibidem: Ciuitas religioſa in principijs maxime nouorum bellorum, ſupplicationibus habitis iam, & obſecratione circa omnia puluinaria facta, ne quid prætermitteretur, quod aliquando factum eſſet, ludos Ioui, donumque vouere Cõſulem, cui prouincia Macedonia euenisſet, iuſſit. Et lib. XXXVI. de bello Antiochino.

De bellorum indictione.

CAP. XI.

CVm autem S. P. Q R. bellum gerendum eſſe decreuiſſet, Fetialis iterum mittebatur, qui bellum apertè indiceret, idque ijs cærimonijs, quas Liuius exponit, libro I. Fetialis, inquit, haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferebat, & non minus tribus puberibus præſentibus, dicebat: Quod populi priſcorum Latinorum, hominêſue priſci Latini aduerſus populum Roman. Quiritium fecerunt, delinquerunt, quodque populus Rom. Quiritium bellum cum priſcis Latinis iuſſit eſſe, Senatuſq; populi Roman. Quiritium cenſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum cum priſcis Latinis fieret: ob eam rem ego, populuſq; Roman: populis priſcorum Latinorum, hominibuſque priſcis Latinis bellum iudico, facioque. id vbi dixiſſet, haſtam in eorum fines emittebat. Hæc Liuius; quæ eadem fere ex Cincio re fert Gellius libro XVI. cap. IV. nomine duntaxat populi commutato. Ad hanc haſtæ iacien-

iaciendæ consuetudinem, auctore Seruio, respexit Virgilius lib. IX.

En ait, & iaculũ intorquẽs immittit in auras,
Principium pugnæ.

Turnebus l. XI. c. 17 & l. 8. c. 23 Aduer.

Hastam autem sanguineam, quam à fetiali in hostium fines emissam Liuius ait; quidam ita putant appellatam, quod è sanguineo frutice, vel arbore esset; quæ, quod coloris erat cruenti, iccirco ea ad bellũ indicẽdum fetiales vsos: alij, quod cuiuscumque demũ ligni hastile haberet, sanguine cruentaretur. Marcellinus li. XIX. de Persis Amidam obsidentibus vix vbi Grumbates hastam infectã sanguine vrit patrio, nostriqúe more coniecerat fetialis, armis exercitus concrepãs inuolat in muros.

Hanc bellorum indicendorum consuetudinem ita interpretatur Liuius lib. XXXI. vt necesse non fuerit, ad intima regni, regemq; ipsum, cui bellũ indicebatur, penetrare: sed satis esset primo oppido nunciare: Consulti fetiales, inquit, bellum, quod indiceretur regi Philippo, vtrum ipsi vtique nunciari iuberent, an satis esset, in finibus regni, quod proximum præsidium esset, eo nunciari: fetiales decreuerunt, vtrum eorum feciſſet, rectè facturum. Et lib. XXXVI. Consul M. Acilius ex S.C. ad collegium fetialium retulit, ipsine vtique regi Antiocho indiceretur bellum, an satis esset ad præsidium aliquod eius nunciare, fetiales responderunt, iam ante, sese, cum de Philippo consulerentur, decreuisse, ni-

se, nihil referre, ipsi coram, an ad præsidium nunciaretur.

Illud quoque scitu dignum est, cum aliquis populus apertè se hostem populi Roman. ostendisset, neque id dissimulanter egisset, necesse non fuisse illi bellum indicere, quod ex Liuio videtur colligi posse, qui eodem libro Fetiales consultos, num Aetolis indici iuberent bellum, respondisse scribit, Aetolos vltro sibi bellum indixisse, cum Demetriadem sociorum vrbem per vim occupassent: Chalcidem terra, marique oppugnatum issent; regem Antiochum in Europam ad bellum populo Rom. inferendum traduxissent.

Aliam indicendi belli rationem Liuius lib. XXI. commemorat, qua Carthaginiensibus bellum indictum scribit. Romanus, inquit, sinu ex toga facto, Hic, inquit, vobis bellum & pacem portamus; vtrum placet, sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret vtrũ vellet, succlamatum est, & cum is iterum, sinu effuso, bellum dare dixisset, accipere se omnes respondêrunt. Hæc Liuius. Alij tamen, *l.10.c.27.* vt Gellius tradit, hastam, & caduceum Carthaginiensibus missa, datamque optionem, vtram vellent eligere, scripsêre.

Atque hæc quidem apud hostes procul ab vrbe fiebãt interea Romæ ad bellum necessaria apparabantur templumque Iani index belli aperiebatur. Cõsul enim is, qui prior creatus fuerat, Gabino cinctu ornatus, Iani templum, vt Seruius ait, recludebat: neque ante *ad l. VII.* claudebatur, quam omnia bella essent profli-

gata. quod, vt initio diximus, intra annos amplius sexcentos, ter tantũ contigit Romanis. Quo de more ita scribit Virgilius; *Aenei. 7.*

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima mouent in prœlia Martem
Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacræ, & sæui formidine Martis.
Centum ærei claudunt vectes, æternaq; ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus.
Has, vbi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali lituo, cinctuq; Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes,
Aereaq; assensu conspirant cornua rauco.

Et Capitolinus in Gordiano; Prætextato, inquit, & Attico Coss. Gordianus, aperto Iano gemino, quod signum erat indicti belli, profectus est contra Persas.

Huius moris apud Romanos auctor Numa fuisse traditur, qui, teste Liuio, Iani templum ad infimum Argiletum (nam & superius erat) indicem pacis, belliq́ue fecit: apertus, vt in armis esse ciuitatem, clausus, pacatos circa omnes populos significaret. Hoc templum à Numa duabus portis ædificatum ob Ianum bifrontem docet Seruius: postea vero captis Falisciis ciuitate Tusciæ, cũ inuectum esset simulachrum Iani cum frontibus quatuor

quatuor, aliud templum ad forū transitorium cum portis quatuor fuisse constructum. Hoc templum describit Procopius libro primo de bello Gothico, qui duas tantum portas in eo templo fuisse videtur indicare, vt Virgilius, cum dixit: Sunt geminæ belli portæ: Plutarchus in Numa duas etiam portas templum illud habuisse narrat. Verba autem Procopij hæc sunt, vt quidem ea Christophorus Persona interpretatus est. Iani, inquit, sacellum totum ex ære constructum fuisse constat, & quadrata quadā dimensione locatum; tantæque amplitudinis, quanta integi Iani statua poterat: quæ vtique ænea cum sit, non minor quam fortè quinque pedalis esse appareret, per cetera omnia mortali similis, capite duntaxat bifrons, ita, vt facies altera in orientem solem vergat, in occidentem altera, portæ vtrinque æneæ, in faciem alterutram versæ; quas ferme in pace, & prosperis rebus occludi Romani veteres quondam instituerunt, contraque aperiri dum bellum ipsis esset. Hæc ille.

Cur autem belli tempore huius potissimum Dei templum aperiretur, pace autem clauderetur, hanc fabulam narrat Macrobius libr. 1. Saturn. cap. IX. ait bello Sabino, cum hostes per patentem portam in vrbem irruerent, subito ex æde Iani magnam vim calidarum aquarum erupisse, quæ hostium impetum repressserint: atque ex ea re institutum, vt belli tempore, velut ad vrbis auxilium profecto Deo, fores reserarentur.

Ouidius tamen aliam cauſſam reddit libr. 1. Faſtorum vbi ſic loquentem Ianum inducit,

Vt populo pateant reditus ad bella profecto:
Tota patet dempta ianua noſtra ſera.

Vbi autem bellum à Fetialibus ritè fuiſſet indictum, dies triginta conſtituebantur apparandis ijs: quæ ad bellum neceſſaria eſſent, qui dies Iuſti, & Præliares dicti ſunt: quibus etiam diebus vexillum ruſi coloris, vt ait Macrobius, proponebatur in arce, vt ciuitatem belli exſpectatione ſuſpenſam atque erectam oſtenderent, Feſtus, Iuſti dies dicebantur triginta, cum exercitus eſſet imperatus, & vexillum in arce poſitum. Arnobius l. 11. Cum paratis bella ſignum monſtratis ex arce? aut Fetialia iura tractatis: per clarigationem repetitis res aptas?

l. 1. c. 16. Iat.

Conſuetudinem indicendi bella per Fetiales poſterioribus temporibus intermiſſam ex Varrone colligunt aliqui. Is enim libr. IV. de lingua latina: Fetiales, inquit, quod fidei publicæ inter populos præerant; nam per hos fiebat, vt iuſtum conciperetur bellum, & inde deſitum; & vt fœdere fides pacis conſtitueretur, ex his mittebantur, antequam conciperetur, qui res repeterent; ac per hos etiam nunc fit fœdus. Quibus verbis id Varronem ſignificare putant; in Fetialibus deſitum eſſe per eos bella indici, cum ipſius ætate ad res repetendas iam non mitterentur, ſed tantum fœderibus faciendis adhiberentur. Ego tamen contrarium potius ex Varronis di-

Turnebus l. 21. c 1.

nis dictis colligi posse puto; Fetialium mittendorum consuetudinem ipsius tempore perduraſſe, ac per eos bella cœpta & desita. verba autem extrema ita puto distinguenda: Ac per eos etiam nunc fit Fœdus, quod fidus scribit Ennius, &c. Et sanè Cicero, Liuiusque de Fetialibus ita loquuntur, vt eorum ius suis etiam temporibus obseruatum significent.

Quod si quis omnino bellorum indictionem sublatam velit, is facile dixerit, pro ea aliam consuetudinem inductam, vt hastam Romæ iacerent in columnam, quæ ante Bellonæ templum fuit, de qua re ita Festus: Bellona dicitur dea bellorum, ante cuius templum erat columella, quæ bellica dicebatur: supra quam hastam iaciebant, cum bellum indicebatur. Dionys. lib. 50 Cleopatræ bellum manifesto indicebatur: ac quasi iam id gereretur, saga ipsi sumpserunt, & ad ædem Bellonæ progressi sunt: ibique Cæsar tanquam fetialis, omnia, quæ, antequam bellum iniretur, fieri more Romano consueuerant, iussa eorum peregit. Quanquam vtrumque simul esse potuit, vt & Fetiales finibus hostium bellum indicerent, & Romæ hastam aduersus columnam iacerent, aut etiam hic mos obseruatus est, cum ob causas, quas supra diximus, Fetiales mittendi esse non viderentur. Sed iam bellorum apparatum videamus.

LIBER SECVNDVS.

De Imperatore deligendo.

CAP. I.

BElło ſuſcepto indictoq;, Dux eligebatur, à quo bellum adminiſtraretur. Et quoniam Romanum imperium in Prouincias erat diſtributum, cui ea Prouincia, quæ tumultuaretur, hoſtibuſue proxima eſſet, decreta eſt; eidem etiam bellum mandatum legimus. Mittebantur autem in Prouincias Conſules, & Prætores, ex quo Prouinciæ Prætoriæ, & Conſulares dictæ ſunt. Id tamen nunquam non obſeruatum eſt, vt quę Prouinciæ bello tentarentur, eæ Conſulibus committerentur; reliquæ Prætoribus. Itaque Conſulibus, Prætoribuſque deſignatis, vel certè initio ſtatim magiſtratus Senatus (is enim Prouincias conſtituendi poteſtatem habebat, vt quos vellet, modo de magiſtratibus, in quas vellet, mitteret, adminiſtratione annua) prætorias Prouincias Prætores ſortiri, Conſules ſiue ſortiri, ſiue inter ſe comparare iubebat (ſic enim loquebantur, cum inter conſules de ſuis Prouincijs conueniſſet: nam comparandi conſuetudo apud Prætores nulla fuit) Interdum etiam, (quod tamen quia inuidioſum eſſet, minus ſæpe factum eſt) ſenatus conſulibus nominatim ſingulas Prouincias deſtinauit. Quæ omnia veterum teſtimonijs probanda ſunt. Ac de ordinatione quidem Prouinciarum teſtis eſt Liuius li. XXXVIII. comi-

tijs

tijs perfectis, quas Prouincias Prætoribus esse placeret, retulit ad Senatum Consul: decreuerũt duas Romæ, iuris dicũdi causſa; duas extra Italiam: Siciliam, & Sardiniam; duas in Italia: Tarentũ & Galliam: & extemplo, priusquam magistratus inirent, sortiri iussi. Et libr. XLI. Mũmio Prætori Sardinia euenit, sed ea propter belli magnitudinem Prouincia consularis facta: Gracchus Cos. eam sortitur.

De sortitione vero idem Liuius XXVII. Consulatũ ineũt C. Claudius Nero, & M. Liuius iterũ, qui quia iam designati Prouincias sortiti erant, Prætores sortiri iusserunt. Illa vero de comparatione Prouinciarũ inter Cõsules apud eundem Liuium reperiuntur libr. XXXII. Decreuerũt Patres, vt Prouincias Macedoniam, atq; Italiam Consules compararent inter se, sortirenturue. Et li. XXXVIII. Consulibus, alteri Pisæ, cum Liguribus, alteri Gallia Prouincia decreta est, comparare inter se, aut sortiri iussi. Et l. XXVIII. P. Cornelius Scipio. P. Licinius Crassus consulatum inierũt, nominatæ Consulibus Prouinciæ sũt: Sicilia Scipioni extra sortem, concedente collega; Brutij Crasso. De præcipua destinatione satis erit Liuij locus li. XXXVIII. Lælius, cum Senatus aut sortiri, aut comparare inter se Prouincias consules iussisset; elegantius facturos dixit, si iudicio Patrum, quam si sorti eam rem permisissent, prope omnes Scipioni Græciam; Lælio Italiam decreuerũt. Et l. VIII. Petitum ab Coss. vt extra sortem Coruini ea prouincia esset, & l. X. Nec minore

populi cõsensu, quam senatus, prouincia Hetruria extra sortem Fabio decreta est.

Ceterum quemadmodum Prouincia à Senatu, ita Imperiũ in Prouincia à populo mandatum est. Imperium Romani appellarunt exercitum cogendi, gerendiq; belli potestatem; sine quo nihil eorum à magistratibus fieri potuit, ex quo Cicero oratione V. in Antonium: Demus, inquit, imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari non potest, teneri exercitus, bellum geri non potest. Itaq; simul atq; senatus prouincias decreuisset, populo curiatim in forum conuocato, vel, vt extremis temporibus fieri cœptũ scribit Cicero, XXX. lictoribus veteres XXX. curias repræsentantibus, lex de imperio ferebatur; quæ quod curiatis comitijs ferebatur, curiata videtur nominata. Hinc Camillus apud Liuium lib. V. Comitijs curiatis rem militarem contineri dixit; quod ijs comitijs daretur imperium, sine quo res militaris administrari non poterat. Cicero in Rullum: Consuli, si legem cutiatam non habet, attingere rem militarem non licet. Cæsar. lib. 1. belli ciuilis. In reliquas prouincias Prætores à senatu mittuntur: neque, quod superioribus temporibus acciderat, exspectant, vt de eorum imperio ad populum referatur. Iterum Cicero ad Cassium; Omnes tuos neruos in eo cõtende, ne quid mihi ad hanc prouinciam, quam & Senatus, & populus annuam esse voluit, temporis prorogetur. Et ad Atticum lib. IV. ep. XVII. Consules flagrant, infamia, quod C. Mem-

Agr. 2.

Agr. 2.

ep. 14 li. 15. fam.

Memmius candidatus, pactionē in senatu recitauit, quam ipse, & suus competitor Domitius cum consulibus fecisset, vt ambo HS. CD. consulibus darent, si essent ipsi cōsules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cū lex curiata ferretur, quæ lata nō esset.

Porrò legem curiatam ferebat is, qui imperium esset accepturus, ita tamen, si magistratu fungeretur. Liuius libr. IX. Papirio Dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omē diem diffidit. Quod si is, qui imperio esset vsurus, nullum gereret magistratum, consul ferebat, non Tribunus plebis. (curiata enim comitia, vt Liuius ait libr. V, auspicato fiebant: auspicijs autem plebeij carebant) quod exemplo Ciceronis ostenditur, cui priuato Marcellus Cos. legem de imperio in Ciliciā prouincia tulit: sic enim ad eum scribens ait: Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi ex S. C. & lege finisti. Et in Rullum, consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum est. *ep. 7. l. 15. fam. Agr. 2.*

Imperio igitur à populo curiata lege demandato, Senatus nouo S. C. prouincias ornabat (sic enim loquebantur) id est, quot legionibus res administrāda esset, decernebat: & stipendium iis militi, viaticumque Imperatori, comitibusque assignabat: hæc enim omnia, vt infra dicemus, de publico curabātur. Atque vt in Senatus potestate fuit illa definire: ita is, nisi imperio ante à populo lege curiata tradito, nihil eorum decernere solebat. Quod si Imperatores in prouincias

vellent proficiſci, ſuo omnia ſumptu ipſos
ep. 2. l. 3. exſequi neceſſe erat. Hinc Cicero ad Fratrem:
Appius ſine lege curiata confirmat ſe Lentulo
ep. 15. l. 4. noſtro ſucceſſurum. Et ad Atticum eadem de re ſcribens: Appius ſine lege, ſuo ſumptu in Ciliciam cogitat. Poterat enim Senatus quidem lege Cornelia, quam Iuba Dictator tulerat, mittere in prouincias magiſtratus cum ſumma poteſtate: ſed ſine lege curiata neque ornamenta Prouinciarum addebat, neq; duces rem militarem attingebant. Quare ipſe Appius legem curiatam proficiſcenti in prouinciam vtilem quidem eſſe dicebat, non autem neceſſariam: quemadmodum Cicero ad Lentulum ſcribit.

l. 1. e. pen.

Hæc igitur ordinaria deligendorum Imperatorũ ratio fuit, vt bello indicto, ex S. C. prouinciam ſorte, imperium militare lege curiata, ornamenta verò prouincialia deinceps nouo S. C. nanciſcerentur. Interdum tamen variatum nonnihil eſt, verbi cauſa. P. Sulpicio Conſ. Macedonia prouincia mandata primũ eſt, deinde bellum indictum. Et Appius, lege curiata prolata, tum demũ ſe vel ſortiturũ, vel comparaturum prouincias dixit. Sed hæc non ſunt tã tti. Illud forte maioris fuerit animaduerſionis, cum priuatus aliquis extra ordinem in prouinciã mitteretur, non opus fuiſſe lege curiata, aut S. C. Sed qua lege prouinciã à populo, eadem & imperiũ, & ornamenta eſt conſecutus, atq; vt curiata lex curiatis comitijs à conſulibus, ita hæc Tributis à Tribunis pl. lata eſt. Liuius l. XXX. Italiã, atq; Africã in ſor-

Liu. l. 31.

Cicer. ad Lentulũ.

in sortem conijci, Africam ambo Coss. cupiētes volebant. Consules iussi cum Tribunis pl. agere, vt si ijs videretur, populum rogarent, quem vellent in Africa bellum gerere: omnes tribus P. Scipionem iusserunt. Posterioribus aūt temporibus, cum perpetuæ quæstiones in vrbe institutæ essent, de quibus Prætores quęrerent; Prætores ex Prętura in Prouincias proficisci cœperūt, quod fieri cœptū est anno V. C. DCIIII. cæterū eodem modo reliqua peracta sunt. Imperator igitur, prouincia ornamentisq; decretis, aut veterem exercitum à decessore suo in prouincia accepit, aut ex S. C. nouum in vrbe conscripsit, de quo more iam deinceps dicendum nobis est.

De militiæ generibus. CAP. II.

MIlitiæ, vt plurib. locis docet Seruius, tria genera fuêre, euocatio, tumultus, & delectus. Euocatio appellata est, cū subitis bellorū motibus in diuersa loca duces, militum cogendorum causa, dimittebātur, qui milites subitarij, & tumultuarij dicti videntur. Liuius lib. I I I. Ad eū exercitum explendū Latini, Hernicíq;, & colonia Antiūdare Quinctio subitarios milites (ita tum repentina auxilia appellabant) iussi, & lib. I I I. senatum consules vocant, iubentur subitarium scribere exercitum. Et lib. XXXII. Prætor cum quinque legatis profectus, obuios in agris Sacramento rogatos arma capere, & se sequi cogebat. Et libr. XXXV. Mens ea senatus fuit, vt in Hispania tumultuarij milites legerentur. Et libro XL. Permissum, vt qua irent, proti-

li. 7. Ipse vocat pugnas. l. 2. Aen. Sacrata resoluere iura. l. 8. initio. Isidor. l. 9.

protinus subitarios milites scriberent, duce-rentq́ue secum, & paulio post. Vt Petilius duas legiones ciuium Romanorum tumultuarias scriberet.

Tumultus, bello tantum Gallico, aut Italico indictus est; multoque grauius, quam bellum fuit, quemadmodum Cicero Philippica VIII. testatur. Potest, inquit, esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello nō potest. Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tāta, vt maior timor oriatur? vnde etiam nomē ductum est tumultus. Itaque maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultū nominabant. Grauius autem esse tumultum, quam bellum hinc intelligi licet, quod bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent. Hæc Cicero.

Indicebatur autem tumultus, Senatus auctoritate, à Dictatore, consulibusue, quare Dio bellum ciuile Cæsaris à senatu tumultum esse decretum narrat; & alibi sæpe Senatus decreto tumultum legimus indictum. Tumultus autem tempore, Resp. consulibus demandata, vt viderent, ne quid detrimenti caperet: Senatores, ac cæteri Magistratus latum clauum, & prætextum deponebant, atque cum reliquis ciuibus saga sumebant: vacationes collebantur, iustitioque indicto, tota vrbe publicè, priuatimque aliud nisi bellum agi vetabatur. Orosius l. 5. c. 18. Senatus sagum, hoc est vestem mœroris, quam exorto sociali bello

bello sumpserat, hac spe arridente deposuit, atque antiquum togæ decorem recuperauit. Cn. Pompeius Picentes graui prœlio fudit, qua victoria Senatus laticlauia, & cętera dignitatis insignia recepit, cum togas tantūmodo victoria Cæsaris primum respirante sumpsisset. Cicero Philip. V. & VI. Rem sine mora administrandam, & confestim gerendam censeo: tumultum decerni, iustitium indici, saga sumi dico oportere, delectum haberi sublatis vacationibus, & Philipp. VIII. Delectus tota Italia decreti, sublatis vacationibus, saga cras sumentur, consul se cum præsidio descensurum dixit. Liuius lib. III. Consul, vocato senatu, cum ex auctoritate patrum iustitio indicto, profectus esset. & ibid. Dictator cum magistro equitum in concionem venit: iustitium edicit: claudi tabernas tota vrbe iubet: vetat quemquam priuatæ quidquam rei agere, etiam lib. IV. simul edicitur iustitium, neque aliud tota vrbe agi, quam bellum apparari: cognitio vacantium militiæ munere posi bellum differtur. Item lib. VII. & cum (quod per magnos tumultus fieri solitū erat) iustitio indicto, delectus sine vacationibus habitus esset. & lib. XLI. Itaque (quod in tumultu fieri solet) delectus extra ordinem nō in vrbe tantum, sed tota Italia indicti. Seneca epistola XVIII. Quod fieri nisi in tumultu & tristi tempore ciuitatis non solebat, voluptatis causa ac festorum dierum, vestem mutauimus. Dio libr. XLVI. Tumultum imperdere censuerunt: vestem senatoriam exuerūt:

saga

saga omnes Romani, etiam ij, qui ad bellum non proficiscebantur, sumpsere, consulibusq; custodia vrbis mandata: ac S.C. factum, daret operam consules, ne quid Resp. detrimenti caperet. Lucanus quoque de Tumultu ob bellum ciuile indicto ita canit, lib. II.

Plebeio tectus amicta
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.

Consulares tamen, tumultus tempore, saga non videntur sumpsisse, sed in togis fuisse. Cicero Phil. VIII. Equidem P.C. quanquam hoc honore vsi, togati esse solent, cum est in sagis ciuitas; statui tamen à vobis, ceteriscq; ciuibus in tanta atrocitate temporis, tantaq; perturbatione populi Rom. non differre vestitu, non enim ita gerimus nos hoc bello consulares, vt æquo animo pop. Rom. visurus sit nostri honoris insignia. Et lib. I. epist. ad Cæsarem iuniorem, Descendi ad forum togatus, cum reliqui consulares sagati vellent descendere.

Nonius. v. Sagum.

Tumultus tempore, vt ait Seruius, cum ex periculi vicinitate timor esset multus, neque singulos interrogare liceret, qui exercitũ erat dicturus, in Capitolium ibat, & proferẽs duo vexilla, vnum rosei coloris, quo pedites, alterum cærulei, quo equites euocabantur (cæruleus enim color maris est, à cuius Deo equũ primum putabant inuentum) dicebat: Qui vult Reipub. saluam, me sequatur. Tum qui conuenerant, simul iurabant, vnde etiam hoc militiæ genus coniuratio dicta est. Cicer. pro

ad lib. 8. Isid. li. 9. Etymol. Donatus in Eunu. act 4. Sc. vlt.

Rabi-

Rabirio Perduellion. Fit S. C. vt C. Marius, L. Valerius Coss. adhiberent Tribunos pl. & Prætores, quo eis videretur; operamq; darent, vt imperium pop. Rom. maiestasq; conseruaretur, adhibent omnes Tribunos pl. præter Saturninum, Prætores præter Glauciam, qui Remp. saluam esse vellent, arma capere & se sequi vident. Ad hanc tumultus consuetudinem videtur. Virgil. lib. VIII. respexisse.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu:
Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium.

Durauit iustitium & tumultus, quamdiu durauit periculum. Liu. l. III. Finem iustitio, quod quatriduum fuit, reditus Quinctij Cos. in vrbem fecit. Epitoma LXXIII. L. Cæsar, Cos. feliciter contra Samnites pugnauit: ob eam victoriam Romæ saga posita sunt. Idem Liu. l. III. Quod necesse erat in tanto tumultu iustitium per aliquot dies seruatum, inde Romam reditum est, iustitium remissum est. & lib. X. Supplicationes ob rem bene gestam consulum nomine decernunt: iustitium remittitur, quod fuerat dies XII. X. supplicatioque perlæta fuit.

De militum delectu.

CAP. III.

ATque in euocatione quidem, & tumultu, quoniam ordinaria non fuêre, multa ex præsenti potius necessitate, quam ex militiæ legibus acta sunt. In delectu autem, qui ob bella alia ex alijs nascentia, singulis annis

annis habebatur, omnia legitima fuêre iurê, ordineq́ue gesta. Cum igitur militum delectũ Romani erant habituri, consules, quorum id maxime munus stante Rep. fuit, dimissis, vt Dionysius ait, per loca præconibus, diem edicebant, quo Romani omnes, qui in vrbe, quiue in agris erant militaris ætatis, Romę adessent. Is dies vbi aduenerat, vniuersa multitudo in Capitolium, aut in forum, aut in campum Martium (in his enim omnibus locis delectum habitum legimus) conueniebat. Ibi consules in tribunali positis sellis, & quatuor legionum Tribuni (tot enim legionum Polybio teste, ordinarius Romanorum scribebatur exercitus) singuli seorsum sedẽtes, delectum habebant. Polybius li. VI. Dionysius libr. IX. initio. Cn. Manlius, M. Fabius Coss. edixerunt, ad quam diem delectum habere vellent, vt præsto essent nomina daturi. Liuius lib. II. Consules, in tribunal ascendũt, citant nominatim iuniores. In foro autem tribunal illud fuisse, satis ostendunt illa, quæ sequuntur. Consules, inquit, violatis lictoribus, fascibus fractis, è foro in curiam compelluntur. & libr. III. Consules in conspectu Tribunorum positis sellis delectum habebant. & ibid. Dictator edicit, vt quicunque ætate militari essent, armati cum cibarijs in dies quinque coctis, vallisque duodenis, ante solis occasum Martio in campo adessent. Iterum: Consules cum in concione pronunciassent, tempus non esse causas cognoscendi, omnes iuniores postero die prima luce in cãpo Martio

lib. 4.

Martio adessent; omnis iuuentus affuit postero die. Et l. XXVI. Consul in Capitolium ad delectũ discessit. Et l. XLII. de Macedonico delectu cum Tribuni militum centuriones primum quemque vocarent, tres & viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati Tribunos plebis appellarunt.

Sic autem delectum peragebant, vt scribit l. VI. Polyb. Tribus singillatim sortiebantur; & eam, quæ sorte exierat, ad se vocabat, vnde iuniores quatuor, ætate, corporis habitu quam simillimos, nominatim citatos excernerẽt. Quibus prodeũtibus, primũ primæ legionis Tribuni legebant, alterum secundæ, tertium tertiæ, quartum quartæ legionis Tribuni cooptabant. Iterum alijs quatuor iunioribus citatis, primum secundæ legionis Tribuni, tũ deinceps ordine ceteri legebant, postremo primæ legionis Tribuni lectionem faciebant. Rursus quatuor alijs prodeuntibus primũ tertiæ, postremum secundæ legionis Tribuni cooptabant, atque ita in vrbem suam quisque vicem Tribuni ordine ex tribubus ad militiam idoneos legebant, donec legitimus militum numerus conficeretur. Liuius l. IV. Delectum haberi non ex toto passim populo placuit, decem tribus sorte ductæ sunt; ex his scriptos iuniores duo Tribuni ad bellum duxere. Valerius l. VI. c. III. M Curius Cos. cum delectum subitum educere coactus esset, & iuniorum nemo respondisset, coniectis in sortem omnibus Tribubus, Polliæ quæ proxime exierat, primũ nomen vrna extractũ citari iussit.

Qui autem citatus ad nomen non respondisset, ei multa dicebatur, in qua dicenda hæc verba legitima fuisse docet ex Varrone Gellius li. XI. c. 1. M. Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est; ego eivnam ouem multam dico. Interdum grauius etiam animaduersum legimus.

Dig. de re milit. lege. 4. Menander: Qui ad delectum olim non respondebant, vt proditores libertatis, in seruitutem redigebantur. Liuius l. VII. Acerbitas de delectu non damno modo ciuium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, inuisa erat. Marcus autem Curius teste Valerio, adolescentem, qui citatus non responderat, ipsum, eiusque bona vendidit, præfatus non opus esse eo ciue Reip. qui parere nesciret. *l. 6. c. 3.*

Neque verò difficile fuit scire, qui ad diem dictam non venissent. Seruius enim Rex, vt scribit Dionysius libr. IV. cum vellet ciuium in vrbe numerum nosse, & qui nascerentur, & qui vita decederent, quique inter viros adscriberentur; instituit, vt pro cuiusque ortu cognati nummum in arcam Iunonis Lucinæ inferrent, pro interitu in Veneris Libitinæ, pro ijs autem, qui togam virilem sumerent, in Iuuentæ. Quæ eadem cum in pagis diligentissime seruarentur, facilè quam multi quotannis omnes, quique ex his militari essent ætate, cognoscebant. Illud porrò in iunioribus citandis veteres summa religione obseruarunt, vt quem primum nominassent, is boni esset

esset nominis. Cic. l. I. de Diuinatione : In delectu Consules obseruant, vt primus miles fiat bono nomine. Festus, Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur eruendus, ominis boni gratia: vt in delectu, cẽsuue primi nominantur Valerius, Saluius, Statorius.

De ætate militari. CAP. IV.

AEtati autem militari, qua iuniores in milites lectos scripsimus, initium dabat annus decimus septimus: finem sextus & quadragesimus afferebat, vt infra annum XVII. pueri: ab anno XLVI. seniores dicerentur, belloque inutiles haberentur. Tubero enim in Historiarum primo, teste Gellio, scripsit Ser. Tullium regem, cum illas quinque classes iuniorum, census faciendi gratia instituret, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septemdecim : atque inde ab anno XVII. quos idoneos iam esse Reip. arbitraretur, milites scripsisse: eosq; ad annum XLVI. iuniores: suprāque eum annum seniores appellasse. Dionysius etiam lib. IV. in exponendo censu secundæ classis, eos qui maiores essent annis XLV. ab ætate separat militari. Eundem militandi finem constituere etiam videtur Polybius lib. VI. Seneca verò rotundum potius, quam diligentem numerum videtur quæsisse, cum in extremo libro de breuitate vitæ scripsit, Lex a quinquagesimo anno milites non cogit: à sexagesimo senatorem non citat.

Primum aũt militiæ annum decimũ septi-

mum fuisse, præter Tuberonem, Seruius ostendit ad l. VII. Romani, inquit, ante pubertatē, armis exercebantur, & XVII. militabāt: quo etiam solo sub custodibus erant. Liuius cum l. XXV. scripsisset, senatus Triumuiros binos creari iussit, alteros, qui citra, alteros qui vltra quinquagesimum lapidem in plateis forisque, & conciliabulis omnem copiā ingenuorum inspicerent, & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiam si nondum militari ætate essent, milites facerēt: Mox eos, quos nondum militaris ætatis appellauit, minores annis XVII. dicit fuisse.

Ante vrbē pueri.

Plutar. in vita.

Hinc etiam C. Gracchus Trib pl. legem tulit, ne minores annis XVII. ad militiam cogerentur. Liuius l. XXVII. Censores ex iis, qui principio eius belli sexdecim annos nati fuerant, neque militauerant, omnes ærarios fecerunt. Quod (si tamen locus mendo caret) de iis intelligendum est, qui annum XVI. exegissent: nam anno XVI. militiæ idoneos nō fuisse Suetonius in Augusto c. VIII. ostēdit. Duodecimū, inquit, annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit: quadriennio post, virili toga sumpta, militaribus donis, triumpho Cæsaris Africano, donatus est, quanquam expers belli propter ætatem.

Summis tamen Reip. temporibus, inopia iuniorum, minores annis XVII. maioresque annis XLVI. milites lectos in historia legimus. Liuius l. V. Omnium primum Tribunis militum fuit, delectum habere: nec iuniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina

mina dare, vt vrbis custodiam agerent. Et lib. VI. Iustitioq; indicto, delectũ iuniorũ habuit, ita vt seniores quoque, quibus aliquid roboris superesset, in verba sua iuratos centuriaret. & libr. XXII: Delectu edicto, iuniores ab annis XVII. & quosdam prætextatos scribunt. libr. XLII. Nec vlli, qui non maior annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse. Atque hi quidem, qui anno XVII. militabant, Tirones dicti sunt, quod tum primum militiam auspicarentur. quare præcipua etiam cura habebantur in castris, ijsque custodes præficiebantur. Seruius: Romani anno XVII. militabãt, quo etiam solo sub custodibus agebant. Cic. in Cæliana. Nobis quidem olim annus erat vnus, ad cohibendum brachium toga, constitutus; vt exercitatione, ludoq; campestri tunicati vteremur: eademq; erat, si statim mereri stipendia cœperamus, castrensis ratio ac militaris. *ad lib. 7. Virg.*

De vacationibus militaribus.

CAP. V.

NEque verò iuniores omnes, qui ætate essẽt militari, omnibus delectibus quotannis milites scripti sunt: sed ij duntaxat militiæ nomina dare coacti, quos Consules, Tribuniq; ex iuniorum tabulis nominatim citassent: cæteri quãdiu non citarentur, si vellent in illud tempus tacitam quandã militiæ vacationem habuere. Etenim non eosdem omnibus annuis delectibus milites omnes scriptos, videtur significare Liui. lib. VI. Simile veri est, interual-

lis bellorum, ſicut nunc in delectibus fit Romanis, alia atq; alia ſobole iuniorum, ad bella inſtauranda toties vſos eſſe. Hinc Camillus Dictator cum tribunos ſeditionem in vrbe mouentes aliter coercere non poſſet, minatus eſt, ſe ſacramento omnes iuniores adacturum, lib. 6. vt ſcribit Liuius. quaſi vero cæteris ordinarijs delectibus non omnes adigi ſolerent. Ratio quoque idem ſuadet: cum enim vrbano lib. 7. & prope delectu, legiones, vt Liuius ait, conficerentur decem, vix quatuor tamen ad bella educebantur: cæteri verò, vt ante dixi, militiæ vacationem habebant; ita tamen, vt quoties Conſules, Dictatorue iuſſiſſent ſine vlla excuſatione nomina dare cogerentur. lib. 9.

Alia verò fuêre hominum genera, quibus perpetua militiæ vacatio ſic data eſt, vt nullis delectibus nomen darent, niſi præcipuo S. C. aut ſubito aliquo tumultu compellerentur. Harum autem militarium vacationum tria genera fuêre, iuſta, neceſſaria, & honoraria, de quibus alius erit dicendi locus.

Vacationes gratioſas extra ordinem Senatus dabat. Liuius l. XXIII. Senatus Præneſtinis militibus duplex ſtipendium, & quinquēnij vacationem decreuit. & l. XXXIX. S. C. factum eſt vt Conſul cum Tribunis pl. ageret, vt P. Aebutio emerita ſtipendia eſſent, ne inuitus militaret, neue cenſor ei equum publicum aſſignaret. Et l. XLIII. & quorum ante emerita ſtipendia, gratioſa miſſio ſibi viſa eſſet. Cicero de natura deorum, P. Vatienus agro à Senatu, & vacatione donatus.

Sacer-

Sacerdotes etiam lege perpetuam militiæ vacationem habuisse, Gallico tumultu excepto, Plutarchus, & Appianus tradidere. qua ratione ductus Cicero, grauius esse tumultum quam bellum conclusit; quod bello Gallico vacationes valerent, tumultu non valerent. Eam legem latam tertio anno post Romam captam, bello Gallico iterum imminente, scribit in Camillo Plutarchus. Quanquam id multo ante sacerdotum non tam dignitati, quam ætati à Romulo datum, Dionysius narrat. à Romulo enim lege sancitum ait, vt è singulis curijs bini Sacerdotes eligerentur, maiores annis quinquaginta, eosque propter ætatem militia, & propter legem vrbanis negotijs iussit esse immunes. Eâdem militiæ vacationem coloni maritimi habuere, teste Liuio libro XXVII. Colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant.

Plutar. in Marcello
Appi. 2. ci. Phil. 8.
Dion l. 8

Cæteri quoque, si vicarium dedissent, videtur vacationem impetrare potuisse. nam ita loquitur Sp. Liguſtinus apud Liuium. Quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, nec dum ætas vacationem daret: tamen cum quatuor milites pro me vno vobis dare possem, æquum erat me dimitti. Seneca l. IIX. Declam. V. Militaui senex, militaui exsanguis, militaui qui iam vicarium dederam.

lib. 42

Hi ergo militiæ vacationem habuere: non quod ijs bello prorsus interdiceretur, sed hoc tributum est, vt, si minus ire ad militiam vellent, cogi non possent. Itaque sponte

multos augures, multosque Pontifices ad bellum exisse historiæ narrant. Qui tamen extra Italiam primus Pontifex maximus, P. Licinius Crassus Mucianus contra Aristonicum profectus est; is in prœlio interfectus, neglectæ religionis pœnas dedisse visus est. Hanc legem significauit Plutarchus in Fabij vita cũ Crassum, quod erat Pontifex maximus, diuina quadam lege domi detentum narrat. Eodem Liuius libro XXVIII. spectauit. Nominatæ, inquit, consulibus prouinciæ sunt, Scipioni Sicilia extra sortem, concedente collega, quia sacrorum cura Pontificem maximum in Italia retinebat; Brutij Crasso.

Epit. 59. Velleius lib. 2.

Is tamen annus, quo iniussi militabant, nõ numerabatur inter annos legitimos militiæ, quibus quisque lege tenebatur militare. Hinc illud beneficij loco datum scribit Liuius libr. V. Placere omnibus, &c. Contra verò illud ignominiæ fuit, quod idẽ refert l. XXVII. Illis omnibus adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant: addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia præcederent ijs, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis priuatis facerent.

Multos etiam eo anno, quo militare non cogebantur, sponte militiæ nomen dedisse legimus: Neque solum hi, sed etiã qui confecta omnia stipendia habebant, ad bellum sponte sunt profecti, qui omnes propterea voluntarij sunt appellati. Liuius libro III. Cum ad ea bella delectum Coss. edixissent, fauo-

fauore plebis, non iuniores modo, sed emeritis etiam stipendijs, pars magna voluntariorum ad nomina danda præsto fuere. Et libro V. Ad curiam concursus fit plebis, pedestris ordinis se aiunt nunc esse, operamque Reipubl. extra ordinem polliceri. Et mox; Placere omnibus his voluntariam extra ordinem professis militiam, aera procedere. Et libro XXXVII. Ad quinque millia voluntariorum ex Romanis, sociisque qui emerita stipendia sub imperatore P. Africano habebant, præsto fuere exeunti Consuli, & nomina dederunt,

Interdum etiam veterani, emeritisque stipendijs milites, quique honorariam missionem erant consecuti, ab imperatoribus virtutis caussa euocabantur. Qui autem hoc modo ab Imperatoribus rogati ad bellum ibant, euocati dicebantur. Dio libro LXV. ἐκ τούτων ἡ δὴ τῶν ἀνδρῶν, ἃ τὴν ἑκατόνταρχον σύνημα (ἅς ἀνακλήτους αὖ τις ἐκάλουν, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατιᾶς, ἐπ' αὐτῷ ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσθεν) ἐνομίσθη. id est. Ex his hominibus & euocatis cohors constabat (quos euocatos Græce quispiam ἀνακλήτους dixerit) quod militiæ labore iã defuncti, ad eam rursus euocarentur.

Cæsar lib. 3. bel. ciu. euocatorũ duo millia, quæ ex beneficiarijs superiorum exercituum ad eum conuenerant. & lib. 1. Multi vndique ex veteribus Pompeij exercitibus, spe præmiorum atque ordinum, euocantur.

Cicero libro extremo ad Atticum epistola VIII. Octauianus, inquit, veteranos, quique Casilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam. Et apud Liuium lib. XLII. ita loquitur Sp. Ligustinus: à Tito Graccho rogatus in prouinciam iui. Euocabantur autem non solum pedites, sed equites, leuis armaturæ, centuriones, auxilia. Cæsar. lib. I. ciuil. Expeditos ex euocatis sagittarijs, funditoribusque raros in muro disponit. &, Cæsar legiones in Hispaniam præmiserat, ad sex millia auxilia peditum, equitum 3000, quæ omnibus superioribus bellis habuerat, & parē ex Gallia numerum, quem ipse petiuerat, nominatim ex omnibus ciuitatibus nobilissimo ac fortissimo quoque euocato, Sallustius in Iugurthino de C. Mario: Interim quæ bello opus erant, prima habere: postulare legionibus supplementum, auxilia à populis, & regibus, socijsque arcessere: præterea ex Latio fortissimum quemque pleroſque militia, paucos fama cognitos accire, & ambiendo cogere homines emeritis stipendijs secum proficiſci.

Vt autem sacerdotum vacatio tumultu Gallico infirmata est, sic alijs tumultibus aliæ sublatæ sæpe leguntur. Liuius libro VI. Tertius exercitus ex caussarijs, senioribusque à L. Quinctio scribatur, qui vrbi præsidio sit. Et libro XXVII. Colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. Et libro XLII.

Illud

Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ, vt centuriones, militesque veteres scriberet, quos vellet Consul vsque ad annos quinquaginta. Eodem etiam modo pueros senesque ad bellum interdum coactos, supra demonstratum est.

Causas autem vacationum dum delectum habebant, Consules cognoscebant: quod si præsens vrgeret necessitas, earum cognitio post bellum differebatur. Liuius libro III. Cum consules in concione pronunciassent, tempus non esse causas cognoscendi, omnes iuniores postero die prima luce in campo Martio adessent: cognoscendis caussis eorum, qui nomina non dedissent, bello perfecto se daturos tempus: pro desertore futurum, cuius non probassent caussam.

Interdum tamen milites cum à Consulibus vi cogerentur ad bellum, Tribunos pl. appellarunt. Liuius libro XXXIV. Cum milites, qui in legionibus vrbanis erant, Tribunos pl. adijssent, vti causas cognoscerēt, quibus aut emerita stipendia, aut morbus caussa esset, ne militarent, &c. Et li. XXXVI. Cum cogerentur in classem coloni maritimi Tribunos pl. appellarunt. Et libr. XLII. Cum Tribuni militum Centuriones, sed primum quemque vocarent; tres & viginti Centuriones, qui primos pilos duxerant, citati, Tribunos pl. appellarunt. duo ex collegio M. Fuluius Nobilior, & M. Claudius Marcellus ad Con-

ad Consules reijciebant: eorum cognitionem esse debere, quibus delectus, quibusq; bellum mandatum esset.

Censores etiam dum censum agebant, eorum, qui non militassent, causas cognouerũt: ac singulos, quot annos, quibusque Imperatoribus militassent, interrogabant: quorum autem causam non probassent, eos pro arbitrio ignominia notarunt, vt in Gracchorum & Pompeij vita Plutarchus narrat. Itaq; dicitur Pompeius Cos. 1. ad Lentulum & Gellium censum in foro agentes, equum manuducens venisse; atque ab ijs interrogatus, vtrum legitima stipendia omnia confeciſſet, respondisse, legitima à se omnia stipendia se imperatore confecta habere. Liuius l. XXIIII. Neque senatu modo, aut equestri ordine regẽdo, cura se censorum tenuit, nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio nõ militassent, quibus neque vacatio iusta militiæ, neq; morbus causa fuisset, & ea supra duo millia hominum in ærarios relata, tribuque omnes moti. Et libr. XLIII. In censu accipiendo populi, milites ex Macedonico exercitu, qui quam multi abessent ab signis, census docuit, in prouinciam cogebant: causas stipendiorum missorum cognoscebant: & cuius nondum iusta missio visa esset, ita iusiurandũ adigebant; Ex tui animi sententia, ex edicto C. Claudij. T. Sempronij censorum, in prouinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris?

Interdum etiam vacationum causas Senatus

tus cognouit. Liuius libr. XXVII. Colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. quibus recusantibus, edixere in diē certam, vt quo quisque iure vacationem haberet, ad Senatum deferret.

De ijs, qui à militia reijcerentur.

CAP. VI.

ATque hæc quidem hominum genera, legis beneficio, ita vacarunt, vt ad militiam si vellent, exire non prohiberentur: Alii autem fuere, quos leges omnino à militia reiecere. Romani enim, vt rei bellicæ honorem conseruarent, id curarunt maxime, ne eos milites legerent, quorum lectione militaris gloria fœdaretur. Hinc illud Senecæ epistola XLIV. Castra quoque, inquit, quos ad laborem & periculum recipiunt, fastidiosè legunt. In legione enim Romana nulli nisi ingenui, & ex ingenuis, nisi in classibus quinque censerentur, & turpis artis essent expertes, merere potuerunt. Ex quo sequitur seruos, libertinos, histriones, opifices, sellularios, nec non proletarios, & capite censos, qui in sexta classe censebantur, omnes à militia fuisse reiectos: nisi si aliquando præsens necessitas in dubiis Reipubl. rebus hos etiam ad arma vocare coegerit. Ac seruos quidem omni militia exclusos docet Marcianus de re militari: Ab omni, inquit, militia serui prohibentur; alioqui capite puniuntur, & Seruius ad illud Virgilii l. x, *L. XLIX Big. leg. 14.*

Mæonio

Mæonio Regi, quem serua Lycimnia furtim
Sustulerat, vetitisq; ad Troiã miserat armis.

Cicer. pro Deiotaro. Serui, inquit, à militia prohibebantur, vnde in Deiotariana purgat hoc Cicero, cum fuisset obiectum inter equites, quos Deiotarus miserat Cæsari, vnum seruum fuisse. seruios sanè nunquam militasse constat, nisi seruitute depositâ, excepto Hannibalis tempore, cum post Cannense prœlium in tanta necessitate fuit vrbs Roma, vt ne liberandorum quidem seruorum daretur facultas. Hæc Seruius. Quod autem ait bello Punico secundo seruos militasse, id etiam narrat Liuius libro XXII. Aliam, inquit, formam noui delectus, inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit octo millia iuuenum validorum, ex seruitijs prius suscitantes singulos, vellent ne militare? empta publice armauerunt.

Eadem libertinorum condicio fuit, vt militia omni prohiberentur. Hinc Liuius illud tanquam contra morem factum notauit li. X. Senatus, inquit, iustitium indici, delectum omnis generis hominum habere iussit: nec ingenui modo, aut iuniores sacramento adacti sunt; sed seniorum etiam cohortes factæ, libertiniq; centuriati. Libertinis tamen, bello Marsico, propter ingenuorum inopiam, legitimam militiam concessam fuisse, legitur in epitoma LXXIV. & apud Appianum, Macrobiumque li. 1. Saturnal.

Neque serui modo & libertini à militia reiecti, sed etiã Proletarij, & Capitecensi, quos in

in sexta classe censos fuisse diximus. Cum enim ij minimi essent census, aptos eos ad militiam non iudicarunt, propterea quod, vt scribit Gellius, res pecuniaq; familiaris, obsidis vice pignorisq; apud Remp. amorisq; in patriam fides quædam firmamentum q; esse videretur. Proletariorum tamē ordo honestior aliquanto & [illegible] & nomine quam Capitecensorum fuit. nam & asperis Reip. temporibus, cum iuuentutis inopia laboraretur, in militia scriptos legimus: & non capitis censione, sed prosperiore vocabulo à munere, officioque prolis edendæ sunt appellati; quod, cum re familiari parua minus possent Remp. iuuare, sobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentarent. Proletariorum tamen census fuit æris mille quingentum: capite autem censorum æris trecentum septuaginta quinque, qui quoniam non ex censu, qui nullus, aut tenuissimus fuit, sed ex capite describebantur, capitecensi appellati sunt. Hinc D. Augustinus lib. III. c. XVII. ciuit. Tum vero tam multa vndiq; bella crebruerūt, vt inopia militum, Proletarij illi, qui eo quod proli gignendæ vacabant, ob egestatem militare non poterant, hoc nomen acceperant, conscriberentur. Capite tamen censos primus C. Marius bello Cimbrico, siue, vt Sallustius ait, bello Iugurthino, milites delectu scripsisse traditur. qua de re ita scribit Valerius l. II. c. I. Laudanda etiā, inquit, populi verecundia est, qui impigrè se laboribus & periculis militiæ offerendo, dabat operā, ne imperatoribus capite censos sacramēto rogare

lib. 16. c. 10.

rogare esset necesse, quorum inopia suspecta erat: ideoque his arma publica non committebantur. Sed hanc diutina vsurpatione firmatam consuetudinem, C. Marius capite censum legendo militem abrupit. Eadem in vita Marij Plutarchus, & Gellius l. XVI. narrant.

Ex ceteris vero classibus illos etiam, qui turpe aliquam arte exercerent, militia sunt prohibiti. quo numero opifices, sellularij, & histriones, præter Attellanos continentur. Nam vt Dionysius libro secundo, & nono scribit, Romulus artes omnes sellularias Romanis interdixit. Hinc Liuius l. VIII. Mamercus, inquit, cui Gallicum bellum euenerat, iussus scribere exercitum sine vlla vacationis venia, quin opificum quoque vulgus, & sellularij, minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur. Et de Histrionibus libr. VII. initio. Eo institutum manet, vt actores Attellanarum, nec tribu moueantur, & stipendia, tanquam expertes artis ludicræ faciant. Legebantur enim fere milites ex rusticis, quod ij præ ceteris ad labores militiæ perferendos durati viderentur: atq; olim ab aratro ad dictaturas & consulatus ipsi duces accersebantur. Hinc Cato initio de re rustica. Ex agricolis, inquit, & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur. Et Seneca epistola LIV. Nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. Cicero pro Archia: Nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites. Et in epistola ad Brutum: Deniq; homines rusticos, sed fortissimos viros, ciuesque optimos dementes fuisse

fuisse iudices, primum milites veteranos, deinde legionem Martiam. Vegetius quoque nō aliunde: quam ex agris milites legendos præcipit l. 1. c. III. de re milit.

Criminis etiam alicuius publici infames aut rei à militia reiectos, veteres iurisconsulti, tradunt. Hinc illud Liuij de delectu post Cannensem pugnam à M. Iunio Dictatore habito: Ad vltimum prope, inquit, desperatæ Reipub. auxilium, cum honesta vtilibus cedunt, descendit, edixitque qui capitalē fraudem ausi, quique pecuniæ iudicati in vinculis essent; qui eorum apud se milites fierent eos noxa pecuniaq; se exsolui iussurum: Menāder libr. XXIX. Dig. de re militari, in hoc genere numerat in exilium relegatos; ad bestiaś, rei capitalis, adulterij, & aliquo iudicio publico, infamiaq; perpetua damnatos: cum ignominia semel dimissos: quique habēs litem, militiæ se dedisset, vt aduersario se pretiosiorem faceret. Vlpianus addit etiam eos, qui redempti sunt ab hostibus, priusquam se luant. *lib. 23.* *Leg. 4.* *Leg. 8.*

Dio l. LX. Milites, ait, lege prohibitos vxorem habere: quod idem aliquibus in locis tradit etiam Tertullianus, sed aut ij falluntur, aut de posterioribus temporibus loquuntur, perpetua militia iam instituta, tunc enim militibus vxores habere interdictum est, quod tamen postea Seuerus Imp. cōcessit, vt scribit Herodianus l. 3. Stante enim Rep. milites vxores habuisse: cum alia multa sunt argumento, tum illa, quibus imperatores milites pugna-

Liuius li. 21. turos excitabant, cum ipsos pro vxoribus liberisque pugnare in memoriam reuocabant. Hinc illa P. Scipionis patris ad milites in prœlio, quod cum Hannibale commissum est; Vnusquisque se non corpus suum, sed coniugem, ac liberos paruos armis protegere patet. Et apud eundem Liuium, Sp. Ligustinus vxore liberisque susceptis ad bella plurima se profectum gloriosè narrat. Cæsar l. 7. conclamant equites sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad vxorē aditū babeat, qui non bis per hostium agmen perequitasset.

Lib. 42.

Non licuit tamen in militiam ducere vxores. Hinc Virgilius de Antonio, qui secum in prœlium Cleopatram duxit.

Sequiturq́, (nefas) Aegyptia coniux.

Et propertius lib. 4. eleg. 3.

Romanis vtinam patuissent castra puellis:
Essem militiæ sarcina fida tuis.

D. Hieronymus ad Oceanum; Nemo miles cum vxore pergit ad bellum. Isidorus l. 9. Castra dicta esse scribit quasi Casta; quia illic castraretur libido : nam nunquam his intereat mulier. Pompeius è Pharsalicis campis remouet vxorem charissimam & in Lesbo condit.

De Sacramento militari. CAP. VII.

DElectu perfecto, reiectisq́; ijs, qui ad militiam idonei non viderentur, ceterorum autem cognitis vacationum caussis, Tribuni militum, vt scribit Polybius, suos quisque in suas legiones vocantes, vnum ex omnibus

Lib. 6.

mnibus maxime idoneum lectum, iureiurando obstringebant, se quoad posset, mandata ducum exsecuturum. Quod iurisiurandum Sacramentum appellarunt, Liuius lib. VII. Dictator omnes iuniores, nullo detractante militiam, sacramento adegit, & li. IX. Is, prout rei magnitudo postulabat, omnes iuniores Sacramento adegit. Primi videntur iurasse Legati, tum Tribuni, deinceps centuriones, militesq;. Cæs. l. 1. ciuil. Fit celeriter concursus in prætorium, postulat vt iurent omnes se exercitum, ducesq; non deserturos. Princeps in in hæc verba iurat ipse: ad idem iusiurandum adigit Afranium, subsequuntur Tribuni militum, centurionesque centuriatim producti, milites idem iurant. & lib. 3. Princeps Labienus procedit, iuratq; se eum non deserturum, eundemque casum subiturum, quemcunque fortuna tribuisset: hoc idem reliqui iurant legati, hos tribuni militum, centurionesque sequuntur, atque idem omnis iurat exercitus.

Quanta autem Sacramenti vis & religio fuerit, Seneca ostendit epistola XCVI. Primum militiæ vinculum est religio, & signorum amor, & deserendi nefas: tunc deinde facile cetera exiguntur, mandanturque ad iusiurandum adactis. Huius rei multa & præclara exempla in historijs leguntur. apud Dionysium enim libro VI. ita scriptum est; Senatus plebis seditionem dissijcere volens, vetuit Consules exercitum dimittere: habebat enim in potestate legiones, quod Sacramento tenerentur, nec possent signa

deserere: tanta erat in vnoquoque iurisiurandi religio. Et lib. xi. Virginius, inquit, ex ira & quia nihil duces amplius timeret, arrogantius eos carpebat, luem eos, & exitium vocans patriæ, suadensque omnibus, vt signa tollerēt, ducerentque domum exercitum, horrentibus autem multis sacra mouere signa; neque tutum, neque sanctum esse existimantibus omnibus duces relinquere ob sacramentum militare, quod maxime omnium seruant Romani (iubet enim militantes sequi ducem, quocunque ducat; lexque ducibus potestatem dedit occidendi non parentes, relinquentesue signa, indemnatos & indicta causa) videns eos Virginius hæc pauentes, inque religionē trahentes, docebat legem soluisse eis sacramentum; quandoquidem oporteret, creatum ducem ex lege legionibus imperare. Liuius lib. III. Iam primum omnium Quinctius inquit, Quirites, in Volscos, & Aequos mihi, atque collegæ legiones ducere in animo est, tum tribuni eludentes velut vana dicta, persequi quærendo, quonam modo exercitum educturi Consules essent, quos delectum habere nemo passurus esset, nobis vero, inquit Quinctius, nihil delectu opus est, cum quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba iurauerint: conuenturos se iussu consulis, nec iniussu abituros. Cauillari tum tribuni, & populum exsoluere religione velle; priuatum eo tempore Quinctium fuisse, cum sacramento adacti sint. sed nondum hæc; quæ

nunc

nunc tenet sæculum, negligentia Deûm venerat, nec interpretando sibi quisque iusiurandum, & leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat. Sacramentum quomodo solueretur, videtur indicare Cæs. libr. 2. Ciuil. in oratione Curionis, sacramento vos tenere qui potuit, cum proiectis fascibus, & depositio imperio priuatus & captus ipse in alienam venisset potestatem. Relinquitur noua religio vt eo neglecto sacramento, quo tenemini, respiciatis illud, quod deditione ducis, & capitis diminutione sublatum.

Militaris sacramenti vim illud etiam ostendit, quod sine sacramento pugnari cum hoste nefas esse existimabant. Id vero multis verbis & Catonis in primis testimonio docet Cicero libro 1. officiorum. P. Aemilius, inquit, imperator tenebat prouinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. cum autem P. Aemilio videretur vnam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit: sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato, ad P. Aemilium scripsit, vt, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento, quia priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat. M. quidem Catonis senis epistola est ad Marcum filium, in qua scripsit, se audisse, eum missum factum esse à Consule, cum in Macedonia Persico bello miles esset: monet igitur, vt caueat, ne prœlium ineat: negat enim

ius esse ei, qui miles non sit, pugnare, cum hoste: Hæc Cicero. Huius autem rei causas aliquot reddere conatur Plutarchus in quæstionibus Romanis. Quæst. 28

Porrò iurisiurãdum ita cõcipiebatur. Miles quem Tribuni milit. elegissent, gladio stricto, tota legione audiente, suam fidem testans, iurabat, se quoad posset, omnia mandata ducum esse facturum. id enim patrium ac sanctissimum iusiurandum Romanis fuisse grauis auctor docet Dionysius lib. 9. Marcellinus libro XXI. Iussique vniuersi in eius nomen iurare solemniter, gladijs ceruicibus suis admotis, sub execrationibus diris, verbis iurauere cõceptis, omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit perlaturos. Id autem dicebatur in verba Imperatoris iurare. nam quod Liuius ait libr. 28. Citati milites nominatim apud tribunos mil. in P. Scipionis verba iurarunt. Polybius lib. XI. eandem rem exponens, iurasse dicit se mandatis ducum obtemperaturos.

Illud etiam in iure iurando quidam tradũt obseruatum, vt pollex attolleretur, multosque ne ad militiam compellerentur, eum sibi digitum præcidisse. Ego tamen non propter iusiurandum, sed quia præciso pollice, gladium commode stringere non possent, à militia reiectos puto. Suetonius in Augusto, cap. XXIV. Equitem Rom. quod duobus filijs adolescentibus caussa detrectandi Sacramenti, pollices amputasset, ipsum, bonaque subiecit hastæ. & Marcellinus libr. XV. in ex-

in extremo de Gallis; Ad militandum, inquit, omnis ætas aptissima, nec eorum aliquando quisquam, vt in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi præcidit; quos ioculariter Murcos appellant, hæc ille. Murci autem, qui sibi pollicem amputauerant, ideo videntur appellati, quod Murcia Dea haberetur ignauorum, vt Arnobius lib. IV. & D. Augustinus libro item IV. ciuitatis, tradidere.

Vbi igitur miles, quem primum Tribuni elegerant, hoc modo iurauerat, tum ceteri omnes deinceps milites singuli, vt ait Polybius ad Tribunum accedentes, in primi verba iurãtes dicebant, Idem in me. Festus, Præiurationes facere dicuntur ij, qui ante alios conceptis verbis iurant, post quos in eadem verba iurantes tantummodo dicunt. Idem in me.

Atque hæc quidem stante Republ. in militari Sacramento videntur obseruata. Posterioribus temporibus addita n[illegible]lla significat Vegetius libro II. cap. V. [illegible]nter, inquit, lectis iunioribus, animis corporibusque præstantibus, additis etiam exercitijs quotidianis, quatuor vel eo amplius mensium, iussu auspicijsq; inuictissimi Principis legio informatur. Nam victuris in cute punctis milites scripti, & matriculis inserti iurare solent, & ideo militiæ Sacramenta dicuntur. Quibus verbis significat impressa signa aliquot militibus Sacramento iam adactis[illegible] etiam libro primo, capite octauo. Sed non statim punctis signorum scribendus est tiro delectus. Impressa autem militum ma-

nibus, brachijsve puncta siue stigmata docet Aetius στίγματα, inquit, καλοῦσι τὰ ἐπὶ τῶν προσώπων, ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, οἷα τῶν στρατιωτῶν ἐν ταῖς χερσίν. id est, Stigmata vocant, quæ in facie, aliaue corporis parte inscribuntur, qualia sunt, quæ militum manibus imprimuntur. Et Cod. de Fabricensibus lege III. quæ est Arcadij & Honorij: Stigmata, hoc est, nota publica, Fabricensium brachijs ad imitationem tironum infligantur, vt hoc saltem modo possint latitantes agnosci. Videtur autem inscriptum nomē Imperatoris: sic enim scribitur Cod. de Aquæ ductu lege penult. quæ est Theodor. & Valēt. Aquinarios, singulis manibus eorum felici nomine pietatis nostræ impresso, signari decernimus, vt huiusmodi annotatione manifesti sint omnibus, quod si quem ex ijsdem Aquinarijs mori contigerit, eū nihilominus, qui in locum defuncti subrogatur, signo eodem notari præcipimus, vt militiæ quodam modo sociati, excubijs aquæ custodiendæ incessanter inhæreant. Huius etiam moris pluribus meminit D. Augustin. libro II. contra Parmē. cap. XIII.

l. 2. c. 5. Militum deinde nomina, qui sacramēto essent adacti, in matriculam, vt Vegetius ait, referebantur, adscriptis notis, quibus viui defunctiq; rescirētur. Isidor l. 1. c. XXIII. In breuiculis quoq;, inquit, quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, quæ inspiceretur, quanti ex militibus superes-

pereſſent, quantique in bello cecidiſſent. T nota in capite verſiculi poſita, ſuperſtitem deſignabat. Θ verò ad vniuscuiuſque defuncti nomen apponebatur. Cum autem pueritiam ſignificare vellent, A litera vſi ſunt. Hæc Iſidorus. Hinc dare nomina, & ſcripti milites Liuius lib. VII. Ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente deleretur. Iſidorus lib. IX. Conſcripti milites dicuntur, quia in tabulas conferuntur ab eo, qui eos ducturus eſt.

Neque tamen omnes illico milites videntur ſcripti, & in numeros relati, niſi poſt expletum anni tirocinium. Vegetius lib. 1. c. VIII. Non ſtatim, inquit, punctis ſignorum inſcribendus eſt tiro delectus; verum ante exercitio prætentandus, vt vtrum vere tanto operi aptus ſit, poſſit cognoſci. Et Vlpianus de militari teſtamento lege XLIII. Ex eo, inquit, tempore quis iure militari incipit poſſe teſtari, ex quo in numeros relatus eſt: proinde qui nondum in numeris ſunt, licet etiam electi tirones ſint, & publicis expenſis iter faciant, nondum tamen milites ſunt: debent enim in numeros referri. Hæc ille. Videntur enim tirones annum vnum ſub cuſtodia alicuius conſanguinei fuiſſe: deinde in numeros relati, milites vocari cœpiſſe. Plautus in Moſtellaria act. 1. Sc. 2. Ad legionem quum itant, adminiculum eis dant, tum iam aliquem cognatũ ſuum, eatenus abeunt à fabris, vnum vbi emericum eſt ſtipendium. Et Seruius ad lib. VII. Virgilij. Romani, inquit, poſt

pubertatem exercebantur,& XVII. anno militabant ; quo etiam solo sub custodibus agebant.

Addita est etiam posterioribus temporibus præcinctio, cuius, militarisque cinguli tam frequens mentio reperitur. Paulus de militari testamento lege XXXIX. Miles non ignominiæ causa missus, rursus cinctus est in alia militia. Papinianus ibidem lege XLIV. Filius familias equestri militia exornatus, cingi cõfestim iussus, testamentum de castrẽsi peculio facere potest. Militibus scriptis & sacramento adactis, Tribuni, vt scribit Polybius, locũ diemque edicebant, quo sine armis omnes adessent, interea eos dimittebant. Vbi autem ad diem dictam omnes conuenissent, Tribuni gradus, ordinesque legionis diuidebant, qua de re actuque differo; pauca de ipsa legione generatim dicenda sunt.

LIBER

LIBER TERTIVS.

De Legione, eiusq; magnitudine. CAPVT I.

ROMANVS omnis exercitus tribus generibus militum constitit, equitibus, peditibus legionarijs, & peditibus leuis armaturæ, victis autem nationibus, & prouincijs Rom. imperio adiunctis externa etiam sociorum auxilia addita sunt. de quibus omnibus singillatim ordine differemus: nunc de ipsa legione vniuerse dicendum.

Legionem primus Romulus instituit, eāq; vt cum Varrone Plutarchus, alijq; omnes scribunt, à fortissimorum militum delectu nominauit, tamque propria Romanorū legio fuit, quam aut Macedonum phalanx, aut cæteruæ Gallorum. *Var. l. 4. & 5. de ll. & l. 3. de vita pr. apud Non. Plut. in Romulo.*

Militum in legione numerus non idem omnibus temporibus fuit. Romulus enim initio legionem trium millium scripsit, peditibus ex singulis tribubus Ramnensiū, Tatiensium, & Lucerum mille delectis, vt Varro & Plutarchus narrant. Varroni etiam militum nomen inde ortum videtur, quod singulæ tribus millia singula militū ad bellum mitterent. Ab eodem Romulo geminatam legionē, victis Antemnatibus & Cæninensibus, ac sex millium factā, videtur significare Dionysius: *Veg. l. 2. cap. 2. Isid. l. 9. lib. 4. de ll. Dio. ll. 4.*

Plutar-

Plutarchus quidem diserte id narrat, receptis iam ciuitatem Sabinis. Quod mihi tamen probabile non sit : eosque potius scriptores non auctum in vna legione militum numerũ ; sed abundante multitudine binas ex vna legiones ternum singulas milliũ esse conscriptas, significare voluisse crediderim. Quod si omnino auctam à Romulo legionem fateri volumus, eam ad quatuor millia redactam esse verosimilius puto, quæ ex eo quadrata legio sit, auctore Festo, appellata. hoc enim numero, atque ad sua tempora legiones ordinarie scriptas grauis auctor Polybius testatur : aut cum maius aliquod periculum instaret, quinque millium.

v. Sex. millium.

Per belli autem Punici secundi tempora & deinceps, quinum millium peditum legiones frequentari sunt cœptæ: hinc Liuius lib. XXII. Numero quoque peditum equitumq; legiones auctas, millibus peditum, & centenis equitibus in singulas adiectis, vt quina millia peditum, trecenti equites essent. Et lib. XLII. Id præcipue prouinciæ Macedoniæ datum, quod cum alterius Consulis legionibus quina millia, & duceni equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones; in Macedoniam sena millia peditum scribi iussa, Appianus quoque in historia Hannibalis, Romanam legionem, quam ille τὸ τέλος appellat, bello Punico secũdo, peditum quinque millia, equites trecentos habuisse narrat.

Primus C. Marius, auctore Festo, legionem sex millium ducentorum hominum conscri-

v. Sex. millium.

pſit

pſit, quod ſic eſt intelligendum, vt is primus ordinarium in legione numerum ſenum millium ac ducenorum peditum fecerit : cum antea niſi extra ordinem, graui aliquo cogente periculo, ad eum numerum legiones non augerentur. Atque id etiam à Mario ſine S. C. factum Salluſtius in Iugurthina oſtendit; Marius, inquit, cum aliquanto maiore numero, quam decretum erat in Africam profectus; ex eo igitur tempore legiones ſenis millibus peditum ordinariæ eſſe cœperunt ; neque tamen is numerus poſt Marium ſtatim frequentatus eſt, nam bellis ciuilibus legiones adhuc quinque millibus ſcribebantur.

Illud quoque noſſe operæ precium videtur eſſe, in legione nullum, niſi ciuem Romanum meruiſſe. hinc Hiero apud Liuium, lib. XXII. dixit, Milite atque equite ſcire ſe niſi Romano, Latiniſque nominis non vti populũ Rom. leuium armatorum, auxilia etiam externa vidiſſe. Et Feſtus, V. Municeps. Seruius filius municipis aiebat initio fuiſſe, quia ea conditione ciues Romani fuiſſent, vt ſemper remp. ſeparatim à populo Rom. haberent : Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui neque ciues Romani erant, & in legione merebant, ſed dignitates non capiebant.

Scribebantur autem quotannis legiones ferè quatuor, quæ duobus conſulibus ad bella prope quotidiana exeuntibus traderentur : tantumque valuit ſiue virtus, ſiue exercitatio, vt contra quemcunque hoſtem vnus Conſul cum duabus legionibus, auxiliiſque ſufficere puta-

putaretur: maximusque ille exercitus est habitus, cum duo Consules coniunctis copijs ad bellum proficiscerentur, id quod libro III. Polybius, & Vegetius li. II. cap. IV. & libro III. cap. I. tradidere. Quod si plura bella exorta essent, plures duces cum pluribus legionibus mittebantur. Hinc Liuius li. XXIV. Duodeuiginti legionibus bellum geri placuit. Hic vt numerus legionum expleretur, sex nouæ legiones erant scribendæ, eas primo quoque tempore Consules scribere iussi. Et li. XXV. summa trium & vigiuti legionum eo anno effecta est.

lib. 38.

Ipsę porrò legiones ab ipsius delectus ordine, Dione teste, nominabantur, vt quæ primo loco scripta esset, prima diceretur, & secunda, quæ secundo, atque ita deinceps, aut à locis, vbi stationes habebant. Hinc legiones Germanicæ, Pannonicę, Britannicę passim inueniuntur, aut à ducibus: vt Augusta, Claudia, &c. Dio l. V. aut denique ab alijs euentibus: vt legio Martia apud Ciceronem in Philippicis, Rapax apud Tacitum li. II. Historiarum. Victrix, Ferrea, Fulminifera apud Dionem, li. 55. atque aliæ apud alios leguntur. Atque de legione quidē, eiusq; magnitudine hactenus: deinceps eius ordines videamus.

De Peditum legionariorum ordinibus.
CAP II.

IN Romana legione quatuor hominum genera fuêre, non solum ætate, censu, bellandique

diq́ue scientia; verum etiam armis, pugnandiq́ue ordine maxime inter se diuersa. Scribebantur enim milites, Tullij regis instituto, ex quinque classibus, atque pro census amplitudine, & arma, & in pugna locus decernebantur. Hinc Seneca, Census in castris ordinem promouet. Qui enim ætatis censusq́; minimi fuêre, ij, teste Polybio, in velites (sic enim προσφομάχους interpretari posse videmur) delegebantur: qui verò ijs proximi essent, in hastatos: ætate præstantes in Principes, omniũ maximi in Triarios. *libr. 2. contr. 1.*

Militum aũt ætatis cuiusque numerus, pro legionis magnitudine alius alijs temporibus fuit. Cum enim legio quatuor millibus & ducentis scribebatur (quod ferè Polybij tempore obseruatum est) Triarij in legione fuere sexenti: Principes, Hastati, Veliteśq; singuli, milleni duceni. Quod si plurium militum legio esset, singulæ ætates proportione augebãtur, exceptis Triarijs, qui eodem semper numero permansere.

Singulæ deinde ætates, vt idem Polyb. ait, decem in partes distribuebantur, præter Velites, qui ad omnes illas partes ęqualiter adiungebantur. Cuius diuisionis Romulum facit auctorem Ouidius lib. III. Fastorum.

Hastatos instituit q̃, decem.
Et totidem Princeps, totidẽ Pilanus habebat
Corpora.

Pilani enim ijdem, qui Triarij, Varrone teste. Has partes Romani generali vocabulo Manipulos videntur appellasse. Liuius enim *libr. 4. de ll.*

lib.

lib. X. Manipulum nominat Hastatorum, & l. XXV. Manipulares primi principis, & libr. XXVII. Manipulum primi hastati, proprio tamen nomine in Triarijs ita vocabantur, Primus pilus, secundus primus pilus, tertius primus pilus, & deinceps vsquè ad decimum primum pilum. In Principibus autem, primus princeps, secúdus princeps, vsque ad decimũ. In Hastatis verò, primus hastatus, secundus hastatus, item vsque ad decimum hastatum. Liuius libr. VIII. in Triariis ordinem vnumquemque primum pilum vocatum ait, & mox: Duo primi pili inquit ex vtraque acie inter Triarios erant. Et libr. VII. septimi primi pili meminit: libro autem XXV. secundi hastati, & lib. XLII. primi & decimi ordinis hastati, primíque principis mentionem facit. Cicero etiam in epistola ad Brutum octauum principem nominat.

l 1. ep. 8.

Singuli porrò manipuli, vt Polybius ait, in dextram & sinistram partem diuidebantur: quæ partes, centuriæ videntur à veteribus nominatæ: Centuriones enim singulos singulis partibus præfuisse, idem Polybius ait, dextramque sinistra fuisse honoratiorem. Hinc Sp. Liguſtinus gloriatur, sibi à M. Porcio Cos. primum hastatum prioris centuriæ, & à M. Acilio primum principem prioris centuriæ fuisse assignatum.

Liu. l. 48.

Cum autem cohortes instituendæ erant, ex tribus ex manipulis vno Hastatorum, altero Principum, tertio Triariorum, velitibus adiunctis fiebant. Cæsar in lib. 3. ciuil. in prima co-

ma cohorte, priorem principem centurionem nominat. Varro li. IV. de lingua latina: Cohors, quod, vt in villa ex pluribus tectis coniungitur ac quiddam fit vnum; sic hæc ex manipulis pluribus copulatur. Tacitus libro I. Ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque, cuius manipularis erat, cohortem; legionem. Liuius libro XXII. Noua de integro pugna orta est, non illa ordinata per principes, hastatosque ac triarios, nec vt in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset. Ex quo intelligitur verum illud esse, quod ex Cincio tradit Gellius libr. XVI. cap. IV. In legione centurias sexaginta, manipulos triginta, cohortes decem fuisse. Decem autem fuisse in legione cohortes, in epistola Galbæ ad Ciceronē significatur. is enim cum legionem Martiam, & cohortes prætorias duas obuiam Antonio processisse dixisset; hæc statim addidit: Acies est instructa à nobis duodecim cohortiū. Et eadem epistola viginti cohortibus ab Hirtio Antonij copiæ deletæ dicuntur, quas Cicero Philippica XIV. legiones duas fuisse ait, quartam & septimam. Cæsar etiam libro VI. in tribus legionibus cohortes indicat fuisse triginta, cum Labienum, quem antea tres legiones habere dixerat, mox, quinque cohortium præsidio impedimentis relicto, cum vigintiquinq; cohortibus in hostem profectum esse scribit. Et lib. VII. Quinque cohortes, quas minimè firmas ad dimicandum esse existimabat, castris præsidio relinquit: quinque eiusdem legionis

epist. 30. l. 10. fam.

reliquas proficiſci imperat. Idem libro I. de bello ciuili, Domitio ait fuiſſe Corfinij cohortes amplius triginta, quæ, vt ex Oroſio cognoſcitur, legiones fuêre tres. Velleius quoq; libro poſteriore, trecentas cohortes, triginta legionum inſtar fuiſſe narrat.

Militum porro in cohorte numerus, non idem omnibus tẽporibus fuiſſe videtur. Hinc Sallaſtius in Catilinaria, Duas, inquit, legiones inſtituit: cohortes pro numero militum complet. Extremis autem temporibus cum legio quinque millia peditum habuit: cohortes ex quingentis militibus conſtabant, quod ex Cæſare, Valerio, Plutarcho & Appiano intelligitur. Valerius enim duas Camertiũ cohortes à C. Mario ciuitate donatas ſcribit libr. V. capite de Gratis. hos Plutarchus in vita Marij & Apophthegmatis Camertes mille fuiſſe dicit. Cæſar etiam libro III. de bello ciuili in centum & decem cohortibus millia ineſſe dicit quinque & quinquaginta, quæ ſumma non conuenit, niſi quingenti in cohorte ponantur. Plutarchus vero in Pompeij Cæſariſque vitis, Cæſarem narrat in Pharſalica pugna extrema ex acie ſex cohortes detraxiſſe, quæ tria millia fuiſſe ſcribit Appianus libr. II. Ex quo mendum ſubeſſe in Cæſare videri poteſt, cum libro tertio belli ciuilis ita legitur; ex tertia acie ſingulas cohortes detraxit: ac forte ſcribendum, ex extrema acie ſenas cohortes detraxit. Cohortes ipſius legionis, cohortes centuriatę videntur appellatæ, vt ab ijs cohortib. diſtinguãtur, quæ extra legionẽ, auxi-

auxiliorum & subsidiorum causa, in exercitu fuêre. Cæsar libro I. ciuil. cohortibus centuriatis subsidio missis. & legionariæ quod in legione numerarentur. Cæsar l. I. ciuil. crebras stationes disponũt equitũ & cohortium alariarũ, legionariasq; interijciunt cohortes.

Tot igitur fuêre in legione Romana peditum genera, ordinesque; quorum omnium Romulus auctor videtur fuisse, nam ab eo legionem in centurias, manipulosque hastatorum, principum, & Triariorum distributam Ouidius & Plutarchus tradidere. De cohortibus nonnulla est dubitatio. quidam enim negant cohortem ordinariam fuisse legionis partem, sed tum à duce fieri solitam, cum pugnæ tempus instaret: eiusq; rei illud esse argumento, quod à Polybio, cum legionem tribuit in partes, ne nominetur quidem. Ego tamen cum in omni historia non solum in pugna, sed etiam extra pugnam cohortium mentionem inueniam, cogor existimare cohortis vsum in legione ordinarium fuisse. Cæsar lib. VII. Postridie cũ duabus legionibus in occulto restitit: reliquas copias cum omnibus impedimẽtis, vt cõsueuerat, misit, demptis quibusdam cohortibus vti numerus legionũ cõstare videretur. De cohortibus prima, ni fallor, mentio fit apud Liuiũ anno II. post reges exactos: sic enim scribit l. II. Consulũ alter T. Lucretius porta Næuia cum aliquot manipulis militũ egressus: ipse Valerius Cœlio mõte cohortes electas educit. At Polyb. non meminit, nimirũ quia in explicandis cohortibus *Man. epi. 30. li. 10. fam.*

noua diuisione, præter eam quam dixerat, opus non fuit, cum ex tribus manipulis hastatorum, principum, & triariorum fierent; neque vllus ijs præcipuus magistratus præesset. Neque tamen omnino nulla à Polybio de cohortium partibus mentio facta est. nam cum velites, hastatos, principes, triariosque, decem in partes tributos esse dixisset, quamlibet partem τάγμα, σπεῖραν, & σημαίαν dicit appellatam; videlicet prout varie inter se partes illæ componerentur. σπεῖραν autem idem Polybius libro XI. cohortem dicit à Romanis appellatam.

Illud autem in hoc genere magna admiratione dignum videtur, quid causæ sit, cur in describendis classibus à Tullio institutis, nulla neque Triariorum, neque Principum, neq; Hastatorum, Velitumve à Liuio & Dionysio mentio fiat: quorum tamen postea frequentissima mentio in historia reperitur. Hunc nodum soluere haud facilè videtur, nisi forte quis dicat mutatam à Tullio Romuli militiam, vt non iam per Triarios, & Hastatos, sed ex censu legio diuideretur: atque iterum post Tullij mortem rem ad primam Romuli diuisionem redijsse. quæ mutatio, quoniam minima fuit, vere potuit dicere Liuius libro VIII. Disciplina militaris, iam inde ab initijs vrbis tradita per manus, in artis perpetuæ præceptis ordinatæ modum venerat: ita reges gesserant bella, ita deinde regum exactores Iunij, Valerijque, &c. quibus verbis significat nunquam militiam Romanor. esse mutatam.

Quam

Quamquam ego verisimilius puto ab his auctoribus Triariorum & Hastatorum nomina omissa, quia consilium ipsis fuit, ea duntaxat explicare, quæ noua Seruius rex in militia addidisset; hæc autem fuêre, classiū distributio, censusque definitio; quæ etiam ad extrema vsque Reip. tempora durauere. Hinc illa Sal- *in Iugur.*
Iustij de C. Mario, ipse milites scribere non more maiorum, neque ex classibus; sed vti cuiusque libido erat, capite censos plerosque. Et Polybius in Velitibus, equitibusque deligendis census habitam esse rationem significat. Itaque sic statuo in prima classe Triarios, in secunda Principes, in tertia Hastatos, in quarta Velites adnumeratos fuisse, quod tum ex armorum genere, tum etiam pugnandi ordine clarius infra demonstrabitur. Neque etiam legionum, aut manipulorū in censu Tullij meminere, quæ tamen à Seruio sublata verisimile non fit, cum de Tarquinio superbo paulò post Seruij mortem Liuius hæc scribat: *lib. 1.*
Ne secretum imperium, propriaue signa haberent, miscuit manipulos ex latinis Romanisque, vt ex binis singulos faceret, binosque ex singulis: ita geminatis manipulis centuriones imposuit. Dionysius etiam in prœlio, quod à primis consulibus cum Tarquinio rege commissum est, meminit Triariorum, eosque veteranos ait spectatæ virtutis fuisse. Liuius autem in gestis anni XV. post primos Cōsules, M. Lætorium primipili centurionem nominat, quem ordine in Triarijs fuisse paulò ante docuimus. Triariorum verò primum *lib. 2.*

meminit, vt opinor, M. Fabio, Cn. Mālio Coss. anno post reges exactos XXX. Triarij, inquit, Romani, qui primam irruptionem sustinere non potuerant. Vegetius, l. II. legionem, cohortesque aliter distribuit, quod tamen mirabile non est, cum is de suis temporibus, mutata iam militiæ ratione, loquatur. Liuium miror, qui Romanæ militiæ ordines describere aggressus, meras tenebras effudit: itaque nemo adhuc eum intelligere potuit, sed tamen à Polybio non multum differre cognoscitur. Rorarios autem & Adcensos, quos ille nominat in legione, nemo alius, neque ipse alibi nominauit: agnoscuntur tamen à Varrone & Festo, atque de his vna cum peditibus leuis armaturæ capite proximo dicemus.

De Peditibus leuis armaturæ. CAP. III.

TRiarii igitur, principes, hastati, velitesq; (qui omnes grauis armaturæ pedites appellabātur) his ordinibus descripti in legione fuēre: pedites autem leuis armaturæ extra ordinem militarunt. Leues porrò milites, à Velitibus fuisse diuersos, & infra, cum de vtrorumq; armatura disputabitur, ostendetur, & Liuius apertè demōstrat, separatim vtrosque nominans, lib. XXIIX. eques, leuisque armatura, & velites circumductis alis, in latera incurrebant. Et mox, Elephanti tumultuoso genere pugnæ equitum, velitumque, & leuis armaturæ consternati. Et libro XLII. ipse velitibus, ad firmanda leuium armorum auxilia,

xilia, adiectis, ad tumulum procedit.

Vt aũt Velites in quarta, ita leues in quinta classe census à Seruio rege instituti, numerati videntur. Dionysius enim cum classes omnes quique in singulis censerentur, explicasset, hæc adscribit, αὐτὴ μὲν ἡ ὁπλικόσμησις ἦν, ἡ τὸ πεζικὸν ἐκπληροῦσα τῶν τε φαλαγγιτῶν, καὶ τῶν ψιλῶν στράτευμα. id est, hi peditũ ordines fuêre tam legionariorũ, quam leuis armaturæ. Censebantur igitur leues in classe, at in nulla ex quatuor, restat igitur, vt in quinta recenserentur.

Atque initio quidem leuis armaturæ milites ciues Romani fuêre; postea, additis prouinciis imperio, ex exteris nationibus assumebãtur. Legio enim, vti dixi, nulli nisi ciui Romano patuit. Hinc Hiero rex Siracusanus, apud Liuium ait: Milite atque equite scire se nisi Romano Latinique nominis non vti populum Rom. leuiũ armatorũ auxilia etiam externa vidisse. Sagittarij enim Numidæ fere, aut Cretenses fuêre, præsertim post Numidã & Cretam deuictas: funditores verò Baleares, Hispania subacta.

Quamuis autem leuis armaturę milites extra legionem militarent: tamen in cohortes & manipulos videntur fuisse distributi. Liuius lib. XXXI. Turmatim equites, inuicemque manipulos leuis armaturæ aquatum ire, & prandere iubet. Cæsar libro III. belli ciuil. initio. Sagittarios tria millia numero habebat, funditorum cohortes sex, mercenarias duas.

lib. 8. Fuêre leues milites, vt Liuius ait, minimi roboris & fiduciæ in exercitu, ac spectatores pugnæ potius, quam pugnatores, vbi enim leuibus armis ac procursionibus ad pugnam hostes elicuissent, in extremam aciem sese recipiebant. Hinc enim Liuius lib. 38. Consul, inquit, strata per tumulos corpora Gallorum ostentat, & cum leuis armatura tale prælium ediderit, quid à legionibus, quid ab iustis armis, quid ab animis fortissimorum militum exspectari? Hi tamen aliorū periculis edocti, postea in mortuorum locum succenturiabantur. Quare quod leuibus armis ante pugnam procurrerent, Rorarij, Ferentarij, & Velati: & quod in defunctorum locum allegerentur, Adscripticij, siue Adscriptiui, & Adcensi vocati sunt. Festus in epitoma Pauli, Adscripticij veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur, hos & Adcensos dicebant: quod ad legionum censū essent adscripti: quidam Velatos, quod vestiti inermes sequerentur exercitum: nonnulli Ferentarios, quod fundis lapidibusque proeliaturi, ea modo ferrent, quæ in hostes iacerent; alij Rorarios, quod id genus hominum, antequam acies coirent, in modum rorantis tempestatis dimicaret.

Hæc eo loco Festus. idem verò alibi: Adcensi dicebantur, qui in locum mortuorum militum subito subrogabantur. Varro libro IV. de lingua Lat. Adscriptiui dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, si quis eorū deperisset. Asconius

nius ad li. 1. Verrinarum: Adcensus nomen est ordinis & promotionis in militia, id est, vt ego quidem interpretor, quod ex eo ordine in quo militabant, ad alios ordines, in mortuorũ locum promouerentur. Varro libr. I V. de ll. Magister equitũ, quod summa potestas huius in equites & adcensos. Vegetius lib. 3. cap. 14. Quibus scuta deerant, siue lapidibus manu iactis, siue missilibus in hoc ordine dimicabant, quos Adcensos tanquam iuniores & postea additos nominabant. idem l. 2. c. 19. Adcensos dicit additos postquam fuisset legio completa: suoq; tempore supernumerarios vocatos. De adcensis meminit etiam Liuius libr. VIII. eosque minimæ fiduciæ manum fuisse, & in postremam aciem reiectos ait. Libro autem primo quintæ classi additos scribit à Seruio Rege. & Festus: Velati appellabantur vestiti & inermes, qui exercitum sequebantur, quique in mortuorum militum loco substituebãtur: ipsi sunt & Ferentarij, qui fundis ac lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur. Idem alibi: Rorarios milites vocabant, qui leui armatura primi prœlium committebant, quod vt ante imbrem fere rorare solet, sic illi ante grauem armaturam quod prodibant Rorarij dicti. Et Nonius. Rorarij appellabantur milites, qui, antequam congressæ essent acies, primo non multis iaculis inibant prœlium: tractum, quod ante maximas pluuias cælum rorare incipiat. De Rorarijs etiam Varro meminit apud eundem Nonium libro 3. de vita pop. Rom. Rorarij appellati, quod imbribus

fere primum rorare incipiat. & l. VI. de l. l. Rorarij dicti à rore, qui bellum committebãt ante, ideo quod ante rorat, quam pluat. Liuius tamen libr. 8. Rorarios ab Adcensis diuersos fuisse significat: licet omnes ad leuem armaturam pertinerent. Liu. enim duos gradus videtur facere leuis armaturæ, vt alij Rorarii, alij essent Adcensi. Veget. l. 3. etiam tertiũ addit Ferentariorum. credo quod singuli tres ordines diuersis armis, vterentur, fundis, missilibus, sagittis, &c. Nonius, Ferentarii, leuis armatura, quod quidquid opus esset, auxilio ferrent, excursu leui, armis grauibus non impediti.

Hæc igitur fuit leuis armatura Romanorũ: in obsidione tamen Capuana paulum immutata ratio est. Cum enim Romanus equitatus inferior esset Campano equitatu, Q. Nauius centurio auctor fuit, v ex omnibus legionibus iuuenes maxime vigore ac leuitate corporum veloces eligerentur; quos singulos in suos equos equites accipientes, assuefacerent & vehi post se, & desilire perniciter, vbi datum signum esset.

Hi quoniã funda & lapidib. quæ leuiũ erat armatura, abiectis, parmã & iacula acceperũt, quæ fere velitum erant arma; & idem inter equites efficiebãt, quod velites inter pedites; ob quandam armorum munerumq; similitudinem, velites ipsi quoque nominati sunt, & in legione militare cœperunt, cum antea extra legionem, vt relinqua omnis leuis armatura, mererent. Nam hos velites, qui ad Capuam

sunt

sunt instituti diuersos fuisse ab ijs, qui inter Triarios, Principes, Hastatosque pugnarunt, Liuius ostendit l. XXVI. cum de eorum institutione differit: Eis, inquit, parmæ breuiores, quam equestres, & septena iacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro. quale hastis velitaribus inest. Cum hastas nominat velitares, alios iam tum velites fuisse demonstrat. Hinc idem Liuius l. XXX. vias patentes inter manipulos antesignanorū velitibus (ea tunc leuis armatura erat) compleuit. Et l. XXVIII. cum dixisset Cum ternis peditum cohortibus, terniscq; equitum turmis, ad hoc velitibus in hostem ducebant: protinus addit: Eques, leuisque armatura, & velites circumductis alis in latera incurrebant: cohortes à fronte vrgebant. Quo loco velitum nomine, leuē armaturam, velitesque comprehendisse apparet. Contra autem, leuis armaturæ nomine, velites, auxiliaque peditum intellexit. Eques, inquit, leuisque armatura fatigabat: sed cū nunc equestria, nunc cum velitibus, auxiliisque peditum prœlia consererent. Et l. XLII. Dextro cornu præpositus C. Licinius Crassus cum omni Italico equitatu, velitibus intermistis. Sallustius in Iugurthina, cum equitibus permisti velites, quocumque accederent, equitatus hostium propulsarent.

De Equitibus Romanis.
CAP. IV.

DEscriptis peditum ordinibus, res postulat. vt de Equitibus dicamus: qui quidem olim

Lib. 1. olim post pedites, deinde ante pedites, vt Polybius ait, descripti sunt. Equites in legione, Romulus ipse legionis auctor instituit trecentos, denis equitibus opulentissimis quibusq; ac nobilissimis ex singulis triginta curijs delectis, quos in tres centurias descriptos Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum nomine distinxit, vt Liuius, Dionys. Plutarchus, reliqui omnes tradidere. Atque hic fere numerus in legione seruatus est: licet quoque interdum, prout res postulabat, variatum legimus. Auctis pedestribus copijs, legioneq; vti diximus, geminata, equitum quoque numerus ab eodē Romulo, teste Plutarcho, duplicatus est, factique sexcenti. Tullus deinde Hostilius, diruta Alba, equitum decem turmas, vt Liuius ait, ex Albanis legit. Postea Tarquinius Priscus cum equitatu indigeret, ad tres Romuli centurias, tres alias sub ijsdem nominibus adiecit, vt essent mille ducenti. Postremo Ser. Tullius, diuiso populo Roman. in sex classes, in prima classe octodecim centurias equitū maximi census instituit; duodecim centurijs ad sex veteres adiunctis, vt Liuius, Dionysius, alijque narrant.

Hi equites initio Celeres dicti sunt, siue à celeritatis officio, siue à duce Celere, quem ijs Romulus præfecit: deinde Flexumines: postea Trossuli: tandem equites. Plinius libro XXXIII. cap. 11. Equitum nomen, inquit, sæpe variatum est, in ijs quoque qui ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo, regibusq; appellati sunt, deinde Flexumines, postea Trossu-

Trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios passuum nouem millia sine vllo peditum adiumento cepissent eius vocabuli, idque duraui vltra C. Gracchum. Hæc Plinius, qui capite proximo, equitibus narrauerat equos militares nomen dedisse Equites porro, vt Polybius ait, ex censu legebantur à censoribus, more iam inde à Tullio rege recepto; Census autem equester videtur fuisse HS CD Milliũ, vt ex Suetonio in Iulio cap. XXXIII. colligitur, & Horatio, qui epistola prima ait:

Si quadringentis, sex, septem millia desunt,
Plebs eris.

His equitibus equi de publico assignabantur, atque ad eos emendos dena millia æris ex publico data: ad eos autem alendos Seruius viduas attribuit, quæ, vt scribit Liuius, in annos singulos bina millia æris penderent. Cetera verisimile est suo sumptu equites exsecutos, donec ijs etiam vt peditibus stipendia de publico persoluta sunt, vt infra dicetur. Hinc equi publici nomen à scriptoribus vsurpatur, cum equitem Rom. significare volunt, quod equus ille de publico à censoribus, vti diximus, assignaretur. Varro libr. I. de Analogia: Equum publicum mille assariũm vocat; quo nomine forte stipendium aliquod intelligit alendi vel emendi equi caussa de publico constitutum. Assarius enim veteribus as fuit, vt scribit Charisius lib. I. Liuius libr. XXXIX. P. Aebutius, cuius pater publico equo stipendia fecerat. & mox: S. C. factum est, vt P. Aebutio

butio emerita stipendia essent, neue inuitus militaret, neue censor ei equum publicum assignaret. Et lib. V. Repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, equis se suis stipendia facturos promittunt.

Atque hi equites equo publico fuere, qui equestrem ordinem, tertiam ciuitatis Romanæ partem, lenatus seminarium expluere. Valerius l. II. c. IV. Equestris quoq; ordinis bona magnaq; pars, C D iuuenes censoriam notã patienti animo sustinuerunt: quos M. Cornelius, P. Sempronius, quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire iussi, facere id neglexerant, equis publicis spoliatos in numerum ærariorum retulerunt. hæc Valerius, qui equites equo publico equestris ordinis fuisse dicit. Idem equos publicos equitibus ijs ademptos ait, qui post Cannensem cladem ex Italia profugere coniurauerant. quos Liuius lib. XXVII. equestris ordinis fuisse narrat. Et Cicero Philippica VI. Altera, inquit, statua est ab equitibus Roman. equo publico, qui item adscribunt; Patrono. quem vnquam iste ordo patronum adoptauit? Si quemquam, debuit me. Quæ cum dicit, ordinem equestrem sine dubio significat, quo se natum, quemque cum Senatu consul reconciliasse, plurimisque decretis ornasse vbique gloriatur. Plinius quoque equites Romanos, quos annuli medij ordinem tertiúmque plebi & patribus inseruere, ab equis publicis equites primum, deinde à censu Iudices ait appellatos.

l. 33. c. 1.

Sat

Sat igitur, opinor probatum est, Equites, equo publico equestrem ordinem fuisse, qui in ciuitate Roman. Senatoribus opponeretur. Ijdem in legione peditibus videntur oppositi.

Valerius enim Priscum Regem equestrem ordinem vberiorem reliquisse narrat libro III. capit. IV. actis, vt supra demonstratum est, tres equitum centurias à Romulo institutas auxit, & sex fecit. neque dubitari potest, quin equitum illæ centuriæ peditibus in legione responderint: cum id Dionysius libro vndecimo, diserte scribat: Romulus, inquit, trecentos viros ex clarissimis familijs robore præstantissimos selegit, ex singulis curijs denos: quo circa se perpetuo habuit. hi in bellis sæpe itrentè se gesserunt, cum primi prœlium inirent, vltimi confecto prœlio excederent, & modo equis, modo pedibus, prout loci natura postulabat, pugnarent. Has igitur centurias, Valerius, vt apparet, equestrem ordinem appellauit. Demonstrat hoc ipsum Cic. Philippica prima, qui in legem Antonij, quæ ad duas decurias Senatorum & equitum (hi enim soli lege Cæsaris, vt Suetonius, & Dio scribūt, eo tempore iudicabant) tertiam decuriam cēturionum in rebus iudicandis adiungebat, ita disputat. At quæ est ista tertia decuria? Centurionum, inquit, quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? Census præfinicbatur, inquit, non centurioni quidē solum, sed equiti etiam Rom. itaq; viri fortissimi atq; honestissimi, q

ordi-

ordines duxerunt, res & iudicant & iudicauerunt. Non quæro, inquit, istos: quicũq; ordinẽ duxit, iudicet. atq; si ferretis quicũq; equo meruisset, quod est laudatius, nemini, probareris: in iudice enim spectari & fortuna debet, & dignitas. Hæc Cicero, quibus satis perspicuè demonstrat, quicumque equo meruisset, equestrem ordinem, licet non decuriam iuditum explêuisse. Leges enim Aurelia, Pompeia, & Iulia non ordinem solum in iudice, sed etiam censum spectari iubebant. Pompeia enim, vt scribit Asconius, amplissimo censu è centurijs iudices legebat. itaque ijs legibus, ne equites quidem omnes iudicare poterant, sed ij duntaxat, qui inter equites censu essent amplissimo. M. autem Antonius leges illas immutare volebat, ferebatque vt omnis centurio, quocunque demum censu esset, iudicaret. Cuius legis iniquitatem vt ostenderet Cicero, illud vsurpat; multo laudatius fore (quod tamen nemini probatum iri dicit) si quicunque omnino eques Rom. esset iudicaret, quam si quicunque ordines duxisset: cum in equite Rom. non solum fortuna sit (minimus enim census equester HS CD millium fuit) sed etiam dignitas; quod secundum in ciuitate dignitatis locum obtineret: Centuriones vero plerumq; è plebe, & infimæ classis censusque esse possint. Cum igitur ait Cicero, Quicunque equo meruisset; ostendit, nullos præterea alios equites Romanos fuisse, quam qui in legione militarent; Ex quibus & ordo equester, & iudicum centuriæ explerentur.

In Pison. exit.

rentur. Præterea quos equo publico, ordinisque equestris iuuenes à censoribus notatos Valerius dixit, eos Frontinus lib. 4. c. 1. Stratag. legionarios equites fuisse significat: Aurelius, inquit, Cotta Cos. cum ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere, eorumque pars detrectasset imperium; questus apud censores effecit, vt notarentur à patribus; deinde obtinuit, ne eis præterira æra procederent. Hinc equus publicus, militaris est dictus, teste Plinio, qui lib. XXXIII. cap. 1. nomen equestri ordini, vt equites dicerentur, equos militares dedisse scribit, diuque nomen illud in turmis equorum publicorum constitisse: postea Iudices ab ordine iudicandi nominatos; neque iam, vt antea, equis publicis & militaribus, sed annulis censuque à patribus & plebe distinctos. Asconius etiam in Diuinatione equestrem ordinem, cum quo senatores iudicia, lege Cottæ, exercebant, equites militares vocat, cum ait populum Romanum à Sulla victore iudicandi iure spoliatum, quod habuit per equites militares. Quid? cum idem Plinius, Festusque Romanos equites Trossulum Tuscorum oppidum sine vllo peditum adiumento cepisse narrant, nonne aperte significant, eos equites fuisse legionarios, peditibusque in acie oppositos? Hinc Perseus Rex, cum equestri prœlio Romanos vicisset, eam victoriam his verbis apud Liuium extollit: Præiudicatum euentum belli habetis: meliorem partem hostium, equitatum Rom. quo inuictos se esse gloriabantur, fudistis. equites *Lib. 42.*

enim illis principes iuuentutis: equites seminarium Senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant. Liuius etiam ipsos equites proceres iuuentutis, honore & dignitate peditibus præstitisse ait. Sic enim scribit lib. II. Ad equites Dictator aduolat, obtestans, vt fesso iam pedite descendant ex equis, & pugnam capessant, dicto paruere, desiliunt ex equis, prouolant in primum, & pro antesignanis parmas obijciunt. recipit extemplo animum pedestris acies, post quam iuuentutis proceres, æquato genere pugnæ, secum partem periculi sustinentes vidit. Et lib. III. Consul aduolat ad equites: agite iuuenes, inquit, præstate virtute peditem, vt honore atque ordine præstatis. lib. IX. dati obsides dicuntur equites sexcenti, qui mox Principes Romanæ iuuentutis appellantur. Itaq; ob hanc causam ad opus coacti non videntur; vt ex Valerio, & locis proxime citatis colligitur. Vegetius lib. III. cap. VIII. Omnes equites, & pars peditum, qui non operantur dignitatis priuilegio, ante fossam in procinctu armata consistit.

Concludamus igitur, Equites omnes qui in legione militarunt equestris ordinis fuisse, & equo publico meruisse. Quamquam nonnullos etiam priuatis equis stipendia fecisse legimus apud Liuium lib. XXVII. Illis omnibus, inquit, adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant: addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent ijs, qui equo publico meruerant, sed

sed dena stipendia equis priuatis facerent. Quibus verbis significat alios præterea legionum equites fuisse, qui priuatis equis militarent. Hos autem ego fuisse puto, qui ordine censuque cum essent equestri, tamen à censoribus adhuc lecti non erant. hos enim verisimile est, cum ad bellum proficiscerentur, suis equis stipendia fecisse, quoniam publici à censoribus non essent assignati. Interdum etiam ignominiæ causa, publicis equis ademptis, suis equis, aut etiam pedibus militare cogebantur; vt alibi dicetur. Illud quoq; in hoc genere obseruandũ est, vbi quis eques esse desijsset (quod accidebat, cum gesto aliquo magistratu in senatum à censoribus legebatur) eundem nõ statim publicũ equum amisisse, sed in eorum potestate fuisse, vtrũ retinere vellẽt, an relinquere ante senectutem: aut potius coacti viderentur retinere. Suet. enim c. 38. Scribit Augustum reddendi equi gratiam fecisse ijs, qui maiores annis 35. retinere eum nollent. Itaque de Salinatore & Nerone (quos ac tantos viros quis credat à nullis censoribus lectos in Senatum, cum de Nerone dicat Liuius lib. XXVII. eum longe ante alios ciues præstitisse?) narrat idem Liuius lib. XXIX. in extremo: eos tam consulares, & triumphales, & censores equum publicum habuisse. Valerius autem lib. II. cap. IV. propter robur ætatis ex equitũ numero adhuc fuisse tradit. Pompeium quoq; narrat Plutarchus, cum primũ consul esset, ad cẽsores Lentulum & Gellium equum manu ducentem, vt in censu equitũ mos erat, venisse; atq; ab ijs ex

ordine interrogatum, legitima à se omnia stipendia se imperatore confecta respondisse.

Hi equites igitur Legionarij dicti sunt, quod in legione, vti dixi mererent. Diuidebantur autem equites trecenti in termas decem, quas Polybius ἴλας appellat: turmæ deinde singulæ in tres decurias tribuebantur. Quod si maior, aut minor equitum multitudo fuisset, verisimile est, numerum quoque in decurijs turmisque proportione vel auctum vel imminutum. Singulis autem decurijs singuli Decuriones præerant, vt infra dicemus. Hirtius de bel. Afric. Cum ante portam turma densa adstitisset, scorpione accuratius misso atque eorum decurione percusso, reliqui perterriti fuga se in castra recipiunt. Var. lib. IV. de lingua lat. turma, terma est, e in u abijt, quod terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum fiebant. itaque primi singularum decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni. Eadem ex Curiatij sententia verbis ijsdem docet Festus.

Romani, si Festo credimus, duobus equis in prœlio sunt vsi, vt ex fesso in recentem insilirent. sic enim ait paribus equis, id est, duobus Romani vtebantur in prœlio, vt sudante altero transirent in siccum. Et alibi: Pararium æs appellabatur id, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur. Liu. de Numidis hoc narrat lib. XXIII. Numidis desultorum in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fes-

so ar-

so armatis transultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus, &c.

De auxilijs sociorum. CAP. V.

EOdem tempore, quo Romæ ciuium delectus habebatur, Consules, teste Polybio, confœderatis Italiæ ciuitatibus, vnde sociorum auxilia petere volebant ex S.C. numerum militum imperabant, & diem locumque edicebant, quo conuenire deberent. Liuius lib. III. Hernici & Latini iussi milites dare ex fœdere. Et lib. XXII. Ad socios latinumque nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt. & lib. XXXIV. Minucius Cos. Socijs & Latini nominis magistratibus, legatisque eorum, qui milites dare debebant, edixit, vt in Capitolio se adirent. Socij, delectu in suis ciuitatibus habito, sacramentoque dicto, cum præfecto, & altero qui stipendia militibus penderet, ad Consulem, Imperatoremve Roman. proficiscebantur, vt scribit Polybius. Hinc Dio lib. L. vt nouum & inusitatum notat, quod bello ciuili Antonius, & Augustus socios apud se sacramenta dicere coegerint.

Porro sociorum in singulis legionibus numerus, teste Polybio, peditum quidem par fuit Romanorum: equitum vero duplo maior. Hinc Liuius lib. VIII. Scribebantur quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis. alterum tantum ex latino delectu adijciebatur. & lib. XXII. Socij duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent. & lib. XLIV. consul

VII. millia ciuium Rom. & equites CC. scribere iussus; & Socijs latini nominis VII. millia peditum imperare, CD. equites. Velleius l. II. cum exponeret Italicorum querelas, qui Romanam ciuitatem petebant, sic eos loquentes facit: Per omnes annos & omnia bella, duplici numero se militum equitumque fungi. Id tamen non semper obseruatum est, vt ex Liuiana historia cognoscitur. nam interdum peditum numerus duplicatus est, equitum vero triplicatus. Liuius l. XXI. Sempronio datæ legiones duæ, ea quaterna millia erant peditum, & treceni equites. Sociorum XVI. millia peditum, equites M. D. CCC. & alibi sæpe. Hunc præceptum illud Liuij lib. XXV. cum P. Scipionem à socijs quos multo plures in exercitu habuit, proditum scripsisset: Id quidem, inquit, cauẽdum semper Rom. ducibus erit, exemplaque hæc vere pro documentis habenda, ne ita externis credant auxilijs, vt nó plus sui roboris, suarumq; proprie viriũ in castris habeant.

Vbi igitur ad Imperatorem socij peruenissent, Præfecti aptissimos quosq; ex ijs Imperatoris obsequio destinabant, peditum quidem quintam partẽ, equitum vero tertiam, qui omnes Polybio telle, extraordinarij dicti sunt. Reliqua sociorum multitudo duas in partes diuisa. dextrum & sinistrum cornu appellabatur, quod fere in cornibus instruerentur. Liu. l. XXVII. Romani mediam aciem, cornua latini tenuerunt. Eandẽ ob causam Alæ &c. Liu. l. 27 peditum etiam prima legio, & dextra ala prælijs ibant. Alæ quoq; dictæ videtur, quia,

vt ex

vt ex Cincio tradit Gellius l. XVI. c. IV. circũ legiones dextra, siniſtraque parte tanquam alæ in auium corporibus locarentur. Liu. l. XXXI. Dextera ala (in alas diuiſum ſocialem exercitum habebat) in prima acie locata eſt. Et lib. XXXIV. Adeo turbati erant dextræ alæ equites, peditesque, vt quoſdam conſul manu ipſe reprehenderit. Et lib. XXXV. ſiniſtra ſociorum equitum ala, & extraordinarij prima in acie pugnabant. Et mox ſiniſtra ala ex prœlio ſubducta eſt, dextra in primam aciem ſubijt & lib. XL. Egregiæ legiones, nec ſegnius duæ alæ pugnabant. Hinc equites alarij legionarijs opponuntur, hi enim Rom. vt oſtenſum eſt, fuere; illi ſociorum. Liuius lib. XXXV. Conſul C. Liuium Salinatorem, qui præerat alarijs equitibus, quam concitatiſſimos equos immittere iubet: & legionarios equites in ſubſidijs eſſe. Et lib. XL. Legionarij equites detractis frenis, bis vltro citroque cum magna ſtrage hoſtium, infractis omnibus haſtis, trãſcurrerunt. Et alarij equites, poſtquam Rom. equitum tam memorabile facinus vidêre, &c. Cæſar lib. I. belli Gallici in extremo. Omnes alarios in conſpectu hoſtiũ pro caſtris minoribus cõſtituit: quo minus multitudine militũ legionariorũ, pro hoſtium numero valebat, vt ad ſpeciẽ alarijs vterentur. Hi equites in turmas videntur diuiſi, non ſecus atq; legionarij. Liuius l. XXIII. M. Statilium Præfectum cum turma Lucanorum exploratum miſit. Et lib. XL. M. Fulvium fratre cum duabus turmis ſociorum equitum ad caſtra hoſtium ſpeculatum miſit. Pedites

in cohortes similiter videntur ordinati: vnde auxiliares & alariæ cohortes dictæ, legionarijsque oppositæ. Cæsar l.1.bel.ciu. Qua re cognita, crebras stationes disponunt equitum, & cohortium alariarũ; legionariasq; interijciunt cohortes. & lib.II. ciu. Delectum habuit tota prouincia: legionibus cõpletis duabus cohortes circiter triginta alarias addidit. vbi cohortes factas in prouincia notat Alarias, dixerat enim lib. I. Varronem missum in prouinciam cum duabus legionibus. Liuius l.X. Sp. Nautiũ mulos; detractis clitellis, cum cohortibus alaribus in tumulum circumducere iubet. Et paulo post, D. Brutum Scæuam legatũ cum legione prima, & viginti cohortibus alaribus equitatuque ire aduersus subsidium hostium iussit. Cęsar l.I. ciu. Duabus auxiliaribus cohortibus Ilerdę præsidio relictis. Tacitus lib.III. histor. Prætorianum vexillum proximum tertianis: cohortes auxiliorũ in cornibus. Liuius etiam legionem nominat sociorum lib. XXXVII. Duæ legiones Romanæ; duæ sociũm ac latini nominis erant. Rom. mediam aciem, cornua latini tenuerunt. Extraordinarij quoque, pedites quidem in cohortes, equites vero in turmas diuisi videntur; ac proportione ad alam dextrã & sinistram adiuncti. Liuius l.XXVII. Cedere inde ab Romanis dextra ala, & extraordinarij cępere. Et l.XXXV. sinistra sociorum ala, & extraordinarij prima in acie pugnabãt. Et lib. XL. Flaccus luce prima C. Scribonium præfectum sociũm ad vallũ hostium cum equitibus extraordinarijs sinistræ alæ mittit. Et lib.

lib. XXXIV. cohortium meminit, cohors extraordinaria missa à consule ad tuendam Quæstoriam portam. Et mox: Eodem tempore & quarta legio cum duabus extraordinarijs cohortibus porta erupit. & lib. XL. Quatuor extraordinarijs cohortibus duas adiunxit.

De supplementis. CAP. VI.

QVoniam autem in bello multi aut vulneribus, aut morbis cadebant, ne ordinés infrequentia militum dissoluerentur, habuere semper Imperatores in castris multos, quos in locum legerent de mortuorum, qui propterea adcensi, & adscripticij sunt, & adoptati vel optiones appellati: quemadmodum cum de leui armatura differebamus, ostendimus. Transcriptos quoque dictos scribit Isidorus lib. IX. Transcripti vocantur, cum de alia in aliam legionem transeunt: & inde transcripti, quia nomina dant, vt transcribantur. Hi autem à centurionibus centuriabantur. Varro lib. III. de vita popul. Rom. apud Nonium. v. optiones. Referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, vt plenæ essent legiones: à quo optiones in turmis decurionũ, & cohortibus cẽturionum appellati. Quod si tam multi cecidissent, vt non facilè ex ea multitudine, quę versaretur in castris, mortuorum numerus suppleri posset, aut ex duabus legionib' vnam faciebant, quæ legiones propterea Gemellæ sunt appellatæ, vt scribit Dio lib. LV. aut supplementum à Senatu petebant. Cæsar lib. III. Ciuil. legionem ex Sicilia veteranam traduxe-

ordines duxerunt, res & iudicant & iudicauerunt. Non quæro, inquit, istos: quicũq; ordinẽ duxit, iudicet. atq; si ferretis quicũq; equo meruisset, quod est laudatius, nemini, probaretis: in iudice enim spectari & fortuna debet, & dignitas. Hæc Cicero. quibus satis perspicuè demonstrat, quicumque equo meruisset, equestrem ordinem, licet non decuriam iudicum explẽuisse. Leges enim Aurelia, Pompeia, & Iulia non ordinem solum in iudice, sed etiam censum spectari iubebant. Pompeia enim, vt scribit Asconius, amplissimo censu è centurijs iudices legebat. itaque ijs legibus, ne equites quidem omnes iudicare poterant, sed ij duntaxat, qui inter equites censu essent amplissimo. M. autem Antonius leges illas immutare volebat, ferebatque vt omnis centurio, quocunque demum censu esset, iudicaret. Cuius legis iniquitatem vt ostenderet Cicero, illud vsurpat; multo laudatius fore (quod tamen nemini probatum iri dicit) si quicunque omnino eques Rom. esset iudicaret, quam si quicunque ordines duxisset: cum in equite Rom. non solum fortuna sit (minimus enim census equester HS CD millium fuit) sed etiam dignitas; quod secundum in ciuitate dignitatis locum obtineret: Centuriones vero plerumq; è plebe, & infimæ classis censusque esse possint. Cum igitur ait Cicero, Quicunque equo meruisset, ostendit, nullos præterea alios equites Romanos fuisse, quam qui in legione militarent; Ex quibus & ordo equester, & iudicum centuriæ explerentur.

In Pison. exir.

rentur. Præterea quos equo publico, ordiniſque equeſtris iuuenes à cenſoribus notatos Valerius dixit, eos Frontinus lib. 4. c. 1. Stratag. legionarios equites fuiſſe ſignificat: Aurelius, inquit, Cotta Cos. cum ad opus equites neceſſitate cogente iuſſiſſet accedere, eorumque pars detrectaſſet imperium; queſtus apud cenſores effecit, vt notarentur à patribus; deinde obtinuit, ne eis præterira æra procederent. Hinc equus publicus, militaris eſt dictus, teſte Plinio, qui lib. XXXIII. cap. 1. nomen equeſtri ordini, vt equites dicerentur, equos militares dediſſe ſcribit, diuque nomen illud in turmis equorum publicorum conſtitiſſe: poſtea Iudices ab ordine iudicandi nominatos; neque iam, vt antea, equis publicis & militaribus, ſed annulis cenſuque à patribus & plebe diſtinctos. Aſconius etiam in Diuinatione equeſtrem ordinem, cum quo ſenatores iudicia, lege Cottæ, exercebant, equites militares vocat, cum ait populum Romanum à Sulla victore iudicandi iure ſpoliatum, quod habuit per equites militares. Quid? cum idem Plinius, Feſtusque Romanos equites Troſſulum Tuſcorum oppidum ſine vllo peditum adiumento cepiſſe narrant, nonne aperte ſignificant, eos equites fuiſſe legionarios, peditibusque in acie oppoſitos? Hinc Perſeus Rex, cum equeſtri prœlio Romanos viciſſet, eam victoriam his verbis apud Liuium extollit: Præiudicatum euentum belli habetis: meliorem partem hoſtium, equitatum Rom. quo inuictos ſe eſſe gloriabantur, fudiſtis, equites *Lib. 42.*

enim illis principes iuuentutis: equites seminarium Senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant. Liuius etiam ipsos equites proceres iuuentutis, honore & dignitate peditibus præstitisse ait. Sic enim scribit lib. II. Ad equites Dictator aduolat, obtestans, vt fesso iam pedite descendant ex equis, & pugnam capessant, dicto paruere, desiliunt ex equis, pronolant in primum, & pro antesignanis parmas obijciunt. recipit extemplo animum pedestris acies, postquam iuuentutis proceres, æquato genere pugnæ, secum partem periculi sustinentes vidit. Et lib. III. Consul aduolat ad equites: agite iuuenes, inquit, præstate virtute peditem, vt honore atque ordine præstatis. lib. IX. dati obsides dicuntur equites sexcenti, qui mox Principes Romanæ iuuentutis appellantur. Itaq; ob hanc causam ad opus coacti non videntur; vt ex Valerio, & locis proxime citatis colligitur. Vegetius lib. III. cap. VIII. Omnes equites, & pars peditum, qui non operantur dignitatis priuilegio, ante fossam in procinctu armata consistit.

Concludamus igitur, Equites omnes qui in legione militarunt equestris ordinis fuisse, & equo publico meruisse. Quamquam nonnullos etiam priuatis equis stipendia fecisse legimus apud Liuium lib. XXVII. Illis omnibus, inquit, adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant: addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent ijs, qui equo publico meruerant,

sed

sed dena stipendia equis priuatis facerent. Quibus verbis significat alios præterea legionum equites fuisse, qui priuatis equis militarent. Hos autem ego fuisse puto, qui ordine censuque cum essent equestri, tamen à censoribus adhuc lecti non erant. hos enim verisimile est, cum ad bellum proficiscerentur, suis equis stipendia fecisse, quoniam publici à censoribus non essent assignati. Interdum etiam ignominiæ causa, publicis equis ademptis, suis equis, aut etiam pedibus militare cogebantur; vt alibi dicetur. Illud quoq; in hoc genere obseruandũ est, vbi quis eques esse desijsset (quod accidebat, cum gesto aliquo magistratu in senatum à censoribus legebatur) eundem nõ statim publicũ equum amisisse, sed in eorum potestate fuisse, vtrũ retinere vellẽt, an relinquere ante senectutem: aut potius coacti viderentur retinere. Suet. enim c. 38. Scribit Augustum reddendi equi gratiam fecisse ijs, qui maiores annis 35. retinere eum nollent. Itaque de Salinatore & Nerone (quos ac tantos viros quis credat à nullis censoribus lectos in Senatum, cum de Nerone dicat Liuius lib. XXVII. eum longe ante alios ciues præstitisse?) narrat idem Liuius lib. XXIX. in extremo: eos iam consulares, & triumphales, & censores equum publicum habuisse. Valerius autem lib. II. cap. IV. propter robur ætatis ex equitũ numero adhuc fuisse tradit. Pompeium quoq; narrat Plutarchus, cum primũ consul esset, ad cẽsores Lentulum & Gellium equum manu ducentem, vt in censu equitũ mos erat, venisse; atq; ab ijs ex

ordine interrogatum, legitima à se omnia stipendia se imperatore confecta respondisse.

Hi equites igitur Legionarij dicti sunt, quod in legione, vti dixi merererent. Diuidebantur autem equites trecenti in termas decem, quas Polybius λας appellat: turmæ deinde singulæ in tres decurias tribuebantur. Quod si maior, aut minor equitum multitudo fuisset, verisimile est, numerum quoque in decurijs turmisque proportione vel auctum vel imminutum. Singulis autem decurijs singuli Decuriones præerant, vt infra dicemus. Hirtius de bel. Afric. Cum ante portam turma densa adstitisset, scorpione accuratius misso atque eorum decurione percusso, reliqui perterriti fuga se in castra recipiunt. Var. lib. IV. de lingua lat. turma, terma est, e in u abijt, quod terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum fiebant. itaque primi singularum decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni. Eadem ex Curiatij sententia verbis ijsdem docet Festus.

Romani, si Festo credimus, duobus equis in prœlio sunt vsi, vt ex fesso in recentem insilirent. sic enim ait paribus equis, id est, duobus Romani vtebantur in prœlio, vt sudante altero transirent in siccum. Et alibi: Pararium æs appellabatur id, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur. Liu. de Numidis hoc narrat lib. XXIII. Numidis desultorum in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso ar-

so armatis transultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus, &c.

De auxilijs sociorum. CAP. V.

EOdem tempore, quo Romæ ciuium delectus habebatur, Consules, teste Polybio, confœderatis Italiæ ciuitatibus, vnde sociorum auxilia petere volebant ex S.C. numerum militum imperabant, & diem locumque edicebant, quo conuenire deberent. Liuius lib. III. Hernici & Latini iussi milites dare ex fœdere. Et lib. XXII. Ad socios latinumque nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt. & lib. XXXIV. Minucius Cos. Socijs & Latini nominis magistratibus, legatisque eorum, qui milites dare debebant, edixit, vt in Capitolio se adirent. Socij, delectu in suis ciuitatibus habito, sacramentoque dicto, cum præfecto, & altero qui stipendia militibus penderet, ad Consulem, Imperatoremve Roman. proficiscebantur, vt scribit Polybius. Hinc Dio lib. L. vt nouum & inusitatum notat, quod bello ciuili Antonius, & Augustus socios apud se sacramenta dicere coegerint.

Porro sociorum in singulis legionibus numerus, teste Polybio, peditum quidem par fuit Romanorum: equitum vero duplo maior. Hinc Liuius lib. VIII. Scribebantur quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis. alterum tantum ex latino delectu adijciebatur. & lib. XXII. Socij duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent. & lib. XLIV. consul

VII. millia ciuium Rom. & equites CC, scribere iussus; & Socijs latini nominis VII. millia peditum imperare, CD. equites. Velleius l. II. cum exponeret Italicorum querelas, qui Romanam ciuitatem petebant, sic eos loquentes facit: Per omnes annos & omnia bella, duplici numero se militum equitumque fungi. Id tamen non semper obseruatum est, vt ex Liuiana historia cognoscitur. nam interdum peditum numerus duplicatus est, equitum vero triplicatus. Liuius l. XXI. Sempronio datæ legiones duæ, ea quaterna millia erant peditum, & treceni equites. Sociorum XVI. millia peditum, equites M. D. CCC. & alibi sæpe. Hinc præceptum illud Liuij lib. XXV. cum P. Scipionem à socijs quos multo plures in exercitu habuit, proditum scripsisset: Id quidem, inquit, cauẽdum semper Rom. ducibus erit, exemplaque hæc vere pro documentis habenda, ne ita externis credant auxilijs, vt nõ plus sui roboris, suarumq; proprie viriũ in castris habeant.

Vbi igitur ad Imperatorem socij peruenissent, Præfecti aptissimos quosq; ex ijs Imperatoris obsequio destinabant, peditum quidem quintam partẽ, equitum vero tertiam, qui omnes Polybio teste, extraordinarij dicti sunt. Reliqua sociorum multitudo duas in partes diuisa dextrum & sinistrum cornu appellabatur, quod fere in cornibus instruerentur. Liu. l. XXVII. Romani mediam aciem, cornua latini tenuerunt. Eandẽ ob causam Alæ &c. Liu. l. 27 peditum etiam prima legio, & dextra ala prælijs inibant. Alæ quoq; dictæ videtur, quia,

vt ex

vt ex Cincio tradit Gellius l. XVI. c. IV. circũ legiones dextra, siniſtraque parte tanquam alæ in auium corporibus locarentur. Liu. l. XXXI. Dextera ala (in alas diuiſum ſocialem exercitum habebat) in prima acie locata eſt. Et lib. XXXIV. Adeo turbati erant dextræ alæ equites, peditesque, vt quoſdam conſul manu ipſe reprehenderit. Et lib. XXXV. ſiniſtra ſociorum equitum ala, & extraordinarij prima in acie pugnabant. Et mox ſiniſtra ala ex prœlio ſubducta eſt, dextra in primam aciem ſubijt & lib. XL. Egregiæ legiones, nec ſegnius duæ alæ pugnabant. Hinc equites alarij legionarijs opponuntur, hi enim Rom. vt oſtenſum eſt, fuere; illi ſociorum. Liuius lib. XXXV. Conſul C. Liuium Salinatorem, qui præerat alarijs equitibus, quam concitatiſſimos equos immittere iubet: & legionarios equites in ſubſidijs eſſe. Et lib. XL. Legionarij equites detractis frenis, bis vltro citroque cum magna ſtrage hoſtium, infractis omnibus haſtis, trãſcurrerunt. Et alarij equites, poſtquam Rom. equitum tam memorabile facinus vidêre, &c. Cæſar lib. I. belli Gallici in extremo. Omnes alarios in conſpectu hoſtiũ pro caſtris minoribus cõſtituit: quo minus multitudine militũ legionariorũ, pro hoſtium numero valebat, vt ad ſpeciẽ alarijs vteretur. Hi equites in turmas videntur diuiſi, non ſecus atq; legionarij. Liuius l. XXIII. M. Statilium Præfectum cum turma Lucanorum exploratum miſit. Et lib. XL. M. Fulvium fratrẽ cum duabus turmis ſociorum equitum ad caſtra hoſtium ſpeculatum miſit. Pedites

lib. XXXIV. cohortium meminit, cohors extraordinaria missa à consule ad tuendam Quæstoriam portam. Et mox: Eodem tempore & quarta legio cum duabus extraordinarijs cohortibus porta erupit. & lib. XL. Quatuor extraordinarijs cohortibus duas adiunxit.

De supplementis. CAP. VI.

QVoniam autem in bello multi aut vulneribus, aut morbis cadebant, ne ordinés infrequentia militum dissoluerentur, habuere semper Imperatores in castris multos, quos in locum legerent d. mortuorum, qui propterea adcensi, & adscripticij sunt, & adoptati vel optiones appellati: quemadmodum cum de leui armatura differebamus, ostendimus. Transcriptos quoque dictos scribit Isidorus lib. IX. Transcripti vocantur, cum de alia in aliam legionem transeunt: & inde transcripti, quia nomina dant, vt transcribantur. Hi autem à centurionibus centuriabantur. Varro lib. III. de vita popul. Rom. apud Nonium. v. optiones. Referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, vt plenæ essent legiones: à quo optiones in turmis decurionú, & cohortibus cẽturionum appellati. Quod si tam multi cecidissent, vt non facilè ex ea multitudine, quę versaretur in castris, mortuorum numerus suppleri posset, aut ex duabus legionib' vnam faciebant, quæ legiones propterea Gemellæ sunt appellatæ, vt scribit Dio lib. LV. aut supplementum à Senatu petebant. Cæsar lib. III. Ciuil. legionem ex Sicilia veteranam traduxe-

rat, quam factam ex duabus Gemellam appellabat. Et mox magnum numerum ex Thessalia supplementi nomine in legiones distribuerat. Liuius lib. XXVI. Exercitus ciuium, sociorumque minui iussus, vt ex duabus legionibus vna legio quinque millia peditum, & trecenti equites essent, dimissis, qui plurima stipendia haberent. Et libro XLII. M. Iunius, & Sp. Lucretius, quibus Hispaniæ prouinciæ obuenerant, fatigato sæpe idem petendo Senatu, tandem peruicerunt, vt supplementum sibi ad exercitum darentur tria millia peditum, centum & quinquaginta equites in Romanas legiones: in socialem exercitum quinque millia peditum, & trecentos equites imperare socijs iussit. Et lib. XLIII. In vtramque prouinciam, quod res desideraret, supplementi decerni placuit. In Macedoniam peditum Rom. sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Rom. CCL. socios CCC. veteres milites dimitti: ita vt in singulas Romanas legiones, ne plus sena millia peditum, CCC. equites essent. alteri consuli nullus certus finitus est numerus ciuium Rom. quem in supplementum legeret: id modo finitum, vt duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum & ducentos haberet, equites trecenos. Frontinus libro IV. cap. I. Stratagem. C. Curio Cos. nullis precibus exorari potuit, ne eius legionis, quæ militiam detrectauerat, signa submitteret, nomenque aboleret: milites autem in supplementum cæterarum legionum distribueret. Milites, qui in supplementis erant, in cohor-

cohortes videntur distributi, quæ propterea subsidiariæ dictæ sunt, quod subsidio quocunque esset opus mitterentur. Liuius lib. IX. subsidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ casus reseruabantur, in primam aciem emisit.

De cohorte Prætoria. CAP. VII.

HI fuêre igitur, tum legionum, tum auxiliorum ordines & discrimina. Cohors Prætoria in legione non numerabatur, neque in hastatos, aut principes, aut triarios diuidebatur. Fuit autem electa manus militum ac familiarium ducis, qui circa eum pugnabant, neque ab eo discedebant. Prætoria verò dicta est, quod veteres, Ascenio teste, omnem magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellarent. Cohortem Prætoriam circa se primus habuisse P. Africanus traditur à Festo: cum ait: Prætoria cohors est dicta, quod à Prætore non discedebat: Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cætero militiæ munere vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent. Sed tamen multo ante Africanum cohortis prætoriæ mentio apud Liuium reperitur: is enim libro II. ita scribit, Dictator Postumius cohorti suæ, quam delecta manu, præsidij causa circa se habebat, dat signum, vt quem suorum fugientem viderent, pro hoste habeant. Neque aliud nisi cohortem prætoriam videtur intellexisse Plutarchus, cum labo-

laboranti Coriolano consulem scribit ex ijs quos circa se habebat, fortissimos auxilio misisse. Dici tamen posset prætoriæ cohortis honores, vt muneribus vacaret, & sesquiplex stipendium acciperet, ab Africano primum institutos, aut quod verius puto, ipsum euocatorum manum circa se habere cœpisse, cum antea sociorum extraordinarijs duces reliqui essent vsi. Scribit enim Liuius lib. XXIX. initio: Scipionem ex voluntarijs militibus trecentos iuuenes florentes ætate, & virium robore insignes circa se habuisse.

Cohors prætoria duo hominum genera videtur comprehendisse: euocatos siue voluntarios, & extraordinarios; hi socij fuêre à suis præfectis vti diximus, Imperatoris obsequio attributi; illi verò etiam ciues, aut sponte militiam secuti, aut nominatim honoris virtutisque causa ab Imperatore euocati. Neque tamen omnes extraordinarij videntur in cohorte prętoria fuisse, nam ex ijs eligi quosdam solitos narrat Polybius, qui eis præcipuum quoque locum assignat in castris. Scipio autem ex omnibus voluntarijs solum trecentos elegit.

Quamuis autem cohors prætoria diceretur, longe tamen plures milites videtur habuisse, quam reliquę ordinarię cohortes. Cæsar enim decimam legionem sibi cohortem prætoriam electurum pollicitus est, si aliæ non sequerentur, vt ipse ait, lib. I. belli Gallici. aut etiam elegit, vt Dio testatur lib. XXXIIX. Appianus etiam in Libyca Scipionem in extrema pugna cum Hannibale, duo millia circa se habuis-

buisse dicit electorum militum. Habuit autem prætoria cohors equites peditesque. Hinc, cum teste Iosepho l. b. III. cap. III. quod etiam modo ex Polybio docuimus: Cæsar ad colloquium cum Ariouisto proficiscens, omnibus equis Gallis equitibus detractis, legionarios eo milites legionis decimæ, quam se cohortis prætoriæ loco habiturum edixerat, imponeret, quidam ex militibus decimæ legionis dixit, vt ipse Cæsar refert, plus quam pollicitus esset, Cæsarem facere; pollicitum esse in cohortis prætoriæ loco decimam legionem habiturum, ad equum rescribere. Dio lib. LV. in cohorte Prætoria Augusti dicit fuisse peditum X. millia in partes decem diuisa; equites præterea extraordinarios & euocatos. Non igitur omnes ex cohorte prætoria equites fuêre, fuisse tamen equites aliquot ostendit in Iugurthina Sallustius. Consul, inquit, cum turma sua, quam ex fortissimis magis, quam familiarissimis parauerat, vagari passim, &c. Equites enim in cohorte videntur fuisse, vt ex eo Sallustij loco colligitur, Imperatoris amici ac familiares, qui etiam in contubernio fuisse dicuntur. Cicero epist. 1. ad Fratrem. Quos aut ex domesticis conuictoribus, aut ex necessarijs apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent. & in Cæliana: Cælius in Africam profectus est Q. Pompeio Proconsi. contubernalis. & in Planciana: Hic adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo dilectus est, vt & contubernij necessitudo, & adolescen-

adolescentuli modestissimi pudor postulabat. Sallustius in Iugurthina, filium Metelli Proco∫. in Africa contubernio patris militasse narrat.

Eos autem, qui in contubernio Imperatoris fuêre (quod idem de tota cohorte videmur affirmare posse) in legione non numeratos, ac præcipuos habitos fuisse, Frontinus ostendit lib. IV. cap. I. Stratagem. Q. Metellus, & P. Rutilius Co∫s. inquit, cum secundum leges in contubernio suo filios possent habere, in legione milites fecerunt.

Atque hæc quidem de prætoria cohorte dicta sufficiant. Aliæ præterea prætoriæ cohortes sunt ab Imperatoribus institutæ, quæ ad hunc locum non spectant.

De alijs generibus hominum, qui castra sequerentur.

CAP. VIII.

PRæter milites autem alia multa genera hominum legebantur, qui vel militiam honestarent, vel militibus ministrarent. Primo igitur armorum machinarumque opifices ac fabri fuêre, qui machinas in bello ferrent, & reliqua ad vrbium expugnationem necessaria efficerent, viasque munirent. Hos Seruius Rex duas in centurias seniorum, iuniorumque distributos primæ, vt Liuius ait, classi, vel, vt Dionysius tradit, secundæ attribuit, & sine armis stipendia facere iussit.

Adcensi item, Cornicines, Tubicines, cæterique ab eodem Seruio tres in centurias, teste Liuio,

Liuio, vel in duas, vt vult Dionysius, iuniorum ac seniorum distincti, quartæ, vel quintæ classi (in hoc etiam scriptores dissentiunt) adiuncti sunt. Sequebantur præterea Agasones, Muliones, Calones, Lixæ, cæteriqúe militum ministri. Frontinus libro II. cap. IV. Marcellus cum vereretur, ne paucitatem eius militum clamor detegeret; simul lixas, calonesque, & omnis generis sequelas conclamare iussit. Et in eodem libro: C. Sulpitius Petreius Cos. contra Gallos dimicaturus, iussit muliones clam in montes proximos cum mulis abire. Item: Marius Marcellum cum parua manu equitum peditumque noctu post terga hostium: misit, & ad implendam multitudinis speciem agasones, lixasque armatos simul ire iussit. Quid autem à calonibus lixæ differant, docet Acron ad Satyram secundam Horatij: Calones, inquit, sunt ministri militum liberi homines: Lixæ verò sunt serui proprij eorundem. Et Porphyrion ibidem. Calones dicuntur à calando, quod vocent ad ministerium: nonnulli à kalendis putant, quod eo die cibaria accipiant.

Seruius ad initium libri sexti ita scribit: Calas dixerunt prisci fustes, quos portabant serui sequentes dominum ad prœlium: vnde & Calones dicebantur. nam consuetudo erat militis Romani vt arma sibi portaret, & vallum, id dicebant Calam. Eadem ferè leguntur apud Festum. Nonius autem eos ligna militibus subministrasse ait. Vetus glossarium Calones, militum galearios interpretatur.

Vege-

Vegetius tam lixas quam calones galearios exponit lib. 1. cap. 10. lib. 3. cap. 6. De Lixis verò idem Nonius ita scribit: Lixarum proprietas hæc est, quod officium sustinean militibus aquæ vehendæ: lixam namque vereres aquam vocauerunt. Et Festus: Lixæ, quod exercitum sequuntur quæstus gratia, dicti quod extra ordinem sint militiæ, eisque liceat quod libuerit. alij eos à Licha appellatos dicunt, quod & ille Herculem sit secutus. quidam à liguriendo quæstum. Quibus verbis Lixas liberos homines fuisse significat, contra quam docet Acron. Lixas quoque à seruis diuersos fuisse, vtrumque autem genus hominum in castris versari solitum Sallustius ostendit, qui Metellum edixisse ait: ne Lixæ exercitum sequerentur, ne miles gregarius in castris, neve in agmine seruum aut iumentum haberet, cæteris arcte modum statuisse.

In Iugurthina.

Mercatores quoque, cæterosque qui res venales haberent, in castris fuisse Sallustius idem ostendit, qui de exercitu Metelli luxuria corrupto scribit in Iugurthina, milites prædam cum mercatoribus vino adnectitio, & alijs talibus mutasse: Metellumque edixisse: ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet. Hinc Cæsar lib. VI. Vt qui sub vallo tenderent mercatores, recipiendi sui facultatem non haberent. Calones quoque centuriatos fuisse, & impedimentorum curam habuisse tradit Vegetius lib. III. cap. VI. Veteres, inquit, ad exemplum militum, etiam impedimenta sub quibusdam signis

signis ordinanda duxerunt. denique ex ipsis calonibus, quos Galearios vocant, idoneos ac peritos vsu legebant, quos non amplius quam ducentis sagisarciarijs pueriſque præficerent, hiſque vexilla dabant, vt scirent, ad quæ signa deberent impedimenta colligere. Calones quoque, cum opus fuit, strenue pugnasse docet Iosephus lib III. de bello iudaico, cap. III vel V. θεραπόντας videtur appellare.

De signis Militaribus.

CAPVT IX.

MIlitibus igitur in ordines descriptis, ex ærario signa à Quæstoribus promebantur, & vnicuique ordini suum signum attribuebatur, vt scirent milites, ad quem ordinem in tumultu sese aggregare deberent. Liuius lib. III. Hæc omnia adeo mature perfecta accepimus, vt signa eo ipso die à Quæstoribus ex ærario prompta delataq; in campum, quarta diei hora mota ex campo sint. Et lib. IV. Signa ex ærario prompta feruntur ad Dictatorem. Et lib. VII. Signa eodem Quęstores ex ærario deferre iussit. Dionysius libro X. Quinctius signa proferri iussit: ἐκ τῶν ἱερῶν, .i. ex templis (ærariũ.a. in tẽplo Saturni fuit) Totius legionis signum Aquila fuit, prȩcipuo quodam augurio consecrata, vt Seruius & Isidorus tradunt, quod Iuppiter ad bellum contra Saturnum, siue Titanas egrediens, visa aquila victoriam consecutus esse dicatur. Hinc Tacitus lib. II. Annal. Interea pulcherrimum

lib 9. Iuuis armiger, & Isid. li 18. cap. 3.

augurium, octo aquilæ petere siluas, & intrare visæ, Imperatorem aduertere exclamat, irent, sequerentur Romanas aues propria legionum nomina. Hæc aquila non picta fuit, sed ex solido auro expressa, quæ in sacello quodam, siue tabernaculo collocata, hastæq; imposita, cuius ima pars esset præpilata, ab aquilifero ferebatur, vt scribit Dio libro LX. ἐσὶ δὲ, inquit Dio, ναΐσκος μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ἐκ τοῦ καταλόγου στρατοπέδοις, καὶ αὐτῶν εἰς ἀνὴρ ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἐς ὀξὺ τοῦ σύραικ@ ἀπηγμένου, ὥστε καὶ ἐς πὸ δάπεδον καταπήγνυσθαι φέρει. Auream verò aquilam fecere, quia, vt ait Plinius, lib. XXXIII. cap. III. longius fulget. Cicero I. Catil. scio pactam & constitutam esse cum Manlio diem; à quo etiam aquilam illam auream, cui domi tuæ sacrarium scelerũ tuorũ constitutum fuit, scio esse præmissam. Eam verò aquilam bello Cymbrico C. Marius habuisse dicebatur, teste Sallustio.

Dio tamen in eodem loco auream fuisse significat. Habuit tamen fulmina aurea, vt idem scribit Dio lib. XLIII. quæ pedibus sustinebant. Obsequens: C. Cæsare, M. Lepido Coss. Decimæ legionis aquilæ Cn. Pompeij filio, quæ fulmina tenebant, visæ dimittere, & in sublime auolare. Hoc aquila simulachrum paruulum videtur fuisse: nam, vt scribit Florus libr. IV. Signifer quidam aquilam, priusquam in manus hostium veniret, euulsit mer-

mersamque inter balthei sui latebras gerens, in cruenta palude delituit. ex quo intelligimus paruulam fuisse, quæ baltheo occultari posset. Quod si plures fuissent legiones, singulæ seperatim suas aquilas habuere. Tacitus libro 1. Annalium. Postremo eo furoris venere, vt tres legiones miscere in vnam agitauerint, depulsi æmulatione, quia suæ quisque legioni cum honorem quærebant, alio vertunt, atque vna tres aquilas, & signa cohortium locant. Cuiusque tamen legionis aquila videtur nota aliqua à cæteris distincta, vt agnosci posset. Tacitus ibidem. Inter cædem prædamque reperit vndeuicesimę legionis aquilam cum Varo amissam, ergo vel numerum, vel aliquam notam aquila habuit, qua vndeuicesimæ legionis eam esse cognitum est: cum tres legiones à Germanis cæsæ fuissent. Aquilam qui ferebat in prœlio, aquilifer dictus est, eius custodiæ præfuit Primuspilus centurio. Valerius libro 1. cap. vi. Aquilarum altera vix conuelli à primipilo potuit. Vegetius quoque libro II. cap. IIX. Primipili centurionem aquilę præfuisse narrat. Id certe in legione munus honestissimum fuisse significat Dionysius libro X.

Præter Aquilam quatuor alia signa, vt ait Plinius lib. 10. cap. 4. in legione fuêre, Lupus, Minotaurus, Equus, Aper, siue Porca: quorũ solidæ effigies item ex argento præferebantur, quare signa appellantur. Plinius enim

lib. XXXIII. argenti colorem militaribus signis familiarem esse dicit, quod longius fulgeret. Livius lib. XXVIII. & procul signa legionum fulgentia vidit. Tacitus lib. 15. Hinc agmina legionum stetere fulgẽtibus aquilis, signisq; & simulacris Deũm in modum templi. Hæc signa nullius ordinis propria videntur fuisse, sed ornatus causa adhibita, quæ aquilam comitarentur. Nam quod Plinius lib. X. cap. IV aquilam cum quatuor alijs singulos ordines antecessisse scribit: ordinum nomine, vt videtur, legiones intelligit. Minotauri signũ in legione adhibitum est, vt ostenderẽt ducis consilia occulta esse debere, quemadmodum Festus & Veget. tradidere. Minotaurus enim in tenebricoso labyrintho dicitur habitasse. Porcam autem prælatam scribit Festus, quod ea fœdera iungerentur. Equi & Lupi, cur militaribus signis sint inserti, nescio, causasque piget comminisci: prælatos tamen eos quoque inter alia signa narrat Plinius lib. X. ordinem aliquem inter hæc signa fuisse videtur indicare Festus, cum Porcam inter militaria signa quintum locum obtinuisse scribit.

Veg li. 3. cap. 6.

Atque hæc signa diu in aciem cum aquila portabantur, paucis deinde ante C. Marium annis, sola in aciem aquila portari cœpta est; reliqua signa in castris relinquebantur, tandẽ C. Marius secundo cõsulatu, teste Plinio, reliqua signa in totum abdicauit, aquilamq; Romanis legionibus propriè dicauit. Huiusmodi signis videntur succesisse dextræ inter se coniunctæ, pacis & concordiæ symbola, quæ à nati-

Li. x. c 4.

à nationibus donabantur legionibus. Tacitus libro I. histo. Miserat ciuitas Lingonum, vetere instituto, dona legionibus dexteras hospitij insigne. Et lib. II. centurionemque Sisennam dexteras concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine, ad Prætorianos ferentē varijs artibus aggressus est. Hæc autem signa circa aquilam ferebantur, vt scribit Iosephus lib. 3. c. 5. vel 8. & lib. 6. c. 2. siue l. 5. cap. 6.

Cohortes sua quoque signa habuisse Liuius ostendit lib. XXVII. Cohortibus, quæ signa amiserant, hordeum dari iussit. Tacitus lib. I. histor. Præfixa contis capita gestabantur, intersigna cohortium iuxta aquilam legionis. Cohortis aūt vniuersæ vnicum signum fuisse videtur; nam vnus fuit signifer. Cæsar lib. II. de bello Gallico. Quartæ cohortis omnibus ferè centurionibus occisis, signiferoq; interfecto, signo amisso. Prima cohors videtur aquilam habuisse diuersam ab aquila legionis. Cæs. lib. 3. ciuil. Marcellinus cohortes subsidio nostris laborantibus submittit. In eo prœlio cum graui vulnere esset affectus aquilifer, & viribus deficeret, cōspicatus equites nostros. Hanc ego, inquit, viuus multos per annos magna diligentia defendi, & nunc moriens eadem fide Cęsari restituo. Hoc casu aquila conseruatur, omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis, propter principem priorem. Hinc idem Cæsar prælio Pharsalico signa militaria relata dicit CLXXX. & aquilę LIX. Quoniam autem in cohorte plures fuere manipuli; qui sua quoque signa habuere:

buere: iccirco in cohorte plura signa interdum nominantur. Tacitus libro III. Annal. Primo impetu pulsa cohorte, promptus inter tela occurrat fugientibus, increpat signiferos. Quamuis autem signa cohortium vocentur, tamen ea solida non fuêre, vt aquilæ legionum, sed in velo depicta, quare vexillum dicitur à Tacito lib. I. Annal. Assistẽtem concionem, quia permista videbatur, discedere in manipulos iubet; sic melius audituros responsum: vexilla præferri, vt id saltẽ discerneret cohortes. Vexillum enim, Festo & Isidoro li. 18. ca. 13 auctoribus, diminutiuum est à velo. Hæc vexilla variorum colorum fuisse indicat ex Platone Cic. li. II. de Legib. Color albus præcipue decorus deo est, tum in cæteris, tum maxime in textili: tincta verò absint, nisi à bellicis insignib. Cedrenus, ex purpura auroq; forma quadrangulari facta, longisque hastis imposita gestari solita scribit. Βέξιλα, inquit, παραπετάσματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ, εἰς τε τετράγωνον σχῆμα πεποιημένα ταῦτα ἐξαρτῶντες, ἐπὶ μακρῶν δοράτων κύκλῳ παραπορευόμενοι τῶν βασιλέων κατασκέπτουσιν αὐτούς. In his vexillis nomen imperatoris videtur inscriptũ. Dio, l. XL. de prodigijs, quæ crasso obtigerũt, vt quidẽ Xilãder interpretatur. Vexillũ quoddam, inquit, ex eorũ numero, quæ magna, velorumq; similia fũt, inscriptũ puniceis literis ad notitiã exercitus imperatorisq; faciendam, inuersum vi vehementis venti, à põte in flumen decidit, at Crassus reliqua

Plat l. 12. de leg.

liqua vexilla, quæ eiusdem erant longitudinis præcidi iussit, vt breuiora, atq; ad ferendum aptiora essent. Tacitus li. ii. histor, Laceratis vexillis nomen Vitellij præferentibus. Atque in antiquis nummis apud F. Vrsinum in gẽte Claudia & Cœlia, in signis cohortiũ videtur velum pendere quadratũ, litteriſq; inſcriptũ. Postea imagines Imperat. inſcriptæ. Tacitus li. i. hiſt. Vexillarius comitantis cohortis dereptam Galbę imaginem solo afflixit. Suetonius in Caligula c. xiv. Aquilas & signa Rom. Cęsarumque imagines adorauit. Veget. li. ii. c. xiii. cohortium signa dracones fuisse dicit, quod quando cœperit, ignoro: de his tamen multo ante Vegetium mentio reperitur. Trebellius in Gallienis: Dracones & signa templorũ, omniumq; legionum ibant. Vopiscus in Aureliano, templum sanè solis, quod apud Palmiram aquilifer legionis tertiæ cũ vexilliferis, & draconario, cornicinibus, atq; liticinibus deripuerũt, ad eam formam volo, quę fuit, reddi. Isid. li. xviii. c. iii. Draconum signa ab Apolline morte Pythonis serpentis inchoata dicit: dehinc à Græcis & Ro. in bello gestari cœpta. Res igitur vetusta fuit, sed tamen ego draconum mentionem in bello, nisi post Remp. oppressam non inuenio. Fuere autem dracones in panno picti purpurei. Marcellinus lib. xvi. Purpureis sub tegminibus texti circumdedere dracones, hastarũ aureis, gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilãtes, caudarumq; volumina relinquentes in mentum, Claud. l. ii. in Ruffin. *lateq; videres*

Surgere purpureis vndantes anguibus hastas,
Serpentumq; vago cælum fauire volatu.

Et Panegyrico de consulatu Honorij.

Hi picta draconum
Colla leuãt, multusq; tumet per nubila serpens.

Sidonius Paneg ad Maiorannum. A.

Semeliam texilis anguis
Discurrit per vtramq; aciẽ, cui guttur adactis
Turgescit Zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem, pannoq; furorem
Aura facit.

Manipulis etiam sua signa fuisse Liuius ostendit li. xxvii. An, inquit, si eosdem animos habuissetis, signa alicui manipulo, aut cohorti hostis abstulissetis? Quoniam verò in manipulis singulis binæ centuriæ fuêre, singulæ quoque centuriæ singula signa videntur habuisse, Polybius enim in singulos manipulos signiferos binos electos dicit. Liuius libro eodem centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladijs discinctos destituit.

Et paulò post, C. Decimius Flauius tribunus mil. signo arrepto primi hastati, manipulum eius signi se sequi iussit. Cic. lib. 1. de Diuin. Cum signifer primi hastati signũ non posset mouere loco. Liuius li. 25. T. Pedanius princeps primus centurio cum signifero signum ademisset. & lib. XXVI. Nauius secundi hastati signum ademptum signifero in hostes infert. Et mox: Marcus Attilius legatus primi principis ex eadem legione signum inferri

ferri in cohortem Hispanorum coëgit. Antiquissimis temporibus manipuli signū, vt Plutarchus ait in Romulo, feni fasciculus fuit: vnde etiam manipuli nomen ortum volunt, Ouidius lib. 3. Fastorum.

Non illi cælo labentia signa tenebant,
Sed sua: quæ magnum perdere crimen erat:
Illa quidem feno, sed erat reuerentia feno,
Quantam non aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos;
Vnde manipulares nomina miles habet.

Postea, vt Vegetius tradit lib. II. c. XIII. vexillum centuria habuit, litteris adscriptis ex qua cohorte, vel quota centuria illa esset.

Equites item vexilla habuere. Liuius l. IIX. eques ipse iam primis erat in conspectu: & Cornelius respiciens ad manipulos militum, quod manu, quod voce poterat, monstrabat, vexilla se suorum parmasque cernere equitum. Tacitus lib. II. histor. ex ipsa vrbe haud spernenda manus, quinque prætoriæ cohortes, & equitū vexilla cum legione prima. Veget. singulis turmis singula vexilla fuisse narrat lib. II. ca. XIV. Marcellinus lib. XVI. Dracones tribuit turmæ. Per purpureum, inquit, signum draconis summitati hastæ longioris aptatum stetit vnius turmæ tribunus.

Auxilia tum peditum, tum equitum sua pro more gentis habuisse veri simile fit, ea vero vexilla fuere. Liuius libr. XXV. Cohortis Pelignæ præfectus Vibius ereptum vexillum trans vallum hostium traiecit. Et libro

xxxix. Quatuor millia militum amissa, & legionis secundæ signa tria, vndecim vexilla socium ac latini nominis in potestatem hostium venerunt.

Calones quoque, ceteriqúe, agminis impedimenta sua vexilla habuisse tradit Vegetius libr. III. cap. VI. Veteres, inquit, ad exemplum & militum etiam impedimenta sub quibusdam signis ordinanda duxerunt. denique ex ipsis calonibus idoneos ac peritos vsu legebant, quos non amplius quam ducentis fagisarciarijs puerisque præficerent: hisq; vexilla dabant, vt scirent, ad quæ signa deberent impedimenta colligere.

Quamuis autem fere signa à vexillis distinxerim: tamen plerumque scriptores confundunt. hinc manipulorum & cohortium, ceterorumq; ordinum signa, vexillaq; promiscue nominantur.

Vexilla porro vnius legionis videntur aliquando diuersa fuisse signis alterius legionis. quare Appianus lib. scribit: legionis quintæ vexillis elephantum inscriptum fuisse, quod elephantos auertisset.

Postremis temporibus Labarum inter insignia militaria nominatur; quod ego non aliud fuisse, quam imagines imperatorum puto. vt res quidem vetusta sit, nomen autē forte recens, meminit tamen Labari Tertullianus in Apologetico cap. XVI.

Hæc signa militaria, quemadmodum in antiquis nummis lapidibusque cernimus, plurimis ornamentis fuere insignia. hinc Herodianus lib.

nus lib. IV. de Antonino Imp. τὰ τῶν στρατοπέδων σύμβολα ἐπιμήκη ὄντα, καὶ χρυσοῖς ἀναθήμασι πολλοῖς κεκοσμημένα, μόλις ὑπὸ τῶν ῥωμυοτάτων στρατιότων φερόμενα, ἐπιθεὶς τοῖς ὤμοις ἔφερεν αὐτὸς, id est, signa militaria longissima, & aureis donarijs multis ornata, quæ vix robustissimi milites ferrent, ipse humeris imponens gestabat. Et Arrianus, τὰ σημεῖα τῆς ἐπιλέκτου στρατιᾶς ἀετοὶ, εἰκόνες βασίλειοι, στέμματα πάντα χρυσᾶ ἀνατεταμένα ἐπὶ ξυλῶν ἀργυρωμένων. id est. Signa exercitus aquilæ, imagines Imperatorum, ornamenta omnia aurea in hastis deargentatis extensa. Prælatos singulis legionibus fusius videtur indicare Dio li. 55. Augustus veteranos patris contra Antonij conuocauit, seruauitq; deinde. & fuit vna adhuc legio peculiaris, suos habens fasces, quemadmodum centuriones.

Signiferi, vt de ijs dicamus, in singulis manipulis ab ipsis centurionibus, vt ait Polybius eligebantur, qui quidem ex robustissimis & generosissimis fuere, nã vt ex Herodiano docuimus, signa militaria prægrauia fuere. Fuere autem signiferi inter milites ornamentis armisq; insignes. Marcellin. li. xx. Maurus quidã abstractum sibi torquem, quo vt draconarius vtebatur, capiti Iuliani imposuit. Signiferos non solum fideles, sed etiã literatos fuisse dicit Veg. l. 2. c. 20. vt posset reddere rationé eorũ, quæ apud signa deponebantur à militibus.

Signa militaria Romani non secus, atq; sacra omni religione venerabãtur. Ex quo Tertullianus

tullianus in apologetico ca. xvi. Religio Romanorũ tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus dijs pręponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia cruciũ sunt. Sypara illa vexillorum, & Labaorũ, stolæ crucium sunt. Iaudo diligentiam: noluistis nudas & incultas cruces consecrare. Et Dionysius li. VI. Milites, auctore Sicinio quodam, raptis signis à Consulibus defecerunt. nihil enim apud Romanos signis habetur venerabilius, haud secus quam deorum simulacra.

Hæc signa, rebus lætis, diebusque festis ornari inungiq; solebant. Plinius libr. xiii. cap. xii. Aquilæ, inquit, ac signa puluerulenta illa, & custodijs horrida inunguntur festis diebus. Suetonius in Claudio ca. xiii. Neq; aquilæ ornari, neque signa conuelli moueriq; potuerunt. Claudianus;

Lætaturq; tamen, mauortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animãtur frondibus hastæ.

Contra vero in rebus aduersis signa erant inculta. Tacitus l. i. Ann. Druso propinquanti quasi per officium, obuiæ fuere legiones, non lætæ, vt assolet, neque insignibus fulgentes, sed illuuie deformi. Et ibidem de funere Germanici: Præcedebant incompta signa, versi fasces.

Apud signa quoque iurarunt. Tacitus libr. xv. Annal. Adiecit iureiurando Pæti cautum apud signa. Liuius libr. xxvi. stare hinc legionarios, hinc classicos, per omnes Deos paratos iurare magis quæ velint, quam quæ sciant vera

vera esse: & obstringere periurio non se solum suumque caput, sed signa militaria, & aquilas, sacramentique religionem. Apud signa captiui custodiebantur. Marcellinus lib. XXI. Vadomarium apprehensum rectori militum arcte custodiendum apud signa commisit.

Apud signa item fuit asylum. Tacitus lib. I. Annalium. Neq; aliud periclitanti subsidium, quam castra primæ legionis. illic signa & aquilam amplexus, religione se tuebatur. ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset; rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria Deûm commaculasset.

Cum igitur tantus honos ac religio signorum esset, maximo probro dabatur ijs, qui signum amisissent; quod etiam capite vindicabatur. Hinc sæpe legimus vexilla militibus signiferis erepta à ducibus in confertos hostes coniecta, vt repetendi studio milites ad fortiter faciendum incitarentur.

Dionysius li. VIII. Aquilius Cos. signiferis erepta signa in medios coniecit hostes: vt metu militaris pœnæ, quam daturi erant, nisi ea recepissent, rem fortiter gerere cogerentur, Liuius lib. II. Appius signo amisso signiferos virgis cæsos securi percussit. Et li. XXXIV. Rem in asperis prœliis sæpe tentatam; signa adempta signiferis in hostes iniecerunt, dum repetunt enixe signum, priores secundani se porta eiecere. Atq; hæc quidem de signis militaribus, quæ ordines distinxerunt: nunc videamus,

deamus, qui magistratus singulis ordinibus fuerint præpositi,

Iosephus lib. 3. ca. VIII. ἀετὸς παντὸς ἄρχει ῥωμαίοις τάγματος, βασιλεὺς τῶν οἰωνῶν ἁπάντων καὶ ἀλκιμώτατος· ὧν. ὅδηλος τῆς ἡγεμονίας τεκμήριον αὐτοῖς, καὶ κληδὼν ἐφ' οἷς ἂν ἴωσι τοῦ κρατήσειν δοκεῖ. id est, Aquila apud Romanos toti legioni præest, quod omnium auium regina sit & validissima eaque & principatus ipsis signum est, omenque victoriam reportaturos de ijs, contra quos proficiscuntur.

De Magistratibus legionis, siue exercitus totius.

CAP X.

SVmmam in exercitu vniuerso potestatem Imperator habuit, populi, vt ostendimus, comitijs creatus. Eius potestas, quod ad rem militarem spectat, duabus rebus maxime cõtinetur, Imperio, & Auspicijs. Imperium à populo lege Curiata, vt demonstratum est, accepit: Auspicia in ipso magistratu insita fuere. Hinc scribit Liuius libr. V. Camillum non prius ab Ardea, vbi exsulabat, profectum quam comperit legem Curiatam latam; quod nec ininssu populi mutari finibus posset, nec nisi Dictator dictus, auspicia in exercitu habere.

Quemadmodum autem imperium quædam exercitus habendi belliq́ue gerendi pote-

stas

stas appellata est: ita auspicia ius quoddam fuit signis quibusdam ex haruspicum disciplina, Deorum voluntatem explorandi, vt auspicia & signa, quæ Imperatori offerrentur, ea à Dijs vere immitti, & ad rem publicam pertinere putarentur. Itaque si diuersa auspicia Imperatori, alijque magistratui in bello essent ostensa, semper Imperatoris auspicijs stabatur, vt egregie docet Valerius in disceptatione Lutatij Cos. & Valerij Pr. Quoniam igitur auspicia cum ipso magistratu fuere coniuncta, iccirco soli magistratus auspicia habuere; ex quo fit Proconsules & Prætores cum sine magistratu essent, auspicijs caruisse. id videtur significare Cicero libro II. de Nat. deor. Bellicam rem administrare maiores nostri, nisi auspicato noluerunt. quam multi anni sunt, cum bella à Prætoribus & Proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Sed de auspicijs diximus alio loco: nunc reliquam Imperatoris potestatem prosequamur. In Imperatoris enim potestate ius fuit dimicandi, oppugnandi, obsidendi, signum pugnæ ac receptui dandi, castra locandi, mouendi, milites in æstiua & hyberna deducendi, inducias cum hostibus faciendi, obsidesque accipiendi, quæ omnia aut ipse per se Imperator, aut de consilij sententia statuebat. Li. 2. c. 5.

Hinc illa Ciceronis libro primo de Orat. si forte quæreretur, quæ esset ars Imperatoris; constituendum putarem principio, quis esset Imperator, qui cum esset constitutus admini-

administrator quidam belli gerendi; tum adiungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidijs faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quæ essent propriæ belli administrandi: quarum qui essent animo & scientia compotes, eos esse Imperatores dicerem. hæc Cicero.

Neque vero his tantum finibus Imperatoris potestas circumscripta est, sed priuatas etiam militum controuersias criminaque cognouit, eaq; cum alijs pœnis, quas infra commemorabimus, tum vero etiam capitali supplicio, si id rei commissæ atrocitas postulasset, vindicabant. Hinc Iuuenalis Satyra xvi.

Legibus antiquis castrorum. & more Camilli
Seruato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à signis.

Cæsar de bello ciuili. Quascumque controuersias inter se milites habuerant, sua sponte ad Cæsarem introduxerunt. Et Gellius libr. VII. cap. I. Scipio quodam die ius in castris sedens dicebat. tum è militibus, qui in iure apud eum stabant, interrogauit quispiam ex more: in quem diem locumque vadimonium promitti iuberet. Et Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem protendens perendie, inquit, sese sistant illo in loco atq; ita factum, die tertio, in quem vadari iusserat, oppidum captum est, eodem die in arce eius oppidi ius dixit. Hæc Gellius, ex quo exem-

exemplo colligitur ius esse dictum ab Imperatore in castris, militumque controuersias cognitas. Quod si accidisset, vt duo Consules in ijsdem castris essent, alternis imperitabãt. Liuius libr. 22. Varro postero die, cui sors eius diei imperij erat, signum proposuit & libr. 28. Quoniam forte eo die, quo pugnatum est, auspicium Liuij fuisset.

Grauiores tamen causas Imperator cum cõsilio conferebat, & de consilijs sententiam statuebat. Cæs. l. 3. Gall. His nuncijs acceptis Galba concilio celeriter conuocato sententias exquirere cœpit. &. Crassus non cunctandum existimauit, quin pugna decerneret. hac re ad consiliũ delata, vbi omnes idem sentire intellexit, posterum diem pugnæ constituit.

Ad concilium videtur legati Quæst. Tribb. primorum ordinum vocati centuriones. hinc Cæs. libro 1. Gall. tanquam nouum videtur illud feciſſe, vt conuocato concilio, omnium ordinum ad id concilium centuriones adhiberet. Item legati & quæstor Cæs. libro IV. Gall. His constitutis rebus, & consilio cum legatis & Quæstore cõmunicato. &. Legatis tribunisq; militum conuocatis & quę ex Volusẽno cognouisset & quæ fieri vellet, ostendit. lib. 5. Ad consilium rem deferunt, magnaque inter eos existit controuersia. L. Aurunculeius complureſque Tribuni mil. & primorum ordinum centuriones nihil temere agendum existimabant. libr. 6. Labienus noctu tribunis mil. primisque ordinibus conuocatis, quid sui consilij sit, proponit.

Cum igitur tanta esset Imperatoris potestas, eam plurimis rebus ornarunt. quæ fere omnia numerat Liuius libr. XLV. de Paulo Aemilio Procos. loquens. Cum decem legatis, inquit, in tribunal adscendit: assuetis regio imperio tamen nouam formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus præco, adcensus, insueta omnia oculis auribusq;. Et Cicero in Verrem. Comites illi tui delecti manus erant tuæ, præfecti, scribæ, medici, adcensi, haruspices, præcones manus erant tuæ.

in Præt. Sicil.

Tribunal proprium fuisse Imperatoris; Scipionis apud Liuium verba ostendunt, indignantis ab Albio, & Atrio imperium militare vsurpatum. In prætorio, inquit, tetenderūt Albius & Atrius: classicum apud eos cecinit: signum ab ijs petitum est: sederunt in tribunali proconsulis Scipionis: lictor apparuit: submouente eo incesserunt: fasces & secures prælatæ sunt. Fuit autem Tribunal suggestus editior, ex cespite constructus, in quo sella curulis posita Imperator, aut ius dicebat, aut exercitum alloquebatur. itaque vbicunque Imperator erat, ibidem etiam tribunal excitabatur. Tacitus libr. 1. simul congerunt cespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. & mox. Aggerebatur nihilominus cespes, iamque pectoriusque accreuerat. Plinius in laudatione Traiani; Decora facies consulis: multa post sæcula tribunal viridi cespite exstructum, nec fascium tantum, sed pilorum signorumque honore circumda-

Lib. 28.

cumdatum. Plutarchus in Pompeio βήματος δὲ ἐκ ὄντος, ἀδὲ τοῦ στρατιωτικοῦ γενέσθαι φθάσαντος, ὃ ποιοῦσιν αὐτοὶ τῆς γῆς ἐκτεμὰς βαθείας λαμβάνοντες καὶ καταλλήλως συντιθέντες. Et Xiphilinus in Nerone de Boodicia Britanniæ regina loquens: in tribunal, factum ex terra palustri, more Romano conscendit. Marcellinus lib. XXIII. de Iuliano Imperatore: Ipse aggere glebali assistens, coronaq; celsarum circumdatus potestatum talia ore sereno disseruit. Vopiscus in Probo. Vndique ab omnibus acclamatum est, Probe Auguste, dij te seruent. deinde concursus, & cespiticium tribunal, appellatusque Imperator. Et Lucanus libro V.

Stetit aggere fulti
Cespitis

Fuit autem Tribunal amplum, quippe cum multos capere deberet; neque enim Imperator solus, sed legati etiam aliique conscendebant. Liuius libr. 8. Præco Q. Fabium Magistrum equitum cirauit, qui ex inferiore loco ad tribunal accessit. Et mox. Ne tribunal quidem, inquit, satis quietum erat legati circumstantes sellam, orabant. Et paulo post. Iussi de tribunali descendere legati. Appianus etiam libro quarto, in tribunal cum Cassio adscendisse dicit Senatores ac Prætores plures.

Eius præterea altitudinis illud est argumento, quod Tacitus scribit lib. 1. Annal. Aggerebatur nihilominus cespes, iamq; pectoris

vsque adcreuerat, &c. & infra. Stabant pro concione legiones districtis gladijs : reus in suggestu per Tribunum ostendebatur; si nocentem acclamauerant, præceps datus trucidabatur.

Ornabantur præterea Lictoribus Prætores quidem, & Proprætores sex; Consules vero & Proconsules duodecim: Dictatores, 24. Plutarchus in Paulo; Prætor in Hispaniam missus est non cum sex securibus, quot habere solent Prætores, sed totidem alijs assumptis, vt imperij consularis dignitatem haberet. Appianus in Syriaca, Prætores Romani ad exercitum miserunt, quos ἑξαπλέκεις, id est, sex securium appellant : quia consules duodecim securibus & fascibus Regum more vtuntur; prætores autem, quia dimidium dignitatis habent, etiam dimidium insignium consecuti sunt.

Lictores è plebe fuere contempti homines, vt illa indicant apud Liuium lib. II. Quatuor & viginti lictores apparere Consulibus, & eos ipsos plebis homines : nihil contemptius neque infimius, si sint qui contemnant. Posterioribus autem temporibus ex Brutijs, siue (vt in græcis scriptoribus, antiquisque inscriptione Rhegij, vetustoq; nummo legi) Brettiis lictores eligebantur, hac ignominia affectis, quod ad Hannibalem primi defecissent, & cum eo perseueraſſent, vsque dum recederet de Italia, vt Gellius tradit libr. X. cap. III. Lictores à ligando dictos esse constat, vel quod virgarum fasces ligatos

tos ferrent, vt Festus ait, vel quod fontes ligarent. vt Plutarchus in quæstionibus Rom. scribit.

Lictores igitur Imperatoribus apparebant cum virgarum fascibus, in quibus etiam erant secures. Poplicola enim Cos. teste Dionysio libr. v 1. Fascibus in vrbe secures ademit, lege lata, vt tantum extra vrbem magistratus securibus vterentur, cum bellum gererent, aut res externorum inuiserent, Hic verò mos præferendi fasces cum securibus à Tarquinio Prisco Hetruscorum exemplo inuectus esse dicitur, alij Romulo eius institutionem adscribunt, vt tradit idem Dionysius libr. III. Fuere autem virgæ lictorum ex betula arbore, vt videtur significare Plinius. Porrò Lictores ita videntur magistratibus apparuisse, vt vnus post alium incederet. quod & in veteribus nummis marmoribusque cernitur, & Liuius significare videtur lib. XXIV. Cum obuiam, inquit, patri filius Cos. progrederetur, lictoresque verecundia maiestatis eius, taciti anteirent non submouentes patrem, præter vndecim fasces equo prævectus senex, vt Consul animaduertere proximum lictorem iussit; & is, vt descenderet ex equo, inclamauit; tum demum desiliens, experiri, inquit, volui fili, satin' scires Consulem te esse, & cæt. Neque enim vndecim lictores præteruehi potuissent, nisi singuli incessissent. itaque quemadmodum proximus lictor, vt ex eo loco intelligitur, dictus est, qui postre-

Quæ. 67.

Lib. 16. cap. 18.

mus omnium lictorum ante magistratum ibat, eique maxime omnium vicinus erat: ita primus lictor est appellatus, qui ceteris lictoribus præibat. Cicero epist.1. ad Fratrem. Apud quem primus lictor quieuit. Qui autem magistratui proximus incedebat, is quoque ipsi magistratui carissimus videtur fuisse. Sallustius in Iugurthina, Hiempsal in pido Thirmida forte eius vtebatur domo, qui proximus lictor Iugurthæ, carus, acceptusque ei semper fuerat. In naui autem lictor ante proram sedebat, ac præternauigantibus, vt signum de naui deponerent imperabat, vt de Antonio & Aenobarbe scribit Appianus lib.V.

Lictoris munus fuit ingredientibus magistratibus turbam submouere, ex quo submotor aditus appellatur. Liuius libr. XLV. Progredi præ turba occurrentium ad spectaculum non poterat: donec Consul lictores misisset, qui submouendo, iter ad prætorium facerent. Submouebant autem & voce, & manu. Liuius libr. XXIV. Lictor vt descenderet ex equo inclamauit. Festus vero scribit Matronas à magistratibus non submoueri solitas, ne pulsari contrectarive viderentur, neve grauidæ concuterentur. In submouendo maximum laborem habuit lictor, qui primus ibat, is enim omnem impetum, & turbam excipiebat. quare Cicero, vt Octauij facilitatem laudaret, primum lictorem apud eum quieuisse dicit. Iidem lictores, quos magistratus iussis-

iussisset, comprehendebant, vestibusque nudatos virgis cædebant, & securibus feriebant. quare Nonius Lictores carnificis officio fungi solitos scribit. Hinc illa legati Regis Philippi contra Romanos, vt refert Liuius libr. XXXI. Prætorem Romanum excelso in suggestu, superba iura reddentem, stipatum lictoribus vident, virgæ tergo, secures cernicibus imminent. Et libro vndecimo. Missi lictores ad sumendum supplicium nudatos virgis cædunt, securique feriunt.

Adscensus minister fuit, quo magistratus, vt nomen indicare videtur, vtebantur in vocandis ijs, qui ius poscerent: Adcensum enim ab adciendo dictum esse docet Varro libro V. de lingua latina. Iidem diutius, quam oportet, loquentibus silentium videntur imposuisse. Cicero enim ad Fratrem ita scribit. Octauius iucundissimus fuit: apud quem primus lictor quieuit, tacuit adcensus, quoties quisque voluit. dixit, & quam voluit diu, Videntur autem singulis magistratibus singuli adcensi fuisse. Suetonius in Iulio cap. XX. Cæsar Cos. creatus antiquum retulit morem, vt quo mense fasces non haberet, adscensus ante eum iret, lictores pone sequerentur. Et de decemuiris, Liuius libro III. Decimo die ius populo singuli reddebant. Eo die penes præfectum iuris fasces duodecim erant: collegis nouem singuli adcensi apparebant. Adcensum ipsi sibi magistratus adsciscebant,

ex libertis fere aliquem: eiusque munus honoratius aliquanto fuisse videtur, quam lictorum. hæc omnia ostendunt verba illa Ciceronis, quæ sunt in epistola prima ad Fratrem. Adcensus, inquit, sit eo numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant.

Præconis officium fuit silentium indicere, vt magistratus oratio posset exaudiri: magistratusque edicta voce promulgari. Liuius libro IIX. Silentio nequidquam per præconem tentato, cum præ strepitu, ac tumultu nec ipsius Dictatoris, nec apparitorum eius vox audiretur. & libro XXVI. Præconi imperauit, vt lictorem lege agere iuberet.

Scribæ vero tabulas publicarum rationum confecerunt. Ex quo dixit in Frumentaria M. Cicero: Scribarum ordo est honestus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magistratuum committuntur.

Alij ministri, qui fuerint, nomen fere ipsum ostendit. Atque hæc de Imperatore pro instituta disputatione satis multa videri possunt.

Post Imperatorem sequitur Quæstor comitiis item populi creatus. Quæstores eodem modo fere, quo Imperatores legebantur. vbi enim legitimus quæstorum numerus populi suffra-

suffragiis creatus esset, iubebat senatus prouincias sortiri, vt cum singulis Imperatoribus singuli quæstores mitterentur. Cicero epistola prima ad Fratrem: Quæstorem habes non tuo iudicio delectum, sed eum, quem sors dedit. Et in prætura vrbana, Quæstor ex S.C. prouinciam sortitus es, obtigit tibi consularis. Hinc apud veteres Quæstori cum suo Imperatore filij necessitudo intercessit. Cicero pro Plancio. L. Apuleius hunc tanti fecit, vt morem illum maiorum, qui præscribit in parentum loco Quæstoribus suis Prætores esse oportere, officijs beneuolentiaque superarit. Et in Diuinatione in Verrem sic a maioribus nostris accepimus, Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere: nullam neque iustiorem, neque grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quàm coniunctionem sortis, quam prouinciæ, quam officij, quam publicam muneris societatem.

Quæstoris autem munus fuit pecuniam publicam curare, quæ aut ab ærario deprompta in vsum esset exercitus expendenda, aut de hostium præda, prouinciaque exacta in ærarium esset referenda. Itaque idem stipendium militibus numerabat, prædamque captam ex hostibus, aut custodiebat, aut vendebat, pecuniamque ad ærarium si ita visum esset Imperatori ferebat. Cicero in Verrem: pecunia attributa numerata est: profectus est Quæstor in prouinciam: venit in Galliam exspectatus ad exercitum cõsularem cum pecunia. Et paulò post, cum Quæstor ad exercitum missus sis,

custos non solum pecuniæ, sed etiam consulis: particeps omnium rerum consiliorumq; fueris; habitus sis in liberûm loco sicut mos maiorũ ferebat. Liuius lib. IV. Prædæ fuit aliquantum: venditum sub hasta consul in ærarium redigere Quæstores iussit. Et lib. V. Prædæ pars maxima ad Quæstorem redacta.

Videntur Quæstores etiam iurisdictionem exercuisse. Cicero in Diuinatione. Quæstor vocari ad se Agnoidem iubet, iudicium dat statim. Suetonius in Iulio cap. VII. Quæstori vlterior Hispania obuenit, vbi cum mandato Prætoris iure dicundo conuentus circumiret, Gadibus ingemuit.

Cum igitur talis esset Quæstor, scribis & lictoribus vsus est. Cicero in Frumentaria. Nuper, Hortensi, Quæstor fuisti: quid tui scribæ fecerint, tu potes dicere. Et in Prætura Sicilienſi. Quæstores vtriusque prouinciæ cum fascibus mihi præsto fuerunt. Et pro Plancio. Plancius Quæstor ad me, lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata profectus est. Quamuis autem lictoribus ornarentur Quæstores, tamen neque vocationem, neque prehensionem habuere, vt ex Varrone tradit Gellius, libro XIII. cap. XIII.

Legati post Imperatorem præcipuum in exercitu locum habuere. Neque tamen eo iure Legatus versatus est in castris, quo Quæstor. is enim magistratus fuit, potestatemque comitiis à populo accepit: hic eam potestatem habuit, quam Imperator voluit, illius potestas ab imperatoris potestate longe diuersa

uersa fuit, vt ostendimus; huius eadem, quæ ipsius Imperatoris. Hic apud Imperatorem affectæ, ille filij locum obtinuit.

Legatorum porrò, quàtum quidem ad præsentem narrationem pertinet, duo genera fuere, alterum, quod victis hostibus decernebat senatus, de quorum consilio Imperator pacis leges diceret, & prouinciam constitueret: de quibus infra dicemus. alterum eorum, qui cum ipso Imperatore proficiscebantur, vt ei in omni munere bellico operam nauarent. Varro libro IV. de lingua Latina. Legati, qui lecti publicè, quorum opera, consilioque vterentur peregre magistratus. Appianus lib. I. Legatos Romani appellant, quos prouinciarum rectoribus addunt, vt iis subsidio sint.

Legatorum numerus non videtur idē semper fuisse: sed in ea re dignitatis, prouinciæ, belli habitam rationem puto. Cicero enim quatuor legatos habuit in Cilicia, vt ipse ad Catonem scribens significat. Quinctus verò frater tres. Pompeio autem lege Gabinia XV. legatos bello piratico datos Plutarchus, & Dio narrant. *Epist. 4. l. 15. fam. epi. 1. ad Q. F.* *Dio l. 36.*

Legati aut à Senatu dabantur, aut ab Imperatoribus ex eiusdem Senatus auctoritate eligebantur. Hinc illud Ciceronis in Vatinium, qui sine S. C. legatus profectus est. Ne hoc quidem senatui relinquebat, quod nemo vmquam ademit, vt legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? Factum est raro, vt populus deligeret Imperatorem: quis legatos audiuit vmquam sine Senatus con-

consulto? Posterioris verò modi plura exempla occurrunt. Cicero enim C. Verrem multis allegationibus, vt legatus Dolabellę proficisceretur, expugnasse scribit in prætura vrbana: Atticum enim narrat Nepos in vita cũ Q. Cicerone in Asiam ire noluisse, cum apud eum legati locum obtinere posset. Hinc etiam Africanus fratri se legatum iturum professus: est: & alibi frater fratrem, filius patrem sibi legasse dicitur apud Liuium.

Vege. l. 2. cap. 9. Fuit autem legatorum dignitas maxima: nam ex prætorijs consularibus, triumphalibusque aut certe viris rei militaris peritissimis eligebantur. itaque Cicero legatos appellat in oratione in Vatinium. Nuncios pacis, ac belli curatores, interpretes, bellici consilij auctores, ministros muneris prouincialis. Dionysius etiam lib. XI. legatum potestatem Imperatoris, sanctitatem & venerationem Sacerdotis habuisse narrat.

Legati in exercitu vices Imperatoris gerebant. Cæsar lib. II. de bello ciuili. Neque se ignorare, quod esset officium legati, qui fiduciariam operam obtineret. Et libro III. Aliæ sunt legati partes atque Imperatoris, alter omnia agere ad præscriptum; alter libere ad summam rerum consulere debet. Itaque legatis, cum personam sustinerent Imperatoris, reliqui magistratus parebant, vt tribuni, centuriones, equites Romani, socijque. Liuius libro IIX. Cũ polluta semel militari disciplina non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus consulis, non ma-

magister equitum dictatoris pareat imperio. Tacitus li. 1. Annal. Etiam tum legato à centurionibus & optimo quoq; manipularium parebatur. Ijdem pro tempore in prælio peditibus equitibusque, socijs, Romanisq; ab Imperatore præficiebantur: propterea quod nulli ordini præcipue præerant. Liu. lib. x. Dextro cornu L. Volumnium, sinistro L. Scipionem: equitibus legatos alios C. Cæditium, & Trebonium præfecit, & l. xxxv. Sinistra sociorum equitum ala, & extraordinarij prima in acie pugnabãt: præerant duo cõsulares legati.

Videntur quoque legati ius dixisse. Cicero pro Flacco. Gratidius legatus, ad quem est aditum, actionem se daturum negauit: re iudicata stari ostendit placere. Ornabantur autem fascibus atque lictoribus. Liuius libr. xxix. sine respectu non maiestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum multatis, faciunt.

Post legatos sequuntur Præfecti Fabrum, & castrorum. Præfectus Fabrum in binis legionibus, ideſt, in exercitu cõsulari vnus omnino fuit. Itaque Præfectus Fabrum Ciceronis vnus tantum nominatur Q. Lepta, epist. VI2. li. III. Famil. vnus etiam Præfectus Fabrum in Appij exercitu appellatur epist. VIII. eiusdem libri. Cum autem scribit Cæsar in epistola ad Oppium & Balbum, quę legitur li. IX ad Atticum, duos Præfectos Fabrum in suam potestatem venisse, vtrumque in binis legionibus Præfectum Fabrum fuisse puto: vt duorũ consulum

sulum exercitus, qui à Pompeio regebantur, duos omnino Præfectos fabrum habuerit. Hic Præfectus fabris præerat, machinisque bellicis, vt scribit Veget. lib. II. cap. XI.

Præfecti castrorũ in singulis legionibus singuli videntur fuisse. Velleius enim in exercitu Q. Vari, qui trium legionũ fuit, tres nominat castrorum Præfectos, L. Eggium, C. Eionium, & L. Cæditium. Tacitus etiam lib. XIV. Pœnius, inquit, Postumus Præfectus castrorum secundæ legionis. Eius munus ita explicat Vegetius lib. II. cap. X. Ad Præfectum castrorum positio castrorum, valli & fossæ destinatio pertinebat, tabernacula vel casæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur. Præterea ægri contubernalis & medici, à quibus curabantur, expensæ etiam ad eius industriam pertinebant. vehicula, sagittarij, nec non etiam ferramenta, quibus materia secatur vel cæditur, quibusque aperiuntur fossæ circa situm valli & aquæ ductus. Item ligna vel stramina, arietes, onagri, balistæ, cæteraque genera tormentorum, ne deessent aliquando, procurabat. is post longam probatamque militiam peritissimus omnium legebatur; vt recte doceret alios, quod ipse cum laude fecisset. Hæc Vegetius. Idem quoque itineribus militum, & impedimentis, quæ inter eundũ milites ferrent, videtur præfuisse. Ad eundem vigiliæ castrorum, & opera militaria spectarunt. Tacitus lib. I. Annal. Præcipua in Aufidienum Rufum Præfectum castrorum ira, quem direptum vehiculo farcinis

nis grauant, aguntque in primo agmine, per ludibrium rogitantes, an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret. quippe Rufus diu manipularis miles, dein centurio, mox castris Præfectus antiquam duramque militiam reuocabat, inuictus operis & laboris: & eo immitior, quia tolerauerat. Et lib. II. histor. Alphenus Varus Præfectus castrorum, deflagrante paullatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.

Quamuis autem militum segnitiem castigare potuit, tamen ei ad vltimum supplicium progredi non licuit. Hinc Tacitus libro I. Annalium. Præsenti, inquit, duorum militum supplicio repressi sunt, iusserat id Mennius castrorum Præfectus bono magis exemplo, quam concesso iure.

Numeratur à Vegetio Præfectus legionis: sed eius, stante rep. mentionem fieri non legi.

Has omnes Præfecturas Imperator dabat. Cic. ad Cæsarem. epi. 5. li 7. fam. Trebatio ego neque tribunatum, neque præfecturam, neque alius beneficij certum nomen peto: beneuolentiam tuam & liberalitatem peto, & epist. 1. l. 6. ad Attic. Brutus à Cicer. petijt, vt præfecturam Scaptio deferret.

Vtrum autē Tribuni (de his enim dicendum iam est) legionis totius cōmunis magistratus, an proprius peditum fuerit cōtrouersum esse potest: nōnulli enim solis peditibus præfuisse Tribunos putāt, verisimilius tamen mihi fit

legio-

legionis fuisse magistratum: nam Tribuni equitibus Romanis, socijsque præfuisse leguntur. Sallustius in Iugurthina, in vtrumque latus auxiliarios, equites Tribunis legionum & Præfectis cohortium dispertiuerat. Liuius lib. XXIX. Lentulus Ser. Cornelio tribuno milit. imperat, equites per patentes in hostiũ acies vias permittere equos iubeat. Et libro XXXV. equites legionum extra aciem in locũ patentem Q. & P. Minucios tribunos militum educere iussit. Polybius quoque ducis imperia equitibus Tribunos edixisse narrat. Vbi, inquit, primũ illuxit, equites & centuriones iuncti ad Tribunorum tabernacula se conferunt, & Tribuni ad consulem, is quid agendũ sit, Tribunis edicit; Tribuni equitibus, & centurionibus, hi deinceps cæteris. Varro quoq; lib. IV. de lingua latina, Optiones in decurijs equitum lectos scribit à Tribunis. Hoc igitur constituto, ad reliquam explicationem numeri Tribunorum gradum faciamus.

Var. l. 4. de lin. la.

Pomp. de Orig. iur.

Veg li. 2. cap. 7.

Tribuni militum dicti sunt, vel, vt ait Varro, quod terni tribus Tribubus Ramnium, Lucerum, Tatiensium ad exercitum olim mitterentur; vel, vt placet Pomponio, quod Tribuum suffragio crearẽtur: vel demum, vt scribit Vegetius, quod iura tribuerent. Tribunorum neque numerus, neque lectio eadem semper fuit. Initio enim Tribuni tres fuêre, teste Varrone, tum cum legio ex tribus millibus conficiebatur. Postea vt militum, ita & Tribunorum auctus est in legione numerus: atque ex tribus quatuor facti sunt. Itaque cum,

vti

vti diximus, singulis annis quaternæ legiones, quæ consulibus duobus traderentur, scribi solerent; in eas Tribuni seni deni legebantur: cum antea in legiones quatuor XII. crearentur, vt singulæ legiones ternos haberent Tribunos. Quatuor autem in legione Tribuni esse cœperunt anno CDXLII. C. Iunio Bubulco III. Q. Aemilio Barbula iterū Coss. vt scribit Liuius libro IX. Tulere, inquit, rogationem Tribuni plebis L. Atilius, C. Marcius, vt Tribuni militum seni deni in quatuor legiones à populo crearētur. Postremo, cum legio ex quinque millibus, & sex millibus scribi cœpta esset; Tribuni ad quatuor legiones viginti quatuor in singulas legiones seni creati sunt, quod sua ætate factum scribit Polybius lib. VI.

Vt autem numerus, ita lectio Tribunorum variata est. Primis enim temporibus ab Imperatoribus Tribuni omnes legebātur in quatuor legiones duodecim, id est, in singulas terni. Anno autem CCCXCI Q. Seruilio Ahala II. L. Genucio Auentinensi II. Coss. institutum est, vt Tribuni militum ad legiones suffragio fierent, id est, vt ego quidem arbitror, vt pars eorum suffragijs populi, pars imperatorū arbitrio crearetur. Id autē ex Liuio lib. VII. colligere videmur posse, cum de hac re ita scribit: cum eo anno primū placuisset Tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam ea antea, sicut nunc, quos Ruffulos vocant, Imperatores ipsi faciebant) I. Manlius L. F. secundum in sex locis tenuit. Sex locos

nominauit eorum, qui suffragijs fierent: quia reliqui sex, opinor, ab imper. legebantur.

Neq; tamen ea lege Tribunorum numerus finitus videtur, quos vel populus, vel imperatores crearent: ex quo fiebat, vt perquam paucis suffragio populi relictis locis, reliqui loci imperatorũ beneficia ferme essent. Itaq; anno CIↃXLII. L. Atilius, C. Marcius Tribb. pl. L. Poetelio, cum Tribunorum mil. numerũ auxissent, vt seni deni in quatuor legiones essent; illud etiã rogatione lata cauerunt, vt deinceps à populo omnes crearentur. Ex eo igitur tempore Tribunatus militum suffragijs populi dari cœptus est; nisi si quando plebiscito aliquo ea potestas imperatoribus permissa fuit, vt bello Punico secundo, teste Liuio l. XXV. l. Primis quatuor legionibus populus tribunos creauit: in ceteras consules miserunt. Idem bello Persico factum narrat lib. XLII. In Tribunis militum, inquit, nouatum eo anno propter Macedonicum bellũ, quod Consules ex S. C. ad populum tulerunt, ne Tribuni militũ eo anno suffragijs crearentur; sed consulum prætorumq; in ijs faciendis iudicium arbitriumq; esset. Quod tamen haud diu obseruatum Liuius idem ostendit, cum anno tertio post ita scribit Libro VLIII. Tribunos, non permissum, vt consules facerent, populus creauit. Huc illa Scipionis apud Liuium li. XXVIII. Quid populus Rom. cum imperium ablatum ab tribunis suffragio populi creatis ad homines priuatos detulistis? Creati sunt igitur per populum Tribuni mili- lib. 2.

militum oēs, vſq; ad L. Aemilium Paulū iterū C. Liciniū Craſſum Coſſ. qui fuit annus V. C. DXXCV. Eo aūt anno, vt refert Liu. l. XLIV. Senatus ob bellū Perſicum decreuit, vt in legiones parem numerū tribunorum conſules & popul. crearent: atque id deinceps, vt reip. populo, imperatoribusq; æquum ſeruatū cenſeō. Polyb. certe, qui bello Perſico par, fuit tēporis militiā græcis litteris explicauit; tribunos militū partim ab imperatoribus, partim à populo creatos ſignificat, cum ita ſcribit: διέλον σφᾶς αὐτοὺς οἱ νεώτεροι τῶν χιλιάρχων, καθάπερ ἀνυπὸ τῆ δήμυ καταγαθῶσιν, ἢ τῶν στρατηγῶν, εἰς τέτταρα μέρη. id eſt, Diuidunt ſeſe iuniores tribuni, prout à populo vel imperatoribus fuerint creati, in partes quatuor. Hinc duo genera tribunorum facta ſunt: alij enim comitiati dicti ſunt, Pediano teſte, quod populi ſuffragijs crearentur; alij Rufuli ſiue Rutili, qui ab imperatoribus legebantur: ſic appellati, auctore Feſto, quod Rutilius Rufus de eorū iure legē tulerit. De vtriſque Liuius l. VII. Cum eo anno primū placuiſſet Tribunos militū ad legiones ſuffragio fieri (nā & antea, ſicut nūc, quos Rufulos vocāt, imperatores ipſi faciebant) ſecundū in ſex locis T. Manl. tenuit. Quibus verbis Liu. ſuo tēpore Tribunorū milit. alios populi ſuffragio, alios imperatorū lectione factos ſignificat. Id quoq; ius fuiſſe Imperat. vt Tribunatū in caſtris conferret, Cic. in epiſt. ad Cæſarē oſtendit. Huic ego neq; tribunatum, neq; præfecturam, neque vllius beneficij certū nomē peto:

Aſt. 1. in Ver.

Epiſt. 5. l. 7. fam.

beneuolentiam tuam & liberalitatem peto. Et epist. 3. lib. 6. ad Attic. Scaptius à me Tribunatum cum accepisset, quem ego ex Bruti literis ei detulissem: postea scripsit ad me, se vti nolle eo tribunatu. De Tribunatu aût militum per populum collato testis est Suetonius in Iulio cap. v. Tribunatu militum, inquit, qui primus Romam reuerso per suffragia populi honor obtigit: & Plutarchus, qui Catonem Vticensem, in petitione tribunatus militum, legem, quę candidato nomenclatorem adesse vetabat, solum seruasse scribit. Sallust. in Iugurt. C. Marius vbi primũ tribunatum militũ à populo petit, plerisq; faciem eius ignorantibus, facilè notus per omnes tribus declaratur.

Creabantur aût Tribuni, tum ex peditibus, tum ex equitibus rei militaris sciẽtissimi: pedites enim sex minimũ stipendia habuere, equites verò decem, vt scribit Polybius. Quare cum inter Tribunos, alij plura, alij pauciora stipendia haberent, hinc factum est, vt alij iuniores, alij veteres Tribuni nominarentur, vt idem Polyb. est auctor. De veteribus Tribunis meminit Cice. act. 1. in Verrem, M. Creperius, L. Casius, Cn. Tremellius, veteres Tribuni militares sunt designati.

Quo verò tempore Tribuni militũ quatuor & viginti ad legiones quatuor creabantur, vt Polybij ætate factum esse ostẽdimus; Tribuni quatuordecim ex peditibus, qui stipendia sex haberent, legebantur, qui iuniores dicti sunt: reliqui decẽ Tribuni ex equitibus fiebant, qui annis X. equo meruissent, qui veteres sunt appellati,

pellati, vt narrat Polyb. Cum igitur partim ex peditibus, partim ex equitib. Tribuni legerentur, hinc etiam factum puto, vt alij inter equites, alij inter pedites militarint, ijsq; præfuerint, quod supra docuimus. Hinc Liuius lib. IV. Erat inter equites Tribunus militum A. Cornel. Cossus. Cicero etiam cum Scaptio præfecturã pernegasset, ne is equitũ opera ad suos quęstus abuteretur; tamen tribunatum cohorteq; detulit: ex quo intelligimus, illũ peditibus solum pręfuturum fuisse: alioqui enim idem periculum fuisset in tribunatu & præfectura, si tribunus equitum similiter turmã habere potuisset. *epist. l. 2. & 3. l. 6. ad Attic.*

Quomodo aũt XXIV. Tribuni in quatuor legiones distribuerentur, ita exponit Polybius. vbi dies delectus aduenit, congregatis omnibus in Capitolio, diuidunt sese XIV. iuniores tribuni, prout à populo vel imperatorib. fuerint creati, in partes quatuor; propterea quod in quatuor legiones Rom. ferè copię diuiduntur. ac qui primi quatuor lecti sunt, eos in primam legionẽ distribuunt: tres qui deinceps, in secundã; quatuor subsequentes, in tertiam: & tres vltimos, in quartam. Ex decem autem veteribus tribunis, duos primos, primæ legioni: tres secundos, secundę pręponunt: duos deinceps, tertiæ: tres postremos, quartæ. Hæc Polyb. Quibus ex verbis in singulis legionibus senos Tribunos fuisse constat; ita vt exercitus consularis, qui duarum legionum Romanarum fuit, duodecim tribunos haberet, septem quidem iuniores, quinq; autẽ veteres.

Interdū tamen inter Tribunos viri cōsulares, prætorij, ædilicijq; fuisse legūtur: quos credo ab imperatorib. lectos. quis enim sibi persuadeat viros consulares se tribunatus militaris candidatos professos? Liu. l. XXII. Cæsi dicūtur 21. tribuni mil. cōsulares quidā, prætorijq; & ædilicij. & lib. 42. Duo consulares tribuni mil. cum eo missi C. Claud. Q. Mucius. & l. 44. C. Sulp. Gallus tribunus mil. secūdæ legionis, qui prętor superiore anno fuerat. Senatus quo que interdum iussit, vt honoribus functi d. t. Tribuni à populo, & impp. legerentur, quod factum bello Persico narrat Liui. l. 44. Senatus decreuit, vt in octo legiones parem num[illegible] tribunorū consules & populus crearēt: [illegible]ri aūt neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessisset. Quoniam autem singulis annis quatuor legiones primæ scribebantur, quæ duobus Coss. traderetur: Tribuni, qui ijs legion bus præfuerunt, cæteris omnibus dignitate præstitere. Quare in legibus, in quibus reliqui magistratus adscribuntur, & hi pręcipuè nominantur, vt in ea lege quam Cicero in Cluētiana recitat, QVI TRIBVNVS MILITVM LEGIONIBVS QVATVOR PRIMIS. QVIVE QVAESTOR. TRIBVNVS PLEBIS. deinceps omnes magistratus nominat. Hinc illud Liuij lib. 27 Primis quatuor legionibus populus tribunos creauit: in cæteras consules miserunt. Populus enim Tribunos, qui honoratiores erant ipse creauit, in reliquis faciēdis cōsulum iudicium arbitriumq; iussit esse.

Ex Tribunis autem sex qui in vna legione erant,

erant, bini duobus mensibus toti legioni, partíque castrorum præerant, ac necessaria prouidebant, vt scribit Polyb. Hinc Liu. lib. XL. Secundæ legionis Fuluius Tribu. militũ erat: is mensibus suis dimisit legionem, mensibus suis forte dixit, quibus legioni præerat Fuluius. Ex his Tribunis alter videtur fuisse honoratior, qui primus dictus est. Liuius l. XLI. L. Atius tribunus primus secundæ legionis.

Tribunorum munera in castris ita commemorat Macer. leg. XII. de re militari. officium Tribunorum est, inquit, milites in castris continere, ad exercitationem producere, claues portarũ suscipere, vigilias interdum circumire, frumentationibus cõmilitonum interesse, frumentũ probare, emãsorum fraudẽ coercere, delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare, principijs frequẽter interesse, querelas cõmilitonum audire, valetudinarios inspicere. Hæc Macer, quæ præterea Polyb. auctoritate confirmari possunt; scribit enim tribunos potestatem habuisse multandi, pignora capiendi, ac fuste cædendi milites: eosdem delectũ habuisse, ætates singulas triariorum, Principum, Hastatorũ, & Velitũ distribuisse; centurionatus cæterosq; ordines in exercitu assignasse: arma singulis militũ ordinib. præscripsisse, milites sacramento adegisse: castrorũ descriptionem, aliaq; militaria opera probasse, vigilias ordinasse. Iusaũt Tribuni dicebãt in principijs. Liu. l. 8. Forma castrorũ cõstabat vna ea spe, quod tribunos iura reddere in principijs sinebant. Signum quoque siue tessera vigiliarum à tribuno petebatur: vigi- *Lib. 49 Dig.*

liaſq; ipſi Tribuni circumibant. Liu. l. xxxix. A cuſtodibus probra in circumeũtis vigilias Tribunos iacta, & mox. Forma Romanorum caſtrorũ conſtabat vna ea ſpe, qnod Tribunos & iura reddere in principijs ſinebant, & ſignũ ab eis petebant, & in ſtationes ac vigilias ordine ibant. Tacitus li. xiii. Signum more militiæ petenti Tribuno dedit optimæ matris. Ad obeundas aũt vigilias vſi Tribuni videntur cornicularijs: forte quia corniculo ſua imperia ederent Tribuni. Front. lib. iii. Tamquam Tribuni cornicularius vigiles quoſdam excitauit. Valer. li. vi. c. i. M. Lætorio tribuno milit. Cominius trib. pl. diem ad populum dixit, quod cornicularium ſuum ſtupri cauſa appellaſſet. Et Suet. de claris Grãmaticis: Orbilius primo apparitura magiſtratibus fecit: deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit. Auctor de viris illuſtribus. Scaurus primo in Hiſpania corniculo meruit: ſub Oreſte in Sardinia ſtipẽdia fecit. Poſtremis autem tẽporibus cornicularioru ordo nominatur: ſed ad noſtrũ propoſitum non fuit. Quod aũt ordines aſsignauerint in legione præter Polyb. Liu. oſtendit l. xlii apud quẽ ita loquitur Sp. Liguſt. Ordinem, quo me dignum iudicent Tribuni militum ipſorum eſt poteſtatis. Et mox. Tribuni militares in legione prima primumpilum virtutis cauſa ei aſsignarunt. Ijdem miſsionũ cauſas cognouerunt Ta. lib. i. Annal. Miſsio per Tribunos maturatur. Et aciem inſtruebant. Liu. l. 44. Inſtabat tribunis militum, vt maturarent inſtruere.

Cum

Cum igitur tanta dignitas & poteſtas Tribunorum eſſet, multis quoque commodis ſunt cohoneſtati. nam ex Principibus Haſtatiſque ſinguli Tribuni, qui ſex in legione fuerunt, ternos manipulos Polybio teſte ſortiebantur; qui Tribuni tabernaculum erigebant, locumq; æquabāt, aut, ſi neceſſe eſſet ad impedimentorum cuſtodiam ſæpe muniebant. Ex ijs manipulis octoni milites. Singulis diebus ante Tribuni tabernaculum equoſque excubabant, aliaq; miniſteria exſequebātur. Reliqui autē duo manipuli (viginti enim in Principibus, Haſtatisq; in legione fuiſſe diximus, ex quibus octoni deni Tribunis attribuebantur, ſingulis terni) locum, qui ante Tribunos erat, cuſtodiebant, curabantq; vt aqua adſperſus mundusq; eſſet. Faſces tamen ijs non fuiſſe prælatos Liuius oſtendit li. XXXII. Fugatis inquit ex principijs, ac paulo poſt è caſtris Tribunis, ad principes ſeditionis gregarios milites C. Albiū Calenum, & C. Atrium Vmbrum delatum omnium conſenſu imperium eſt. qui nequaquam tribunicijs contenti ornamentis, inſignia etiam ſummi imperij faſces ſecuresq; attrectare auſi. Appianus etiam in Lybyca Tribunos militares annulo aureo vſos ſcribit, cum ceteri ferreo vterentur.

Poſterioribus temporibus inſigne honoris tribunicij, pugio tradebatur, quem παραζώνιον appellabant. Martialis.

Militiæ decus hoc, & gratia nomen honoris,
Arma tribunicium cingere digna latus.

Dio in Traiano. Cum Traianus tribunatum militum Syræ traderet, paraz onium, quo pro dignitate a cingendus erat nudum ei porrexit. Marcellus de militari testamento lege XXVI. Titius priusquam tribunus legioni factus esset, testamétum fecit, & postea creatus, manente eodem testamento defunctus est.

De alijs magistratibus peditum, equitum, & auxiliorum.

CAP. XI.

HActenus de ijs magistratibus, qui totis copijs præferunt: nunc dicendum est de ijs, qui pedestribus, equestribusq; tum legionarijs, tũ socijs proprie præfuerunt. Singulis manipulis, quos in legione triginta fuisse diximus, bini centuriones præficiebantur, duabus lectionibus cooptati, ex quibus qui prior electus erat, centuriam quæ in dextro cornu manipuli fuit gubernabat; qui autem posterior, eam regebat quæ esset in sinistro: quod si centurionum alter abesset, qui relinquebatur, toti manipulo præerat quam etiam ob causam centuriones duo, teste Polybio, eligebantur, vt si alter cecidisset, nunquam manipulus sine duce relinqueretur. Cum autem essent in legione centuriæ sexaginta, fit vt par quoque numerus centurionum esset. qui quidem in manipulis Hastatorum ita vocabantur Primi Hastati, vel primus hastatus centurio, & deinceps vsque ad decimum hastatum, vel decimi hastati centurio-

turionem: in Principibus vero, primi principis, vel primus princeps centurio, atque ita in singulis vsque ad decimum: in Triarijs vero primipilus, vel primipili centurio, & deinceps vsque ad decimum primipili, vel primipilum centurionem: Triarij enim ante Pilani, vt ait Varro, dicebantur. Liuius l. 8. Duo primipili ex vtraq; acie inter Triarios erant. Primumpilum enim centurionem fuisse Cæsar ostendit libro tertio bel. ciu. Crastinus euocatus in exercitu Cæsaris primumpilum in legione decima duxerat. Hic signo dato, sequimini me, inquit, manipulares mei, eum electi milites circiter 120. voluntarie eiusdem centuriæ sunt prosecuti. Quoniam vero in singulis manipulis duo fuere centuriones, quorum honestior ille fuit centurio, qui prior electus dextram manipuli centuriam gubernabat, iccirco ita distinguebantur, vt alter, verbi causa, primus hastatus prioris centuriæ, alter posterioris diceretur; item princeps primus prioris centuriæ, & primus princeps posterioris centuriæ. vel certe prior & posterior hastatus vel princeps, atque ita in reliquis deinceps. Cæsar l. III. de bello ciuili. omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis, præter priorem principem. Spurius etiam Ligustinus apud Liuium lib. XLII. gloriatur à suis sibi Imperatoribus primum hastatum prioris centuriæ, & primum principem prioris item centuriæ virtutis causa fuisse assignatos. Idem Liuius l. XXVII. manipulo-

pulorum centuriones nominat. Cæſ. libr. 2. ciuil. Centuriones Marſi duo ex caſtris Curionis cum manipularibus ſuis viginti duobus ad Actium Varum perfugiunt. & Liuius lib. XXV. Titus, inquit, Pedanius primus princeps centurio cum ſignifero ſignum ademiſſet; Iam hoc ſignum, & hic centurio, inquit, intra vallum hoſtium erit: manipulares ſui primum tranſcendentem foſſam, dein tota legio ſecuta eſt. Et paulo poſt Primipili centuriones vocat. Nonnunquam tamen centuriones etiam cohortibus præpoſiti leguntur. Liuius libr. 3. Cohortes ſibi quæque centuriones legerunt: bini Senatores ſingulis cohortibus propoſiti. ſed & equitibus præfecti narrantur. Liuius lib. 4. Sex. Tempanium, A Sellium & Antiſtium, & Spurilium fecit, quos pro centurionibus ſibi præfecerant equites. Quamquam exiſtimo centuriones pro decurionibus vſurpari à Liuio.

Centuriones, qui primis manipulis Haſtatorum, Principum, & Triariorum præerant, ceteris videntur fuiſſe honeſtiores: quare primorum ordinum primiſque centuriones vocabantur. Liuius li. 44. Ipſe cum tribunis primiſque ordinibus vadit ad contemplandos tranſitus. Cæſ. li. 1. ciuil. Legatos de pace primorum ordinum centuriones mittunt. Cæſar lib. 1. de bello ciuili. Q. Fulginius primus haſtatus legionis XIV. qui propter eximiã virtutem ex inferioribus ordinibus in eum locum peruenerat. Et lib. III. eiuſdem. Cæſar Scæuam centurionẽ ab octauis ordinibus ad primi-

primipilum se traducere pronunciauit. Tacitus lib. 1. Annal. Lucis propinquis barbaræ aræ, ad quas Tribunos, ac primos ordinum centuriones mactauerant. Et l. 11. Histor. Ante aquilam Præfecti castrorum, tribuniq; & primi centurionum candida veste. Inter omnes tamen ordinũ omnium cẽturiones, honestissimus fuit Primipili centurio, qui etiam Primipilus, & primus centurio dictus est. Cæsar lib. 2. Gall. P. Sestium Baculum primipilum nominat; quem mox libr. 3. Primipili centurionem vocat. Liuius lib. VII. Lex sacrata militaris lata est, ne quis vbi Tribunus milit. fuisset, postea ordinum ductor esset. id propter P. Salonium postulatum est ab coniuratis, qui alternis prope annis & tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primipili appellant. Huic reliquos sexaginta centuriones paruisse docet Dionysius lib. IX. Μάρκος, inquit, φλαβ λήιος ἑνὸς τῶν ταγμάτων τῇ λαμπρωτάτῃ ἀρχῇ κεκοσμημένος, ἣ τὰς ἑξήκοντα ἑκατονταρχίας ἕπεσθαί τε, καὶ τὸ κελευόμενον ὑπηρετεῖν κελεύει νόμος. τούτους ῥωμαῖοι τοὺς ἡγεμόνας τῇ πατρίῳ γλώττῃ πριμοπίλους καλοῦσι. id est, M. Flauoleius ordinis cuiusdã nobilissimi ductor, quẽ cẽturias sexaginta sequi, & eius imperata facere lex iubet. hos ductores Romani primipilos vocant. Polybius etiã centurionem, qui ex omnibus primus fuisset electus, cõsilii etiã participẽ fuisse dicit. is vero sine dubio primipili centurio videtur fuisse. Eius quoque dignitas intelligi-

tur

tur ex eo quod narrat Liu. l. XLIV. ab Aemilio Paulo institutum, vt Tribunus militū primipilo legionis secretum ederet imperium: ille, & deinde singuli proximo cuique in ordine centurioni dicere quid facto opus sit. Quibus ex verbis illud etiam colligitur, vnum in legione primipilum fuisse, non autem plures, vt nonnulli scripserunt. quod etiam Dionysius docuit, cum primipilo sexaginta centurias, quot nimirum legio habuit, præfuisse narrat. Centurionum lectio, vt capite proximo ostensum est, ad Tribunos spectabat, interdum tamen à militibus cooptatos legimus. Liuius libr. 3. Cohortes sibi quæque centuriones legerunt. Eligebantur autem vt scribit Polybius ex singulis generibus præterquam ex velitibus, qui natu minimi erant. Quærebantur autem, vt idem ait, centuriones non tam audaces & periculorum amatores, quam exercitus ducendi periti, animoq; firmo & constanti, qui que non temere ad pugnam ruant: aut si ab hostibus vrgerentur, vitam potius, quam pugnæ locum amittant. Atque ita fere ratio instituta fuit, vt ex inferioribus ordinibus ad superiores, centuriones promouerentur. Cæsar lib. V. Erant in ea legione fortissimi viri centuriones, qui iam primis ordinibus appropinquarent. Et li. VI. Centuriones nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum, causa virtutis, in superiores erant ordines huius legionis traducti. Et lib. 1. belli ciuilis. Q. Fulginius propter eximiam virtutem ex inferioribus

Sigon. l. 1. de Prou. c. 2.

ad

ad primum hastatum peruenerat. Et libro 3. eiusdem. Cæsar Scæuam ab octauis ordinibus ad primipilum se traducere pronunciauit.

Centurionum munus fuit, milites sub pugnæ tempus instruere, vigilias obire, militum operibus præstare. Polybius. Vegetius l. 2. cap. 15. hinc Liuius libr. XXX. Equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam à Romanis centurionibus didicerat, distribuit. Tacitus lib. XV. Addidit gloriæ Corbulo comitatem epulasque, & rogitante rege causas, quoties nouum aliquid aduerteret, vt initia vigiliarum per centurionē nunciari, continuum buccina dimitti. Et li. 11. Historiarum veteris obire vigilias centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad bellum munia cietur. Idem militum controuersias dirimebant. Iuuenalis Satyra XVI.

Legibus antiquis castrorū, & more Camilli
Seruato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à signis: iustissima centurionum
Cognitio est igitur de milite.

Itaque cum tanta esset centurionum dignitas; vilia quædam munera non exsequebantur, vt corbes, storeasque gestare, vt auctor est Dio lib. LII.

Porro centuriones milites ad opus non modo verbis, & cohortatione, sed etiam verberibus excitabant: quam ob causam vitem in manu gestabant, qua segnes castigarent. Plin. lib.

lib. XIV. cap. 1. Centurionum in manu vitis optimo præmio tardos ordines ad lentas producit aquilas; atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat. Hinc Macer li. XLIX. Digest. de re milit. Miles, si vitem tenuit, mutet militiam: si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite puniatur. Tacitus l. 1. Annal. Centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetijs vocabulum cedo alteram indiderant quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, & rursus aliam poscebat. Spartianus in Hadriano. Nulli vitem nisi robusto, & bonæ famæ dedit. Hinc ipsi centuriones maximo erant militibus odio. Tacitus lib. 1 Annal. Repente lymphati districtis gladijs in centuriones inuadunt. ea vetustissima militaribus odijs materies & sæuiendi principium: prostratos verberibus multant, sexagenis singulos, vt numerum centurionum adæquarent. Quare ipsi milites interdum operis vacationem, & verbera pecunijs à centurionibus redimebant. Propterea milites apud tacitum conqueruntur libr. 1. Annalium. Denis in diem assibus animam & corpus æstimari. hinc sæuitiam centurionum, & vacationes munerum redimi. Et lib. 1. Histor. Flagitatum, vt vacationes præstari centurionibus solitæ remitterentur, namque gregarius miles vt tributum annuum pendebat. pars manipulis, pars per commeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolueret, neque modum oneris quisquam, neque genus quæstus pensi habebat. per latrocinia

& ra-

& raptus, aut seruilibus ministerijs militare otium redimebant. tum locupletissimus quisque miles labore ac sæuitia fatigari, donec vacationem emeret. vbi sumptibus ex haustis, socordia miser elanguerat; inops pro locuplete, & iners pro strenuo in manipulum redibat. Porro gregarij milites per Tribunos ac centuriones quæ vellent ab Impp. petebant. Cæs. lib. 1. Gall. Legiones per tribunos militum & primorum ordinum centuriones egerunt, vti Cæsari satisfacerent. lib. 7. Hæc eadem milites centurionibus tribunisq; militum mandabant, vt per eos ad Cæsarem deferrentur. Atque hæc quidem de numero, ordineq; centurionum. nunc deinceps reliqua videamus.

Singuli centuriones singulos sibi adiutores, quos Polybius ἑξαγὰς, id est, extremi agminis ductores appellat, cooptarunt; vt par numerus vragorum & centurionum in manipulo legioneque esset. Hi à latinis forte dicuntur Optiones & Adcensi. cumque olim à consulibus vel tribunis legerentur, postea à centurionibus legi cœpere, Festus. Optio, qui nunc dicitur, antea Adcensus appellabatur. is adiutor dabatur centurioni à Tribuno mil. qui ex eo tempore, quem velint centurionibus permissum est optare, & nomen ex facto sortitus est. Liuius lib. IX. Duo primipili ex vtraque acie inter Triarios erant. Romano haud satis fidenti viribus, iam Romæ permissum erat ab consulibus, vt subcenturionem sibi, quem vellet, legeret.

Pedestribus igitur copijs hi præfuerunt. Equitum vero singulis decurijs, quas in turma ternas fuisse diximus, singuli præerant Decuriones: ex quibus qui primus esset electus, reliquis duobus honoratior fuit, ac non suæ tantum decuriæ, sed turmæ etiam præerat: eoque absente secundus totam turmam gubernabat. Et quamuis Polybius omnes communi nomine Decuriones appellatos dicat, tamen primus Decurio, qui toti turmæ præerat, præfectus quoque honestiori vocabulo dictus est. Cicero pro Marcello. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Hirtius de bello Hispanico Cæsar ob virtutem turmæ Cassianæ donauit millia tredecim & præfecto torques aureos duos. Hi autem tres Decuriones, eodem Polybio teste, olim totidem sibi ἡγεμόνας, id est, extremi agminis ductores cooptabant: postea vero ab Tribunis dabantur. Optionesque similiter atque in centurijs peditum nominati. vtrumque docet Varro libro IV. de lingua lat. Turma, terna est; e in u abijt: quod terdeni equites ex tribus Tribubus Tatiensium, Ramnensium & Lucerum fiebant. itaque primi singularum decuriarum, Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis, sunt etiam nunc terni. quos hi primo administros ipsi sibi optabant, optiones vocari cœpti. quos nunc propter ambitionem Tribuni faciunt. Eadem fere verbis ijsdem ex Curiatij sententia Festus

stus tradit. Præter hos autem Decuriones, qui in singulis decuriis erant, vnus aliquis videtur omnibus equitibus præpositus, & si Magister equitum cum dictatore affuisset, ipse vniuerso equitatui præerat: sin minus, alius præficiebatur, qui Præfectus equitum, vel alæ generali nomine dictus sit. Plutarchus enim narrat in exercitu Cæsaris, Præfectum equitum Labienum fuisse. quis autem putet eum, qui Legatus Cæsaris tot annos res maximas gesserat, ac tandem omnium admiratione approbationeque ad Pompeium transierat, vnius turmæ fuisse Præfectum? Cæsar etiam libro III. belli ciuilis C. Volusenum suum Præfectum equitum nominat, quem certe pluribus quam vnius turmæ equitibus præfuisse ex eo constat, quod eum Roscillus & Aegus fratres Allobroges, qui inter equites Cæsaris primas obtinebant, interficere voluerunt, vt cum aliquo munere ad Pompeium perfugerent. Cæsar lib. primi belli Gall. extremo. P. Crassus adolescens qui equitatui præerat. Frontinus libro quarto, cap. I. Stratag. Domitius Corbulo in Armenia; Aemilio Rufo Præfecto equitum, quia hostibus cesserat & parum instructam armis alam habebat, vestimenta per lictorem scidit. Sueton. in Tiberio cap. 30. Præfectum alæ de vi & rapinis reum causam in senatu dicere coëgit. Et in Augusto capite 38. Liberis senatorum militiam auspiciantibus non tribunatum

modo legionum, sed & præfecturas alarum dedit ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlauios præposuit singulis alis. Quibus ex verbis honestam hanc dignitatem intelligimus fuisse, videntur autem hi Decuriones eandem in equites, quam centuriones in pedites potestatem habuisse.

Auxilijs sociorum præerant Præfecti duodecim ab Imperatore constituti, qui eandem vt scribit Polybius, in socios potestatem, quã in Romanos Tribuni habebant. Liuius l. 26. Fuluius Tribunis mil. ac Præfectis sociorum imperauit, vti duobus millibus equitum delectis denunciarent, vt ad tertiam buccinam præsto essent. Equitibus tamen vniuersis ciuis Romanus præficiebatur, forte ne quid mouerent. Liuius l. XXXV. C. Liuius Salinator præerat alarijs equitibus. Forte etiam quæ de Alæ præfectura proxime diximus, ad socios referri possunt.

Prætoria cohors suũ videtur habuisse Præfectum: cuius Repub. euersa, frequens mentio est apud Tacitum: Dio l. 54. scribit ab Augusto Prætorianorum militum duos Præfectos institutos. Euocati si seorsum à Prætoria cohorte fuissent centuriati suum quoque Præfectum habuere, cuius meminit Cicero ep. 6. lib. 3 famil.

Calonibus præficiebantur ex ipsis calonibus idonei, vsuq; peritι, qui tamen non amplius quam ducentis præessent. Vegetius lib. III. cap. VI. Ex ipsis, inquit, calonibus idoneos ac peritos vsu legebant, quos non amplius

plius quam ducentis sagisarciarijs, puerisque præficerent.

Leuis armaturæ peditibus aliquos præfuisse verisimile sit; qui autem propriè ijs præpositi fuerint, constituere haud scio. Atque hæc de bellicis Romanorum magistratibus.

De armatura peditum, equitumq; Romanorum.

CAP. XII.

VBi ordines peditum, equitumque Tribuni descripsissent, arma singulis ætatibus ordinibusq; cõuenientia, vt Polybius ait, præcipiebant. Romani porro peditũ equitumq; armaturam, sæpe immutarunt, cũ dies & exempla cererarum gentium, quibus cum pugnabant, aliquid noui semper docerent. Romuli autem tempore, quo nam genere armorum sint vsi Romani, incertum est. græca tamen vsos armatura, hinc licet conijcere, & quod à Græcis originem ducebant, & quod Romulũ Plutarchus pro argolicis clypeis Sabinorum scuta sumpsisse narrat. Cæsar vero apud Sallustium de coniuratione, Romanos arma atque tela militaria à Samnitibus sumpsisse dicit. sed hoc posterioribus temporibus accidisse puto, cum bella inter Samnites Romanosque orta essent. Primus Ser. Tullius cum classes censumque instituerer, singulis classibus arma ac tela dedit, quibus vterentur in bello, quæ deinceps videntur retinuisse Romani. Singulos ordines pro-

pria arma habuisse à cæteris distincta Tacit. ostendit libro 1. Hist. Aperire armamentarium iussit, rapta statim arma sine more & ordine militiæ, vt prætorianus aut legionarius insignibus suis distingueretur; miscetur auxiliaribus galeis, scutisque.

Velites igitur, quos in quarta classe censos fuisse diximus, ex Tullij institutione scutum, gladium & hastam habuere, vt scribit Dionysius: idq; omnino verisimilius est, quam quod Liuius ait, nihil eos præter hastam & verutum gestasse. Polybius velitibus etiã galeã tribuit, quod posterioribus temporibus factum puto; vt etiam illud, quod pro scuto parmam acceperint, quã illis Polybius, & Liuius deinceps tribuunt. Cum enim in obsidione Capuæ Romani equitatu inferiores essent, ex omnibus legionibus iuuenes maxime vigore & leuitate corporum veloces elegerunt, qui misti inter equites militarent, atque his parmas, & iacula tribuerunt vt Liuius ait; velitesque item sunt appellati: paullatimque eorum armatura ad eos Velites translata videtur, qui inter pedites pugnabant. Parma igitur, quam velites posteriore ætate habuere, rotunda fuit, & breuior quam equestris, magnitudine tripedali, firmitatem roburque habens cum ob structuram, tum ob magnitudinem, quæ tutando corpori satis esset, vt Polybius scribit lib. VI. Liuius lib. XXVI. de velitibus ad Capuam institutis. Eis parmę breuiores, quam equestres datæ, inde enim verisimile est, veteres velites parmam sumpsisse, quam illis, vt di-

vt dixi, Polybius tribuit. Itaque idem Liuius lib. XXXIX. cum veterum velitum armaturam immutatam scriberet. Veles, inquit, tripedalem parmam habet, & in dextra hastas, quibus eminus vtitur. gladio Hispaniensi est accinctus, quod si pede collato pugnandum est, translatis in læuam hastis, stringit gladium. Quæ omnino descriptio cum Polybiana conuenit. Veliti item parmam tribuit Liuius idem libro XXXI. Nec pedes concursator, & vagus, & prope seminudus par erat genere armorum veliti Roman. parmam gladiumque habenti; pariterque & ad sefuendum, & ad hostem petendum armato. Et Varro à *περὶ μαρτυρίας* apud Nonium. Quem sequun.ur cum rotundis velites leues parmis. Velitum forte parmas extremis temporibus iterum sustulit C. Marius, (vt Festus ait. u. Parmulis) datis in vicem earum Bruttianis, id est, vt idem. u. Bruttianæ interpretatur, Scutis, quibus Bruttiani vterentur. hæc autem scuta oualis figuræ fuisse puto. in æreo enim nummo vidi militem cum ouali scuto, quod secundum longitudinem induebatur cum inscriptione *Βρεττίων* sic enim Græci Brutios vocant: atque ita sane in veteri inscriptione Rhegij adhuc legitur. *u. Veles.*

Hastæ velitum, quas Polybius *γεσσφας*, Dionysius *δόρατα* nominare videtur, missiles fuere, vt Liuius docet l. XXXIIX. cum eorum armaturam describit, in dextra, inquit, hastas

habet, quibus eminus vtitur. Et libr. XXX. velites ancipites ad ictum vtrinque conijciebant hastas. Et lib. XXIIX. velites primo missilibus territauere: deinde emissis leuibus telis, quæ irritare magis quam decernere pugnam poterant, gladios nudant. Et libro XXXI. velites emissis hastis cominus gladijs rem gerebant. Iam vero velites legionarios hasce hastas missiles habuisse Liuius ostendit lib. XXIV. ante institutos ad Campuam velites: Velites, inquit, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est; vix quemquam sine vulnere consistere in muro patiebantur. Et libr. XXVI. cum de noua velitum institutione differeret: septena, inquit, iacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. Quæ cum dicit, veteres velites hastis vsos aperte demonstrat.

Hæ hastæ duos longæ cubitos fuere, teste Polybio, digiti crassitudine dodrantali præfixo ferro, in tenuitatem gracilitatemque ducto, vt post primum ictum reflecteretur, neque remitti posset. Itaque Liuius lib. XXIV. velitum telum inhabile ad remittendum esse dixit. Cum vero hastas scriptores tribuant veliti, facile conijcere possumus, eas fuisse plures, tot nimirum, quot vna manu comprehendere commode possent. nam Liuius libr. XXXIIX. scribit velites, si collato pede pugnandum fuisset, trâslatis in læuam hastis, gladios strinxisse. Ad iacendas hastas velites amentis vtebantur. Cæs. lib. V. Gall. Monet vt tragulam

gulam cum epistola ad amentum delegata, intra munitionem castrorum, adijciat. Cicero in Bruto Hastæ velitibus amentatiæ traduntur. Isidorus libro XIIX. cap. VII. Amentum vinculum est iaculorum hastilium, quod medijs hastis aptatur. Festus. Amenta, quibus vt mitti possint, vinciuntur iacula, ex Græco quod est ἀμματα sic appellata: vel qui aptantes ea ad mentum trahunt.

Porrò velitum hastas à pilis fuisse diuersas, contra quã nonnulli putant, Polybius ostendit, qui velitum ϰρόσφος, Hastatorum verò, & principum cæterorum ὐσσὸς fuisse dicit: & Liuius pila ab hastis velitaribus seorsum nominans libro XXXIIX. Ingentem, inquit, vim pilorum, & velitarium hastarum parauerat.

Gladium veliti, vt dixi, Polybius, & Dionysius tribuunt, quem Liuius in explicatione census adimit: postea passim tribuit, vt libr. XXIIX. Velites emissis leuibus telis, quæ irritare magis, quã decernere pugnam poterant, gladios nudant. Et lib. XXXI. Velites emissis hastis cominus gladijs rem gerebant. Et li. 38. Et cum cominus venerant, gladijs à velitibus trucidabantur. Hic gladius brevior fuit, ad propiorem habilis pugnam. Hispaniensem Liuius vocat: Polybius generali nomine μάχαιραν, Hispaniẽsem verò cæteris tribuit, verisimile tamen est, gladium Hispaniensem peditum grauis armaturæ fuisse: deinde propter insignes vtilitates, à cæteris etiam equi-

tibus vsurpatos. Gladius Hispanienſ. vtrinq; acutus fuit, Polybio teſte, mucronemq; eximium, & obeliſcũ firmum validumq; habuit Liu. lib. 38. veles tripedalem parmam habet, & in dextra haſtas quibus eminus vritur: gladio Hiſpanienſi eſt cinctus. quod ſi pede collato pugnãdum eſt, tranſlatis in læuam haſtis, ſtringit gladium. Et l. VII. A. mant in ſe iuuenem æqualem: pedeſtre ſcutum capit, Hiſpano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. Hiſpanienſem autem gladium vocatum puto, quod eum ab Hiſpanis Romani mutuati eſſent, vtrinq; enim punctim magis, quam cæſim feriebant. de Romanis quidem teſtis Vegetius li. I. cap. X I. De Hiſpanis autem Liuius lib. XXII. Gallis, inquit, Hiſpaniſque ſcuta eiuſdem formæ fere erant: diſpares ac diſſimiles gladij: Gallis prælongi, ac ſine mucronibus: Hiſpano punctim magis, quam cæſim aſſueto petere hoſtem, breuitate habiles & cum mucronibus.

Hoc gladio ita veteres præcingebantur auctore Polybio; quod etiã in antiquis marmoribus videmus, vt ab ſiniſtro humero ad dextrum femur penderet: quæ cauſa fuit, vt breuior eſſet, cum alioqui ſtringi commode non poſſet. Hunc Feſtus arma dicit appellata, quod ex armis, id eſt, humeris penderẽt, vt gladius. Ioſephus tamen qui Romanam militiam Veſpaſiano imperante explicauit. Romanos vtroque ex latere gladijs præcinctos dicit, ita tamen, vt gladius dexter vnius eſſet palmi, ſiniſter verò multo longior. vt gladius dexter

lib. 3. c 3. vel 6.

nihil

nihil aliud quam pugio fuisse videatur: pugionibus enim Romanos vsos esse Cicero, Sallustius, Tacitus, cæteriq; tradidere. Dio etiam l. XXXIX. Rom. pugiones Gallicis minores fuisse dicit, mucronemq; ex chalybe habuisse. Veget. quoque spathas & semispathas, id est, maiores & minores gladios militibus tribuit l. 2. c. 15. Porrò cingulũ ex quo gladius pendebat, Baltheus siue Baltheũ dictum est, quod, vt ait Varro, è corio esset bullis distinctum. Propertius lib. IV. eleg. XI. *lib. 4. de L.*

Præbebant cæsi baltea lenta boues.

In eodem balteo signa quædam fuisse, quæ militum in legione numerum ostenderent, tradit Isidor. l. 19. Originum cap. vltimo. Hoc Balteum militare quoq; cingulũ appellatur. Cæs. l. 5. Transfigitur scutum Pulsio, & verutum in balteo defigitur. auertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis dexteram moratur manum.

Galeã veliti neq; Dionys. neq; Liui. vnus verò Polybius tribuit: quam simplicem fuisse dicit, lupi pelle, aliave re simili contectam, quod & integumentum pariter, insigneq; esset, vt in prœlio strenuè gnauiterq; se gererent suos duces ij qui latere non possent. Propertius lib. IV. eleg. XI.

Et galea hirsuta compta supina iuba.

Virgil. l. 7. *de Hernicis. Fuluosque lupi de pelle galeros.* Easdẽ galeas struthiocameli pennis ornarũt, vt ait Plin. l. 10. c. 1. Eas pennas tres fuisse, cubitiq; vnius longitudine scribit Pol. quas rectas nigri

nigri vel punicei coloris, in galea, in coronæ modum ponebant, vt species cum per se pulchrior, tum hostibus esset terribilior.

Ex qua autē materia velitum galea fuerit, Polybius non tradit: ex ære autem fuisse inde adducor vt credam, quod reliquarum classium galeæ item æreæ fuisse tradantur à Polybio, & Liuio. Camillum tamen bello Gallico aduersus Gallorum ictus, galeas ferreas læui superficie fabricasse narrat Plutarchus in vita. Festus similes ait fuisse galeas naso sursum versus repando, quare Silas etiā dici: ex hoc etiam potuit Propertius galeam supinam nominasse. *v. Sili.*

Ac velites quidem ita armabantur, vt maxima tamē ex parte nudi essent. Hastati verò, totam armaturam teste Polybio gestarunt. ea autem fuit, vt idem ait scutum, galea, thorax, ocreæ, gladius, pila siue hastæ.

Scuta Romani videntur sæpe mutasse. Romulum enim pro argolicis clypeis Sabinorū scuta Romanis dedisse Plutarchus refert. Ser. Tullius, vt Liuius & Dionysius scribunt, primæ classi, id est, Triarijs clypeos dedit: quos ἀσπίδας Dionysius vocat: secundæ verò & tertiæ, id est, Principibus & hastatis scuta, quæ θυρεοὺς idem appellat. Polybius Hastatis, Principibus, Triarijsque θυρεοὺς tribuit. Cæsar apud Sallustium Roman. à Samnitibus armaturam sumpsisse dicit: Athenæus li. VI. extremo Roman. θυρεοῦ χρῆσιν à Samnitibus sumpsisse dicit. Samnitium verò scutum ita descri-

describit Liuius l. IX. Forma erat scuti summum latius, qua pectus atque humeri tegûtur fastigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis causa. Idem Liuius bello Persico, Romanos scutis Liguſtinis vſos narrat, libr. XLIV. Milſili b. procul regia auxilia melius pugnabant: cominus ſtabilior & tutior, aut parma, aut ſcuto Liguſtino Romanus erat. quâquam ibi Liuius de leui armatura loqui videtur. Clypeum ego rotundum fuiſſe puto, vel Virgilij auctoritate, qui Polyphemi oculũ fuiſſe dicit, Argolici clypei, aut phœbeæ lampadis inſtar. Feſtus quoque corium bouis ob rotunditatem clypeum vocatum dicit. Scutum verò ouali, aut quadrata figura portæ inſtar fuiſſe veriſimile eſt, ex quo θυρεὸς Græcis dictum videri poteſt. Samnitiũ verò ſcuta ex vtriſque compoſita fuêre, ſuperiore quidẽ parte lata, infima cuneata, vt Liuius ait.

Scutũ, teſte Polybio, ſuperficie curua fuit, quod, vt opinor, ſic melius militis non ſolum pectus, ſed etiam latera protegeret. Hinc Liuius l. XXXIIX. de Gallorum ſcutis. Scuta, inquit, longa, cæterum ad amplitudinem corporum parum lata, & ea ipſa plana malè tegebant Gallos. Dio tamen l. XLIX. etiam plana ſcuta in exercitu Ro. videtur agnoſcere, cum in Teſtudinis deſcriptione dicit, eos, qui ſcuta curua haberent, extra in lateribus collocatos: qui autem lata ſcuta habuere: in medio poſitos, ſcuta ſuper capita ſuſtuliſſe: ſic vt non ſolum milites, ſed etiam equi currusq; ſuper ea teſtitudine veherentur.

Fuit

Fuit vero latum scutũ, vt scribit Polybius, pedes duos & semis. itaque pede ipso milite latius fuit, cum hominis vnius latitudo vnius pedis & semis fere sit, aut nõ multo secus. Lõgitudo autem ordinaria fuit pedum quatuor, aut vt maxima esset, quatuor amplius digitis ordinariam superabant. itaque scutum totum fere militem tegebat, cum homo fere maior quinque pedibus non sit: quare modica inclinatione corporis oẽs ictus vitare poterant. Hinc Liuius l. XXXIV. Missilibus Lacedæmonij pugnabant; à quibus se magnitudine scuti perfacile Romanus tuebatur miles. Et lib. IX. de comparatione Macedonum & Romanorum militum, Arma, inquit, clypeus, sariſſæq; illis: Romano scutum maius corpore tegumentum. Quibus verbis scutum clypeo maius fuisse significat. Scuti quoq; Romani amplitudinem illud ostendit. quod idem Liuius narrat l. XLV. à Paulo institutum: Vigiles etiam nouo more scutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, vt armis vtatur, sed ad vigilandum scuto præ se erecto stare galeatos; deinde vbi fessi sint innixos pilo, capite super marginem scuti posito sopitos stare, &c.

Erat verò, vt Polyb. narrat, ex duabus tabulis scutum compactum, taurino giutino, linteisq; inter se coniunctis: exterior superficies vituli pelle obducebatur. vnde scuta dicta putat Festus ἀπὸ τῦ σκύτους, id est, pelle. Liui. lib. XXIII. Lora detractasque scutis pelles, vbi feruida mollissent aqua, mandere conarẽtur,

tur. Scutum videtur compactum ex axiculis. Marcellinus lib. 21. fere initio. Iulianus cum quatiens scutum varijs motibus exerceretur in campo, axiculis, quis orbis erat compaginatus in vanũ excussis, ansa remenserat sola. Plinius lib XVI. c. IV. ex aquaticis arboribus scuta præcipue facta scribit. Scuti ora, eodem Polybio auctore, ferrea lamina obducebatur, cum vt gladiorum ictibus resisteret, tum verò ne terræ adhærens atteretur. Hanc laminam bello Gallico à Camillo additam, cum antea scutum ex solo ligno esset, scribit in vita Plutarchus. In medio scuto, teste Polybio, ferreus fuit vmbo, tam firmi roboris, vt omnibus ictibus lapidum, telorumque resisteret.

Habuit præterea scutum lora, vt scribit Servius, quibus ex humeris brachioque sinistro suspendebatur: ex quo dixit Virgilius libro II. Aeneid.

Clypeiq; insigne decorum Induit, &c.

Quod idem scribit lib. XVII. Polybius.

In scuto porro intrinsecus quidem, vt Vegetius ait lib. II. cap. XIX. vnius cuiusque militis nomen erat inscriptum, addito ex qua esset cohorte, quave centuria: extrinsecus autem nomen erat Imperatoris adscriptum teste Dione libro XLIIX. & libro L. Xiphilinus in Domitiano. Iulianus iussit milites sua & centurionũ suorum nomina in scutis inscribere, quo facilius ij, qui præclarè aliquid, aut turpiter fecissent, cognoscerentur. Hirtius de bello Alexandrino. Milites adeo fatebantur, vt C. Pompeij nomen in scutis inscri-

scriptum haberent. Et mox. milites nomen Pompeij ex scutis detraxerunt.

Ad femur dextrum gladium Hispaniẽsem, similiter atque velites gestabant. Nec non galeam, vt illi æream habebant, quam præterea pinnis tribus puniceis nigrisve rectis longitudine fere cubitali ad instar coronæ cuiusdam adornabant: quæ pinnæ cum ad arma cetera in summo capite accederent, miles duplo maior videbatur, eiusque species cum pulchrior, tum hostibus terribilior reddebatur, vt ait Polyb. l. VI. Varro lib. IV. de lingua Lat. Mari, inquit, Summa, Pinnæ, ab iis, quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites. Has pinnas struthionum fuisse ait Plinius lib. X. c. 1.

Ocreæ tibiarum fuêre tegumenta; ex quo etiam Tibialia nominantur; ex ære fuisse Polybius, Dionysius, Liuius tradunt. Scribit l. 1. cap. XX. Vegetius in dextris duntaxat cruribus ocreas habuisse; forte quia, vt idem præcipit, pedẽ dextrum, dum gladio cominus pugnatur, milites proferre debent: quare is nudatur, cum sinister scuto tegitur. Virg. l. VII. de Hernicis idem testatur: vestigia nuda sinistri instituere pedis, crudus tegit altera pero.

Polybius tamen, Dionysius, & Liuius ocreas numero multitudinis nominant; & in marmoribus crus vtrumque tectum ocreis videmus. Liuius l. IX. Samnites sinistrum crus ocrea tectum habuisse narrat, quod de omnibus militibus videtur confirmare Iuuenalis Satyra VI.

Bal-

Balteus, & manica, & crista, cruriſq; ſiniſtri
Dimidium tegmen.

Tegebant autem ocreæ, vt ex marmoribus videmus, ſolam tibiam fere vſque ad genu: ne, dum ſcutum ad ictus virandos attollitur, ima pars cruris tibiæque nudaretur. Ocreas Feſtus inæqualiter tuberatas fuiſſe dicit, vnde illis nomen. Ocreri enim veteres montem confragroſum nominabant. Liuius tamen & Dionyſius tertiæ claſſi, id eſt, haſtatis adimũt. Pila præterea (ſic enim ὄρυγες interpretor) teſte Polybio, duo geſtabant, alterum quidem maius, alterum verò minus: minora pila vna cum ferro iaculis mediocribus paria fuere, vt cum Polybio ſcribit Dionyſius libro V. Maiorum pilorum alia tereti, alia quadrata figura fuiſſe, ait Polyb. id eſt, vt ego exiſtimo, vt haſtile ad medium vſque quadratum eſſet, quod ferro item quadrato præfigeretur, vt in Celtica ſcribit Appianus. Liuius quoque in pilo haſtile quadratum agnoſcit libro XXI. Falarica, inquit, erat miſſile telum, haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, vnde ferrum exſtabat, id, ſicut in pilo, quadratum.

Horum magnitudo fuit, auctore Dionyſio, quæ manum impleret, hoc eſt, quemadmodum ſcribit Polybius, vt tereria diametrum digitorum quatuor: quadrata eiuſdem menſuræ latera haberent. Porrò maiorum minorumque pilorum eadem fuit haſtilis longitudo, id eſt, Polybio teſte, cubitorum trium,

vel vt scribit Dionysius, haud minor tribus pedibus. huic ligno ferrum, auctore Polybio, longitudinis eiusdem inserebatur, cætera, vt scribit Appianus, molle ac tenerum præter mucronem, qui cum firmus fuit, tum etiam, vt ait Polybius, hamatus: videlicet vt cum ictu inflecteretur, inhabile ad remittendum esset, aut si corpori adhæsisset, non facile extraheretur. Cæsar libro 1. Gall. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod pluribus eorũ scutis vno ictu pilorum transfixis & colligatis, cum ferrum se inflexisset, neque euellere, neque sinistra impedita satis commode pugnare poterant.

Ferrum autem, vt Polybius & Appianus narrant, ad medium vsque hastile inserebatur, tamque firmiter connectebatur, vt prius ferrum frangeretur, quam nexus relaxaretur. Nectebatur enim multis fibulis, vt Polybius ait: Plutarchus tamen pili ferrum duabus fibulis ferreis colligatum fuisse narrat, earumque alteram à C. Mario bello Cimbrico sublatam, ac pro ea ligneum clauum repositum eo consilio, vt pilum in hostile scutum incidens non rectum hæreret, sed facto clauo ligneo, ferrum reflecteretur atque hastile traheretur ob cuspidẽ flexam retentum. Dionysius pila vtrinque ferro præfixa fuisse dicit, forte vt humi præfigi posset, ipse quoque ibidem pila, quæ ante tabernacula erant præfixa, arsisse scribit.

In pilis videtur nomen Imperatoris fuisse inscriptum: nam hac vna re dicit Plutarchus notum

notum factum esse, Catuli opera victoriam de Cimbris partam esse, quod pila, quibus hostes fuerant interfecti, Catuli nomen haberent inscriptum.

Iam verò pilis vsos fuisse hastatos, Liuius ostendit libro XXVII. C. Decimius, Flauus Tribun. mil. signo arrepto primi hastati, manipulum eius signi se sequi iussit, pilaque in belluas conijci. Et lib. XXX. Hastati legionis vndecimæ conglobant sese, atque in elephantos pila conijciunt.

Primis tamen temporibus hastis vsi sunt hastati, & Dionysius, Liuiusque tertiæ classi, id est, Hastatis, hastas tribuunt. Varro etiam l. IV. de lingua latina. Hastatos nominatos dicit, q̃ initio hastis pugnarẽt. Quando autẽ pro hastis pila acceperint, incertũ est. Anno tamẽ CCIV. Hastati hastas habuere. Liuius lib. VII. Ab hastatis, principibusq; prœlium initum, præter virtutẽ locus quoq; superior adiuuit, vt pila omnia hastæq;, non tamquam ex æquo missa, vana caderent, sed omnia librata ponderibus figerentur. Ex quo loco illud etiam intelligimus hastas missiles fuisse.

Thoracem, siue loricam tertiæ classi id est Hastatis Liuius, Dionysius, & Polybius adimunt. Polybius tamen eos pro lorica, æreа lamina, cuius in omnes partes latitudo vnius palmi esset, pectus muniisse scribit; quam καρδιοφύλακα, id est, cordis munimentum nominarunt. Qui tamẽ censum supra decem millia drachmarum habuere, totum thoracem gestarunt, vt infra dicemus.

Hæc igitur Hastatorum, qui in tertia classe censebantur, armatura fuit. Eandem omnino habuere Principes, teste Polybio; Dionysius etiam & Liuius Ocreas, quas tertiæ classi, id est, hastatis ademerunt; secundæ, id est, Principibus tribuunt.

Triariorum, qui in prima classe numerati sunt, arma eadem fuêre, vt scribit Polybius; pro pilis tamen hastas habuisse narrat; quas etiam primæ classi tribuunt Liuius & Dionysius. Eadē diserte dat Triarijs Liuius li. VIII. Triarij sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas suberecta cuspide in terra fixas tenentes. Triariorū hastæ non videntur missiles fuisse: itaque δόρατα à Polybio vocantur: & Liuius ostendit lib. VIII. Triarij cum & semetipsi fatigassent, & hastas aut præfregissent, aut hebetassent. Et mox. Triarij hastis ora fodientes per manipulos prope intacti enasere. Varro tamē lib. IV. de lingua latina Triarios pilis pugnasse dicit, & propterea Pilanos vocatos, quod etiam confirmat Ouidius lib. III. Fastorum, Pilanos, Triarios nominans:

Hastatos instituit quę decem, Et totidē Princeps, totidem Pilanus habebat Corpora.

Porrò cum Triarij in prima classe numerarentur, cuius census finitus est supra centum millia æris, vel, quod idem est, supra centum minas, id est, decem millibus drachmis siue denarijs (mina enim à Solone centum drachmis

mis finita est, vt Plutarchus scribit) totum, integrumque thoracem habuere, non, vt cæteri solum palmare illud pectoris munimentum. Polybius enim eos, quorum census amplius decem millium drachmarum fuit, thoracem habuisse narrat; hic verò primæ classis census fuit. Quamquam idem Polybius inter Hastatos quoque aliquos eiusdem census fuisse dicit, qui thoraces item habuerint. Thoracem, quem Latini loricam nominant, hamatum fuisse tradit Polybius, id est, vt ego quidem puto, annulis consertum: quod etiam in antiquis marmoribus videmus. Ex ære fuisse docet Liuius: postea ex ferro loricæ fieri cœptæ sunt; Varro lib. IV. de lingua Latina. Lorica, quod è loris de corio crudo pectoralia faciebant: postea succuderunt Galli è ferro sub id vocabulum, ex annulis ferream tunicam. Plutarchus in Lucullo squamatas loricas nominat, id est, ex laminis ad instar squamarum confectas.

Vtrum autem Triarij scutum gestarint, cõtrouersum esse potest. Polybius enim, vti diximus, Triarijs similiter atque hastatis, Principibusq; scutum dedit. Liuius autem, vt Dionysius primæ classi ἀσπίδας siue clypeos, secundæ tertiæque θυρεὰς, siue scuta tribuerunt. Idem tamen Liuius libr. VIII. scuta dedit Triarijs: Triarij, inquit, sub vexillis cõsidebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas suberecta cuspide in terra fixas tenentes. At l. XXII. ijsdem clypeos tribuit; consulem, inquit, lancea transfixit: spoliare

liare cupientem Triarij obiectis clypeis, arcuere.

Sic igitur legionarij siue grauis armaturæ pedites armabantur: Leues autē, qui in quinta classe censebantur, fundis, missilibusque pugnarunt, vt Liuius & Dionysius tradunt, itaque scuto, gladio, cæteraque armatura videntur caruisse. Ac de scuto quidem verisimilis fit ex Vegetio cōiectura, cum funditori & sagittario non modicum impedimentum sit: de gladio verò possumus quoque conijcere ex Plutarcho, qui in Sullæ vita Romanos sagittarios collectis manu sagittis, hostes à quibus premebantur, populasse ait. nam si gladium habuissent, verisimile est eum stricturos fuisse, vbi vicinitas hostis sagittarum iactum exemisset. Gladium tamen ijs tribuit Tacit. li. XII. Sed eo quoque irrupere ferentarius, grauisq; miles, illi telis assultantes, hi conferto gradu, turbatis contra Britānorum ordinibus, apud quos nulla loricarum, galearumve tegmina: si auxiliaribus resisterent, gladijs ac pilis legionariorum, si huc verterent spathis & hastis auxiliarium sternebantur. Veget. verò l. 1. c. XX. totam armaturam sagittarijs tribuere videtur: Quid enim, inquit, pedes sagittarius sine cataphracta, sine galea, qui cū arcu scutum tenere non potest, faciet. Et mox. Pilatæ legiones præter scuta etiā cataphractis galeisq; fulgebant; vsque eo vt sagittarij sinistra brachia manicis munirētur.

Veg. l. 1. c. 20. & l. 3. cap. 14.

Fundæ, vt scribit Veget. lib. 3. ca. 14. ex lino vel setis fuere, quibus, contorto circa caput bra-

brachio, non solùm lapides, sed etiã glandes dirigebant. Est autẽ glans, Nonio teste, plumbum in modum glandis informatum. Propertius li. IV. eleg. III. Plumbea cum tortæ sparguntur pondera fundæ. Liuius l. XXXII. de funda Aegiorum: Est non simplicis habenæ, vt Balearica, aliarumq; gentium funda, sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne fluxa habena, volutetur in iactu glans, sed librata cum sederit, velut neruo missa excutiatur. Et ibidem. Consul, quia non cominus pugnam, sed procul locis oppugnandis futuram præceperat animo, ingentem vim pilorum, velitarium hastarum, sagittarum, glandisque & modicorum, qui funda mitti possent, lapidũ parauerat. Et l. XXXVI. Ex loco superiore fundis velut nimbum glandes, & sagittas simul, & iacula ingerebant. Sallustius in Iugurthina. Pars eminus glande aut lapidibus pugnare. Hirtius de bello Africano ofii. inas ferrarias instruere, sagittasque, & tela vti fierent complura, curare, glandes fundere, sudes cõparare. Et de bello Hispanienſi. Glans missa est inscripta, quo die ad oppidum capiendum accederent, sese scutum posiurum. Fiebant etiam glandes ex argilla Cæsar lib. v. Feruentes fusili ex argilla glandes, fundis, & feruefacta iacula in casas iacere cœperunt. Has glãdes inflicto vulnere in corpus penetrasse, idẽ Liu. l. 38. ait. Galli cũ aculeus sagittæ, aut glãdis abditę introrsus tenui vulnere in speciem vrit, & scrutantes quæ vellant, telum non sequitur. Plut. in Antonio glandes μολυβδίνας vocat.

Hæc igitur de leui armatura. postea verò cum ad Capuam noui essent velites instituti, qui pugnarét inter equites, eis auctore Liuio, parmæ breuiores, quam equestres, & septena iacula quaternos lóga pedes data sunt. præfixo ferro, quale hastis velitaribus inest. Quamuis autem aliorum armorum mentio non fiat, verisimile tamé est, eos & gladium, & galeam cæteraque vt velites reliqui habuisse. lib. 8.

Equites Romani, si Polybio credimus, non eodem semper armorum genere sunt vsi. antiquissimis enim temporibus loricas non habuere, sed ἐν περιζώμασι, id est, succincti, vt ille ait, prælibantur. Quare consequebantur id quidem, vt ad descendendum ex equis, insiliendumq; leues & expediti essent, sed in congressibus prœlijsque maxime vulneribus erant expositi, cum fere nudi pugnarent. Hastæ præterea eorum tenues erant & graciles: itaque nec destinatum locum ijs ob agitationem ferire poterant, & sæpe solo ipso equorum motu agitatæ frangebantur. Sed neque ab ima parte præpilatæ erant: quare priore duntaxat parte erãt vtiles, qua fracta nullum amplius vsum præstare poterant. Scutum verò habebant ex corio bubalo, placentis vmbilicatis, quæ in sacrificijs offerri consueuerunt, persimile: quod præterquam quod firmitatem non habebat, tum verò vbi imbre maduisset, decorticatum & tumens inutile omnino reddebatur.

Hæc igitur fuit primis tẽporibus, teste Polybio, equitum armatura; quam cũ inutilem esse

esse sensissent, aliâ à Græcis mutuati sunt. quo autem tempore id cœperit, cum Polybius reticuerit, difficilis coniectura est. Quocunque autem modo se res habeat, Equites Rom. Græcorum exemplo loricam, scutum firmum, hastasque cum robustas, tum ab ima parte præpilatas, acceperunt. Hastas equitibus tribuit etiam Liuius lib. I. Imperat, vt hastas equites erigere iubeat. Et lib. XL. Equites, detractis frenis, bis vltro citroque cum magna strage hostium infractis omnibus hastis, transcurrerunt. Quibus ex verbis equitum hastas haud missiles fuisse colligitur, vnde δόρατα Polybius vocat. hinc etiam Liuius lib. II. de Bruto & Arunte, qui in equis inter se concurrerunt. Contrario, inquit, ictu per parmam vterque transfixus, duabus hærentes hastis moribundi ex equis lapsi sunt. Iosephus lib. III. Equites κόντον, id est, contum longum gestasse scribit; quem etiam contum equiti tribuere videtur Vegetius lib. II. cap. XIV. In pharetra præterea terna plurave iacula lato ferro, hastis magnitudine paria, suspensa habuisse, idē Iosephus narrat. neque Liuius negat, qui cum spicula, tum missilia equitibus tribuit, vt lib. III. Equites Romani impressione vna totum hostium equitatum fudere, magnam vim ex equis præcipitauere; ipsos equosque spiculis confecere. Et l. VIII. Circumactis equis, cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. sed forte in ijs locis spiculum pro hasta dixit Liuius:

At lib. VI. missilium diserte meminit; Equitum, inquit, turmę immissæ. dato signo, ne singulorum morando cæde, spatium ad euadendum multitudini darent: satis esse missilibus ac terrore impediri cursum, obequitandoque agmen teneri. Et Cæsar lib 1. ciuil. Equites vero ex loco superiore in aduersos tela conijciebant.

Galeas & loricas equitum similes fuisse galeis ac loricis peditum Iosephus narrat. Liuius item equestrium loricarum miminit lib. XXX. Munera quæ legati ferrét Massanissæ regi decreuerunt bina equestria arma cum loricis. Galeæ tamen Polybius non meminit: quam tamen equites habuisse præter Iosephũ, antiqua marmora ostendunt. Ex tamen equitum facies non texere. Itaque Cæsar prœlio Pharsalico militibus suis præcepit, vti Pompeianorum equitum ora oculosque peterent, quæ res Cæsari victoriam peperit, vt Plutarchus, Appianus, Frontinus, cæteriq; tradunt. Hinc illud, vt nouum de Persarum armatura scribit Marcellinus. initio. Erant omnes caterua ferratæ, ita per singula membra densis laminis tectæ, vt iuncturæ rigentes compagibus artuum conuenirent, humanorumq; vultuum simulachra ita capitibus diligenter aptata, vt imbracteatis corporibus solidis, ibi tantum incidentia tela possent hærere, qua per cauernas minutas, & orbibus oculorum affixas parcius visitur, vel supremitates nariũ angusti spiritus emittuntur. Scutum equitibus Polybius & Iosephus tribuũt, quod θυρεὸν appel-

appellant: Ioſephus etiam obliquum id ad equi latus geſtaſſe dicit. Liuius tamen vbique parmas aſſignat, li. enim II. de equeſtri pugna Bruti & Tarquinij cõtrario ictu per parmam vterq; transfixus, duabus hærentes haſtis moribundi ex equis lapſi ſunt. Et ibidem. Equites deſiliunt ex equis, & pro anteſignanis parmas obijciunt. Et l. XXVI. velitibus datas dicit eſſe parmas breuiores, quam equeſtres.

Nec gladium quidem in equitum armatura Polybius nominauit; quo tamen longe ad latus dextrum præcinctos fuiſſe narrat Ioſephus. Lõgiorem autem gladium equites iccirco videntur habuiſſe, quod, opinor, non tam prope ſemper quam velint, ad haſtam poſſint accedere. quare T. Manlius eques Roman. cum Gallo pedeſtri pugna cõgreſſurus Hiſpanum peditum gladium accepit, qui ad propiorem pugnam magis habilis eſſet, vt ſcribit Liuius lib. VII. Poſtea ipſi etiam equites Hiſpanienſem gladium videntur accepiſſe, ſed eum forte longiorem quam peditum fecerunt. Liuius enim de equeſtri pugna Romanorum & Macedonum, ita ſcribit l. XXXI. Poſtquam gladio Hiſpanienſi detruncata corpora, brachijs abſciſis, aut tota ceruice deſecta, diuiſa à corpore capita, patentiaq; viſcera, & fæditatem aliam vulnerum viderunt, &c. Quibus verbis illud etiam intelligitur Hiſpanienſi gladio equites cæſim potius quam punctim vſos fuiſſe; contra quam ſupra de peditibus docuimus. Vtrum aũt equites ocreas habuerint, non memini me legiſſe: habuiſſe tñ marmora vetuſta indi-

indicant. Quare cum equites parmam, gladium, galeam, loricam, ocreas, hastamque habuerint, non plane intelligo, cur Scipio in extrema pugna cum Hannibale, Italos equites tanquam leuius armatos ex equis descendere iusserit, quod pedites graui armatura impediti, neque elephantorum impetum vitare, neq; fugientes hostes insequi commode possent vt in Libyca scribit Appianus. certe enim nihilo leuius equites, quam pedites fuisse videntur armati; nisi forte dicamus equites illo tempore neque galeas, neque ocreas habuisse, quod Polybius, qui Scipioni æqualis fuit, significare videtur, cum in equitum armatura hastæ, scuti, thoracisque duntaxat mentionem faciat.

Equi porro phaleris argenteis alijsque rebus magnifice ornabantur. Liuius lib. XXII. Præda in ēs parta: & præter equos virosq; & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat, omnis cetera præda diripiēda data est. Et lib XXVI. Argenti, qui curuli sellæ sederunt, equi ornamenta, & libras pondo, vt habere possint. Quanquam autem phaleras equorum ornamenta fuisse constat inter omnes, quæ autem earum forma fuerit, dubium & controuersum est. Videntur tamē scuti similitudinem imitatæ, vt à naribus ad frontem ducta illustris lamina dilataretur in fronte, attenuata in imo: quod ex Suida colligitur, qui φάλαρα interpretatur τὰς προμετωπίδας, τὰς ἀσπιδίσκας, τὴν κόσμησιν, τὴν κατὰ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων: hoc est frontis ornamen-

namenta, scutula, id, quo frons equorum ornatur. addit tamen idem apud Herodotum significare τὰ ἐπὶ τὰς γνάθους σκεπάσματα, id est, maxillarũ regumenta. Seruius neq; frõtem, neque maxillas, sed pectus phaleris ornatum significare videtur, qui versu illo ex lib. VII. Aurea pectoribus demissa monilia pendẽt; monilia, phaleras interpretatur. Monile autem ex equorũ collo propendere Festus etiam scribit. Monile, inquit, ornatus muliebris: ex eo etiam equis propendens à collo ornamentum monile appellatur. Plinius quoque libr. XXXVII. cap. XII. satis plane distinguit à frontalibus phaleras: Quondam, inquit, tantæ magnitudinis fuere, vt equis regum in oriente frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent. Quæ cum dicit sentire cum Seruio potius, quam Suida, vel Herodoto videtur: verbum enim pensilia quis non putet referri potius ad monile illud quod collo pendere diximus, quam ad illud scutulum, quo frons aut maxillæ ornantur equorũ? Rursus à Plinio & Seruio Gellius dissentit, aperte phaleras à monilibus distinguens, cum ait lib. V. cap. V. Equitatum frenis, ephippijs, monilibus, phaleris præfulgentem. Horum scriptorum dissensio dubitationem parit, vtrum phaleræ fuerint ornamentum frontis in equo, vt sentit Suidas, an maxillarũ, vt Herodotus, an pectoris, vt Seruius. nam Gellius vt à Seruio plane dissentit, cum eas à monilibus separat, sic vtrum frontale cũ Suida an, vt ita dicam, maxillare cũ Herodoto putet, in dubio

bio relinquit. Ammianus lib. XX Phaleras significare videtur monilia fuisse, sic enim de Iuliano scribit. Augustus renuntiatus iubebatur diadema proferre, negansque vnquam se habuisse, vxoris colli vel capitis poscebatur: eoq; affirmante primis auspicijs non cõgruere aptari mulieri mundo, equi phalera quærebatur, vti congrua ornatus speciem saltem obscuram superioris protenderet potestatis.

Equites stapedes & sellã, quas nunc vocant, non habuere vt ex antiquis lapidibus intelligimus: stragulum tamen vt in ijsdem cernimus, equi dorso imposuere ad mollem vecturam, quod Ephippium, teste Nonio, appellarunt. Cæs. lib. 4. initio de Sueuis. Neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habetur, quam ephippijs vti. Itaque ad quemuis numerũ ephippiatorum equitum quamuis pauci adire audent. Xiphilinus scribit Nerone imperante, equites, dum quotannis recensentur, ephippijs primum vsos esse.

Qui autẽ ex prætoria cohorte fuere, equites quidẽ equitum ceterorum armatura sunt vsi: pedites vero pro scuto & pilis siue hastis, clypeum & lanceam habuere, vt scribit Iosephus libro tertio.

Imperator equitum armatura vsus est, nam hastę & parmę meminit Liuius de pugna Bruti Cos. & Traquinij l. 11. Decorum erat tum ipsis capessere pugnam ducibus: adeoq; infestis animis concurrerunt, neuter dum hostem vulneraret, sui protegendi corporis memor, vt contrario ictu per parmam vterq; transfixus,

xus, duabus hærentes hastis, moribundi exequis lapsi sint. Habuit autem Imperator præterea plures eques magnifice ornatos, quibus in bello vteretur. Tacitus l. XV. Turbatus equus, qui insignia consularia gestabat, retro euasit. Plutarchus in Crasso, & Appian. in Parthica. Equus ex imperatorijs insignitet ornatus, tracto per vim rectore, in flumē submersus disparuit. Quæstor, Legari, Tribuni, & Præfecti equitum arma habuisse verisimile fit, quod ij plerumq; equitibus præpositi legantur. Centuriones peditum armatura, pedites ipsi cum essent, vsi videntur: galeas tamē, vt scribit Vegetius, transuersis & argētatis cristis ornatas habuere, vt facilius cognoscerētur à suis. Signiferi loricas minores accepere, & galeas ad terrorem hostium vrsinis pellibus obtectas, vt idem ait. Socij & auxilia cetera pro ritu suæ gentis arma gessere, vt Cretenses sagittarij, Baleares funditores, Numidæ equites &c. Certe auxiliorum arma à legionarijs diuersa fuisse Tacitus ostēdit, qui l. 12 gladios & pila legionariorum, spathas & hastas auxiliorū nominat. Et. Aperire, inquit, armamentarium iussit, rapta statim arma sine ordine & more militiæ, vt prætorianus aut legionarius insignib. suis distingueretur. miscentur auxiliaribus galeis, scutisq; l. 1. Hist. Hæc igitur de armis, quæ singuli ordines habuere: plurima præterea armorum, telorumque genera in scriptoribus leguntur, sed mihi non fuit consilium armorum nomina recensere, sed vniuersē Rom. militiam explicare.

ἵππος τῶν στρατηγικῶν ἐπιφανῶς κεκοσμημένος.

lib. 2. c. 16.

Arma

Arma autem Romani auro argentoque cælabant, & ornabant. Iuuenalis Satyra XI.

Tunc rudis, & Graias mirari nescius artes
Vrbibus euersis, prædarum in parte reperta
Magnorum artificū frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus, cælataq; cassis,
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

Id autem victis nationibus a Romanis fieri cœptum videtur. olim enim Romani horridis armis fuere. itaque aurata & argentata Samnitium arma Romani derisere, quod docti à ducibus essent, horridum militē esse debere, non cælatum auro argentoque, sed ferro & animis fretum, vt refert Liuius lib. IX. *Lib. 2. c. 24. de bel. Iudaico.*

Pila, hastæ, sagittæ, aliaque missilia, quoniam eorum copia ingenti opus erat, cū prælijs exhaurirentur, vehiculis, vt scribit Iosephus, post exercitum vehebantur. Tacitus l. 1. Histor. Vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari aperto armamentario iubet.

Illud autem extremo capite admonendum puto, Romanos priuatim arma non habuisse: quod a Porsenæ temporibus originem videtur habuisse, qui pacem ijs conditionibus fecisse dicitur cum Romanis, vt ne ferro nisi in agris colendis vterentur, auctore Plinio libr. XXXIV. cap. XIV. Itaque cum milites erant scripti, ijs arma publico ex armamentario, quod in Capitolio in arce fuit, tradebantur. Hinc Lucanus, Iam rupes Tarpeia sonat. Liuius lib. III. Consules & armare plebem, & inermem pati timebant: dant tamen arma,

ma, non vulgo tantum, vt incerto hoste, præsidium satis fidum ad omnia esset. Cicero pro Rabirio Perduell. Fit S.C. vt C. Marius L. Valerius Coss. adhiberent. Tribunos plebis, & Prętores, quos eis videretur: operamque darent, vt imperium populi Roman. maiestasque conseruaretur. adhibent omnes Tribunos præter Saturnium. Prætores præter Glauciam: qui Rempub. saluam esse vellent, arma capere, & se sequi iubent. parent omnes, ex ædificijs armamentariisque publicis arma populo Roman. C. Mario Cos. distribuente dantur. Tacitus libro 1. Hist. Vehicula cohortis onerari aperto armamentario iubet. Et ibidem. Aperire deinde armamentarium iussit, rapta statim arma, sine more & ordine militiæ.

De vestibus militaribus.

CAP. XIII.

QVemadmodum in pace Toga cõmunis Romanorum omnium vestis fuit, ita in bello sagum. Fuit autem sagum ex lana ad talas vsque demissum, fibula in humero colligatum quod supra tunicam induebant, vt ait Strabo li. 4. de Gallis. Varro virgula diuina apud Nonium, Cum neque aptam mollibus humeris fibulam sagus ferret. Trebell. in Saturnino. Conuiuio discumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum sagis iussit, hieme grauibus, æstate pellucidis. Liuius li. XXX. Munera quæ legati ferrent Massanisæ regi decreuerunt sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis. Cæsar libr. V.

Silius li. 17. Hume rus imponit honorem Fulgentis sagulis.

oculos. Et libr. XXV. de Graccho Procos. Inter hęc dicta paludamento circum lævum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit.

Fuit autem Paludamentum pallium ad talos fere vsque demissum, quod dextro brachio exerto, in sinistro humero nodo colligabatur, vt in statuis antiquis videmus. Purpureum siue coccineum auroq; mystum docet Isidorus libr. XIX. cap. XXIV. Paludamentum erat, inquit, insigne pallium Imperatorum cocco, purpuraque & auro distinctum. Hinc Plinius libr. XXII. cap. 11. Coccum imperatorijs paludamentis dicatum esse dixit. Plutarchus φοινικίδα appellat, tum in Crasso, tum in Bruto in extremo. Album etiam esse potuisse scribunt Valerius libr. I. cap. VI. de Crasso, & Plutarchus in eiusdem vita. Hirtius etiam scribit Scipionem, deposito purpureo sagulo album sumpsisse. Hinc Sex. Pompeius notatur qui pro paludamento purpureo cæruleum vt Neptunum imitaretur, sumpserit. Appian. lib. V. Paludamento non solum Imperator; sed etiam lictores vsi sunt. addit Festus omnia militaria ornamenta, Paludamenta dici. Et Varro lib. VI. de lingua lat. Paludamenta, inquit, sunt insignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutant vestem, & signa incinuerunt, Paludatus dicitur proficisci: quæ propterea quod conspiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, Paludamenta dicta.

a Paludati.

Plerique omnes Paludamentum, & Chlamydem

mydem eadem faciunt. Sed ea inter se videntur separare Cicero in oratione pro Postumo, & Valerius lib. III. ca. VI. qui in Scipione Asiatico, & Cornelio Sulla clarissimis Romanorum Imperatoribus illud tanquam insolens, & à Romanis moribus alienum notant, quod chlamydati fuerint. nimirum quod chlamys Græcorum esset vestis, non Romanorum. Tacitus quoque libr. XII. diuersa ostendit, seorsim vtrumque nominans. Ipse Claudius insigni paludamento, neque procul Agrippina aurata chlamyde. Et Dio eadem de re ὁ μὲν Κλαύδιος, ὅτε Νέρων στρατηγικῶς ἐσάλπισεν, ἔν τε Ἀγριππίνα χλαμύδι καὶ χρύσῳ ἐκοσμεῖτο. Plinius libr. XXXIII. cap. 3. in extremo eadem de re loquens videtur cõfundere. Nos, inquit, vidimus Agrippinam Claudij Principis, edente eo nauali prœlij spectaculum, assidentem ei, indutam paludamento, auro textili sine alia materie. Isidorus quoque lib. XIX. cap. 24. de vtrisque separatim præcipit.

Interdum cum Trabea ad bellum profecti Imperatores leguntur. Liuius lib. XXXII. Consul trabeatus ad hostem ire pergit. Virgilius lib. 7. Ipse quirinali trabea, cinctuque Gabino Insignis referat stridentia limina Consul. Ego tamen Trabeam à Paludamento diuersam fuisse non puto, nisi quod cum Paludamentum vnius coloris esset, Trabea virgas quasdam trabium instar haberet intextas, vnde illi nomen. Sic etiam Trebellius in Gallieno, saga Trabeata nominat in Gallia: constat autem Gallos discoloribus virgatisque sagulis vsos.

indicant. Quare cum equites parmam, gladium, galeam, loricam, ocreas, hastamque habuerint, non plane intelligo, cur Scipio in extrema pugna cum Hannibale, Italos equites tanquam leuius armatos ex equis descendere iusserit, quod pedites graui armatura impediti, neque elephantorum impetum vitare, neq; fugientes hostes insequi commode possent vt in Libyca scribit Appianus. certe enim nihilo leuius equites, quam pedites fuisse videntur armati; nisi forte dicamus equites illo tempore neque galeas, neque ocreas habuisse, quod Polybius, qui Scipioni æqualis fuit, significare videtur, cum in equitum armatura hastæ, scuti, thoracisque duntaxat mentionem faciat.

Equi porro phaleris argenteis alijsque rebus magnifice ornabantur. Liuius lib. XXII. Præda in ædes parta: & præter equos virosq; & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat, omnis cetera præda diripiēda data est. Et lib XXVI. Argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta, & libras pondo, vt habere possint. Quanquam autem phaleras equorum ornamenta fuisse constat inter omnes, quæ autem earum forma fuerit, dubium & controuersum est. Videntur tamē scuti similitudinem imitatæ, vt à naribus ad frontem ducta illustris lamina dilataretur in fronte, attenuata in imo: quod ex Suida colligitur, qui φάλαρα interpretatur τὰς προμετωπίδας, τὰς ἀσπιδίσκας, τὴν κόσμησιν, τὴν κατὰ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων: hoc est frontis ornamen-

namenta, scutula, id, quo frons equorum ornatur. addit tamen idem apud Herodotum significare τὰ ἐπὶ τὰς γνάθους σκεπάσματα, id est, maxillarũ regumenta. Seruius neq; frõtem, neque maxillas, sed pectus phaleris ornatum significare videtur, qui versu illo ex lib. VII. Aurea pectoribus demissa monilia pendẽt; monilia, phaleras interpretatur. Monile autem ex equorũ collo propendere Festus etiam scribit. Monile, inquit, ornatus muliebris: ex eo etiam equis propendens à collo ornamentum monile appellatur. Plinius quoque libr. XXXVII. cap. XII. satis plane distinguit à frontalibus phaleras: Quondam, inquit, tantæ magnitudinis fuere, vt equis regum in oriente frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent. Quæ cum dicit sentire cum Seruio potius, quam Suida, vel Herodoto videtur: verbum enim pensilia quis non putet referri potius ad monile illud quod collo pendere diximus, quam ad illud scutulam, quo frons aut maxillæ ornantur equorũ? Rursus à Plinio & Seruio Gellius dissentit, aperte phaleras à monilibus distinguens, cum ait lib. V. cap. V. Equitatum frenis, ephippijs, monilibus, phaleris præfulgentem. Horum scriptorum dissensio dubitationem parit, vtrum phaleræ fuerint ornamentum frontis in equo, vt sentit Suidas, an maxillarũ. vt Herodotus, an pectoris, vt Seruius. nam Gellius vt à Seruio plane dissentit, cum eas à monilibus separat, sic vtrum frontale cũ Suida an, vt ita dicam, maxillare cũ Herodoto putet, in dubio

bio relinquit. Ammianus lib. XX Phaleras significare videtur monilia fuisse, sic enim de Iuliano scribit. Augustus renuntiatus iubebatur diadema proferre, negansque vnquam se habuisse, vxoris colli vel capitis poscebatur: eoq; affirmante primis auspicijs non cõgruere aptari mulieri mundo, equi phalera quærebatur, vti congrua ornatus speciem saltem obscuram superioris protenderet potestatis.

Equites stapedes & sellã, quas nunc vocant, non habuere vt ex antiquis lapidibus intelligimus: stragulum tamen vt in ijsdem cernimus, equi dorso imposuere ad mollem vecturam, quod Ephippium, teste Nonio, appellarunt. Cæs. lib. 4. initio de Sueuis. Neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habetur, quam ephippijs vti. Itaque ad quemuis numerũ ephippiatorum equitum quamuis pauci adire audent. Xiphilinus scribit Nerone imperante, equites, dum quotannis recensentur, ephippijs primum vsos esse.

Qui autẽ ex prætoria cohorte fuere, equites quidẽ equitum ceterorum armatura sunt vsi: pedites vero pro scuto & pilis siue hastis, clypeum & lanceam habuere, vt scribit Iosephus libro tertio.

Imperator equitum armatura vsus est, nam hastę & parmę meminit Liuius de pugna Bruti Cos. & Traquinij l. II. Decorum erat tum ipsis capessere pugnam ducibus: adeoq; infestis animis concurrerunt, neuter dum hostem vulneraret, sui protegendi corporis memor, vt contrario ictu per parmam vterq; transfixus,

xus, duabus hærentes hastis, moribundi exequis lapsi sint. Habuit autem Imperator præterea plures eques magnifice ornatos, quibus in bello vteretur. Tacitus l. XV. Turbatus equus, qui insignia consularia gestabat, retro euasit. Plutarchus in Crasso, & Appian. in Parthica. Equus ex imperatorijs insigniter ornatus, tracto per vim rectore, in flumē submersus disparuit. Quæstor, Legari, Tribuni, & Præfecti equitum arma habuisse verisimile sit, quod ij plerumq; equitibus præpositi legantur. Centuriones peditum armatura, pedites ipsi cum essent, vsi videntur: galeas tamē, vt scribit Vegetius, transuersis & argentatis cristis ornatas habuere, vt facilius cognoscerētur à suis. Signiferi loricas minores accepere, & galeas ad terrorem hostium vrsinis pellibus obtectas, vt idem ait. Socij & auxilia cetera pro ritu suæ gentis arma gessere, vt Cretenses sagittarij, Baleares funditores, Numidæ equites &c. Certe auxiliorum arma à legionarijs diuersa fuisse Tacitus ostēdit, qui l. 12 gladios & pila legionariorum, spathas & hastas auxiliorū nominat. Et. Aperire, inquit, armamentarium iussit, rapta statim arma sine ordine & more militiæ, vt prætorianus aut legionarius insignib. suis distingueretur, miscentur auxiliaribus galeis, scutisq; l. 1. Hist. Hæc igitur de armis, quæ singuli ordines habuere: plurima præterea armorum, telorumque genera in scriptoribus leguntur, sed mihi non fuit consilium armorum nomina recensere, sed vniuersē Rom. militiam explicare.

τινες τῶν στρατιωτικῶν ὑπηφανῶς κεκοσμημένοι.

lib. 2. c. 16.

Arma

Arma autem Romani auro argentoque cælabant, & ornabant. Iuuenalis Satyra XI.

Tunc rudis, & Graias mirari nescius artes
Vrbibus euersis, prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus, cælataq; cassis,
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

Id autem victis nationibus a Romanis fieri cœptum videtur. olim enim Romani horridis armis fuere. itaque aurata & argentata Samnitium arma Romani derisere, quod docti à ducibus essent, horridum militē esse debere, non cælatum auro argentoque, sed ferro & animis fretum, vt refert Liuius lib. IX. *Lib. 2. c. 24. de bel. Iudaico.*

Pila, hastæ, sagittæ aliaque missilia, quoniam eorum copia ingenti opus erat, cū prœlijs exhaurirentur, vehiculis, vt scribit Iosephus, post exercitum vehebantur. Tacitus l. 1. Histor. Vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari aperto armamentario iubet.

Illud autem extremo capite admonendum puto, Romanos priuatim arma non habuisse: quod à Porsenæ temporibus originem videtur habuisse, qui pacem ijs conditionibus fecisse dicitur cum Romanis, vt ne ferro nisi in agris colendis vterentur, auctore Plinio libr. XXXIV. cap. XIV. Itaque cum milites erant scripti, ijs arma publico ex armamentario, quod in Capitolio in arce fuit, tradebantur. Hinc Lucanus, Iam rupes Tarpeia sonat. Liuius lib. III. Consules & armare plebem, & inermem pati timebant: dant tamen arma,

ma, non vulgo tantum, vt incerto hoste, præsidium satis fidum ad omnia esset. Cicero pro Rabirio Perduell. Fit S. C. vt C. Marius L. Valerius Coss. adhiberent. Tribunos plebis, & Prętores, quos eis videretur: operamque darent, vt imperium populi Roman. maiestasque conseruaretur. adhibent omnes Tribunos præter Saturnium. Prætores præter Glauciam: qui Rempub. saluam esse vellent, arma capere, & se sequi iubent. parent omnes, ex ædificijs armamentariisque publicis arma populo Roman. C. Mario Cos. distribuente dantur. Tacitus libro 1. Hist. Vehicula cohortis onerari aperto armamentario iubet. Et ibidem. Aperire deinde armamentarium iussit, rapta statim arma, sine more & ordine militiæ.

De vestibus militaribus.

CAP. XIII.

QVemadmodum in pace Toga cõmunis Romanorum omnium vestis fuit, ita in bello sagum. Fuit autem sagum ex lana ad talas vsque demissum, fibula in humero colligatum quod supra tunicam induebant, vt ait Strabo li. 4. de Gallis. Varro virgula diuina apud Nonium, Cum neque aptam mollibus humeris fibulam sagus ferret. Trebell. in Saturnino. Conuiuio discumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum sagis iussit, hieme grauibus, æstate pellucidis. Liuius li. XXX. Munera quæ legati ferrent Massaniſæ regi decreuerunt sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis. Cæsar libr. V.

Silius li. 17. Humerus imponit honorem Fulgentis sagulo.

bell. Gall. Gladijs cespites circumcidere, manibus, faguliſque terram exhaurire. Et li. 1. bell. ciuil. Quos deprehēdit, interfecit: reliqui coëunt inter ſe, & repentino periculo exterriti, ſiniſtras ſagis inuoluunt, gladioſq; diſtringunt, atque ita ſe à cetratis equitibuſque defendunt. Qua omnia, niſi ſaga longa eſſent, fieri non potuerunt.

Neque vero gregarij ſolum milites, ſed centuriones, Tribuni atque adeo ipſe Imperator ſagum habuere. Salluſtius libr. II. Hiſtor. apud Nonium. Occurrere duci, & prœlium accendere; adeo vti Metello in ſagum, Herculeio in brachium tela venirent. Metellus autem Pius erat Imperator, vt ex Frontino libro II. cap. 1. Stratag. colligitur. De ſagulo centurionum meminit Suetonius in Auguſto cap. XXVI. Cornelius, inquit, Centurio reiecto ſagulo oſtendens gladij capulum non dubitauit in curia dicere. Hic faciet, ſi vos non feceritis. Quod ſi Imperator ſago eſt vſus, quis iam de ceteris magiſtratibus dubitare poteſt, quin ſago item ſint vſi? Certe non ſolum ipſum imperatorem, ſed lictores quoque comiteſque ſagatos fuiſſe Cicero in Piſonem docet; Togulæ lictoribus ad portam præſto fuerunt, quibus illi acceptis: ſagula reiecerunt, & cateruam imperatori ſuo nouam præbuerunt. Suetonius in Vitellio, cap. XI. vrbem ad claſſicum introijt paludatus, ferroque ſuccinctus inter ſigna atque vexilla, ſagatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.

Impe-

Imperatoris tamen, Tribunorum, & Centurionum saga, à sagis gregariorum militum diuersa videntur fuisse. Liuius lib. VII. Hęc omnia Tribunus sagulo gregali amictus, centurionibus item manipulariũ militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarẽt, perlustrauit. Forte autem colore inter se diuersa fuere: Imperatoris enim sagum purpureum fuit. Hirtius de bel. Afric. Cum Scipio sagulo purpureo ante Iubę regis aduentũ vti solitus esset dicitur Iuba cum eo egisse, non oportere illum eodem vti vestitu, atque ipse vteretur. Itaque factum est, vt Scipio ad album sese vestitum transferret, Horatius lib. epod. IX. de Antonio Imperatore.

Terra mariq; victus hostis punico
Lugubre mutauit sagum

Ad quem locum Porphyrion: Deposuit, inquit, coccineã chlamydem Antonius, qua scilicet imperator vtebatur; & accepit lugubrem, id est, nigram: Punicum enim purpureum aut coccineum significat.

Imperator ad sagum addidit præterea paludamentum, quod proprium solius fuit Imperatoris. Apuleius Apologia priore: Quod Imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerus, quod lituus auguribus, &c. Liuius lib. IX. Tum à Consulibus abire lictores iussi, paludamentaque detracta, tãtam inter ipsos miserationem fecit, vt suæ quisque conditionis oblitus, ab illa deformatione tantæ maiestatis velut ab nefando spectaculo auerteret

oculos. Et libr. XXV. de Graccho Procos. Inter hęc dicta paludamento circum lævum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit.

Fuit autem Paludamentum pallium ad talos fere vsque demissum, quod dextro brachio exerto, in sinistro humero nodo colligabatur, vt in statuis antiquis videmus. Purpureum siue coccineum auroq; mystum docet Isidorus libr. XIX. cap. XXIV. Paludamentum erat, inquit, insigne pallium Imperatorum cocco, purpuraque & auro distinctum. Hinc Plinius libr. XXII. cap. 11. Coccum imperatorijs paludamentis dicatum esse dixit. Plutarchus φοινικίδα appellat, tum in Crasso, tum in Bruto in extremo. Album etiam esse potuisse scribunt Valerius libr. I. cap. VI. de Crasso, & Plutarchus in eiusdem vita. Hirtius etiam scribit Scipionem, deposito purpureo sagulo album sumpsisse. Hinc Sex. Pompeius notatur qui pro paludamento purpureo cæruleum vt Neptunum imitaretur, sumpserit. Appian. lib. V. Paludamento non solum Imperator; sed etiam lictores vsi sunt. addit Festus omnia militaria ornamenta, Paludamenta dici. Et Varro lib. VI. de lingua lat. Paludamenta, inquit, sunt insignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutant vestem, & signa incinuerunt, Paludatus dicitur proficisci: quæ propterea quod conspiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, Paludamenta dicta.

a Paludati.

Plerique omnes Paludamentum, & Chlamydem

mydem eadem faciunt. Sed ea inter se videntur separare Cicero in oratione pro Postumo, & Valerius lib. III. ca. VI. qui in Scipione Asiatico, & Cornelio Sulla clarissimis Romanorum Imperatoribus illud tanquam insolens, & à Romanis moribus alienum notant, quod chlamydati fuerint. nimirum quod chlamys Græcorum esset vestis, non Romanorum. Tacitus quoque libr. XII. diuersa ostendit, seorsim vtrumque nominans. Ipse Claudius insigni paludamento, neque procul Agrippina aurata chlamyde. Et Dio eadem de re ὁ μὲν Κλαύδιος, ὅτε Νέρων στρατηγικῶς ἐσάλπισεν. ἥτε Ἀγριππῖνα χλαμύδι δὲ χρύσῳ ἐκοσμεῖτο. Plinius libr. XXXIII. cap. 3. in extremo eadem de re loquens videtur cõfundere. Nos, inquit, vidimus Agrippinam Claudij Principis, edente eo nauali prœlij spectaculum, assidentem ei, indutam paludamento, auro textili sine alia materie. Isidorus quoque lib. XIX. cap. 24. de vtrisque separatim præcipit.

Interdum cum Trabea ad bellum profecti Imperatores leguntur. Liuius lib. XXXII. Consul trabeatus ad hostem ire pergit. Virgilius lib. 7. Ipse quirinali trabea, cinctuque Gabino Insignis referat stridentia limina Consul. Ego tamen Trabeam à Paludamento diuersam fuisse non puto, nisi quod cum Paludamentum vnius coloris esset, Trabea virgas quasdam trabium instar haberet intextas, vnde illi nomen. Sic etiam Trebellius in Gallieno, saga Trabeata nominat in Gallia: constat autem Gallos discoloribus virgatisque sagulis vsos.

Vt autem Imperator ad sagum adhibuit paludamentum, ita Tribuni, ceteriqúe magistratus latum vel angustum clauum addidere, angustum quidem Equites, latum qui in senatum essent lecti. hinc laticlauij, & angusticlauij tribuni, id est, quivel senatores, vel equites essent; ex vtroque enim ordine lectos interdum Tribunos ostendimus. Suetonius in Othone ca. x. Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertię decimę legionis tribun° angusticlauius. Et in Domitiano cap. x. scribit, venia donatos tribunum laticlauium, & centurionem. Angustum porro clauum equitum fuisse (latum enim senatorium fuisse notius est, quam vt confirmatione sit opus) Ouidius ostendit li. iv. Tristium el. vltima.

Curia restabat; claui mensura coacta est:
Maius erat nostris viribus illud onus.

Et Paterculus, qui de Mæcenate, qui semper continuit se in equestri gradu, ita scribit, vixit angusto clauo pæne contentus. Claui autem dicebantur ornamenta intexta in tunica, vel toga; quæ sic appellantur, quod capita clauorum imitarentur. Festus. Clauata dicuntur vestimenta clauis intertexta. & alibi. Tunica palmata à latitudine clauorum dicebatur; quæ nunc à genere picturæ appellatur. Varró lib. 11. de Analogia; si quis tunicam in vsu ita consuit, vt altera plagula sit angustis clauis, altera latis; vtraque in suo genere caret analogia.

ɣ. Picta toga. Charisius lib. 1. Clauus, impurpurata vestis. ἔμπορφυρος ἱμάτιον.

Milites aduersus frigus, cæliqúe iniurias, pęnulam

nulam ad sagum addidere, Seneca libr. III. de Benef. cap. XXIIX. Quo te pænulati isti in militum quidem non vulgarem cultum subornati; quo, inquam, te isti efferunt? & lib. v. cap. XXIV. Quidam ex commilitonibus Cæsari pænulam suam substrauit. Isidorus lib. XIX. ca. XXIV. Pænula est pallium cum fimbrijs lõgis. Lacerna item vestis militaris fuit, pænulæ similis, nisi quod capitium, & fimbrias non habebat, vnde Lacernam dictam putat Festus. Propertius lib. IV. eleg. III. Texitur hęc castris quarta lacerna tuis. Isidorus lib. XIX. Lacerna, inquit, pallium fimbriatum, quo olim soli milites vtebantur, inde autem lacernæ, quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis, vt sunt pænularum.

H. LIPSIVS

Lænam quæ χλαῖνα dicitur inter vestes militares numerat Nonius, pallij genus fuisse videtur. Nonius lęnam super omnia vestimenta sumi solitam scribit. Strabo lib. 4. de Gallis, lænã dicit fuisse sagum densiore filo ex lana aspera, villisque oblongis contextum. hieme gestabatur; vnde prouerbium ἐν δέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις. Abolla vestis item militaris auctore Nonio, pallium siue pænula videtur fuisse, sed duplex: quare diploidem dici nonnulli volunt. gloss. vet. Abolla ἱμάτιον.

Quamuis autem in principio huius capitis Togam pacis, vrbisque vestem esse diximus; tamen ea quoque in castris sunt vsi. Plutarchus in Coriolano ἦν δὲ τότε τοῖς ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισαμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς

τὸς θυρεὸς ἀναλαμβάνειν, καὶ πρὸς χόνυσι τὸν τήβεννον, ἅμα καὶ ἀγχιδήκτης ἀγοράσας γίνεσθαι ἢ πατέρων ἐπακόντων ὀνομάζοντας ἀπληρονόμους. Et Festus.

u. Endoprocinctu. Apud antiquos, inquit, togis succincti pugnasse dicuntur. Hinc apud Liuium sæpe legimus togas in exercitum missas. vt libr. xxix. vestimenta exercitui deerant, mille ducentæ togæ, duodecim millia tunicarum missa: Et lib. xliv. Litteræ recitatæ Q. Marcij Cos. sunt; vestimenta militibus ab Roma mittenda esse. C. Sulpicius Pr. VI. millia togarum xxx. tunicarum deportanda in Macedoniam locauit.

Vegetius lib. 1. cap. xx. milites ad sua vsque tempora pileis expellibus, quos Pannonicos vocabant, vsos scribit; ne grauis galea videretur homini in prœlio, qui gestabat aliquid semper in capite. Certe semper galeas milites non gestasse Cæsar ostendit lib. II. belli Gall. Temporis tanta fuit exiguitas, hostiumque tam paratus ad dimicandum animus, vt nō modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas, scutisque tegmenta detrahēda, tempus defuerit. Et Hirtius de bello Africano. Iamque cum procul hostis conspici posset, milites in campo iubet galeari, & ad pugnam parari.

Pedibus milites caligas induebant, caligam enim pedis tegumentum fuisse Tacitus ostendit lib. 1. Annal. Militari, inquit, vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda studia vulgi eo tegmine pedū induebatur. Has autem caligas ab vrbanis calceis diuer-

uersas fuisse Dio ostendit lib. LVII. qui eadem de re scribens Caligulam dictum air, ὅτι ἀντὶ τοῦ στρατιώτου τὸ πλεῖον βαθμὸς τοῖς στρατιωτικοῖς ὑποδήμασι, ἀντὶ τοῦ ἀστικοῦ ἴχνος id est, quod in castris enutritus militaribus calceis pro vrbanis vteretur. Caligæ, vt reliqui vrbani calcei, non solum pedem sed etiam crus videntur texisse. Horat. lib. 1. Sat. VI.

Nam vt quisque insanus nigris medium impedit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clauum:
Audit continuo, quis homo hic?

Titinius in Setina apud Festum, Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas. Tertullianus de Pallio Impuro cruri purum, aut mulleolum inducit calceum. Ab ima pedum parte caligæ, siue calcei militares lignei erant clauis ferreis muniti. Iosephus lib. VI. cap. VII. belli Iudaici, Ἰουλιανὸς ἑκατοντάρχης τὰ ὑποδήματα πεπάρθενα πυκνοῖς καὶ ὀξέσιν ἥλοις ἴχων, ἀσφαλῶς τοῦ ἄλλων στρατιώτου ἴχνος, καὶ κατὰ λίθου στρώτου βέβηκεν, ὑπολισθαίνει, id est, Iulianus Centurio calceos habens creberrimis & acutis clauis, vt ceteri solent milites, confixos, dum strato saxeis crustis solo curreret, labitur. Isidorus libr. XXIX. cap. vltim. Clauati, eo quod minutis clauis, id est, acutis soleæ caligis vinciantur. Idem ibidem. Caligarius, non à callo pedum, sed à calo, id est, ligno vocatus, sine quo consui calciamenta non pos-

u. Mulleos.

lat. li. 7. cap 3.

lib. 7. c. 3.

sunt, quod Græci καλοπόδιον dicunt; fiebant autem prius ex salice tantum. Hinc & calceamēta dicta, quod in calo, id est, in ligno fiant; vel quod calcentur. hæc ille. Et Festus. Clauata dicuntur calceamenta clauis confixa. Hinc Iuuenalis Satyra III.

Planta mox vndique magna
Calcor, & in digito clauus mihi militis hæret.

Et Satyra vltima.

Cum duo crura habeas offendere tot caligatos,
Millia clauorum.

Iustinus lib. XXXIIX. in extremo de Antiocho. Argenti auriq́ue tantum, vt etiam gregarij milites caligas auro figerent, proculcarentq́; materiam, cuius amore populi dimicant. Valerius li. IX ca. I. de eadem re. Antiochi exercitus magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit. Hinc etiam apud Plinium claui caligarij nominantur, vt li. XXXIV. ca. XIV. de ferro; Aliud breuitate sola placet, clauisque caligarijs. Et li. IX. Pisces exsistunt squamis conspicui cribris atque præacutis, clauorum caligarium effigie.

Quamuis autem calgæ calcei militares fuerint, non tamen omnium militum, sed gregariorum duntaxat videntur fuisse. Suetonius in Augusto cap. XXV. Vallares ac murales coronas quam parcissime, & sine ambitione ac sæpe etiam caligatis tribuit. Et in Caligula cap. IX. Caligulæ cognomen Castrensi iocotraxit, quia manipalario habitu inter milites educabatur. Venuleus de custodia reorum

rum, lib. XLVIII. Dig. Qui exercitum accepit, etiam ius animaduertendi in milites caligatos habet. Hinc Seneca caligam pro infima militia vsurpauit de Breuitate vitæ cap. XVII. Marium caliga dimisit, consulatus exercet. Et libr. V. de Beneficijs cap. XVI. C. Marius ad consulatum à caliga perductus. Iosephus tamen centurioni, item vt reliquis militibus caligas clauatas tribuit.

Seruius ad lib. VIII. Virgilij crepidas etiam militibus tribuit, sed vel is fallitur, vel de suis loquitur temporibus. Crepidis enim, quas Romani soleas vocarunt, Græci vsi sunt, eáque non totum pedem, sed plantarum duntaxat calces texerunt cæteris fere nudis. Gellius libro XIII. capite XX. Omnia, inquit, ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt; nonnunquam voce Græca crepidulas.

Et Tyrrhena pedum circundas vincula plantis.

Id autem apud Romanos probrosum fuisse Cicero ostendit in Verrem: stetit in littore soleatus Prætor populi Romanor. & Tacitus libro II. Annal. Pedibus intectis incedere, & pari cum Græcis amictu. P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitasse apud Siciliam accepimus. Liuius autem Scipionem dicit fuisse cum crepidis libro XXIX. Ipsius etiam Imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus iactabatur, cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio, &c.

Hæc

Hæc igitur de vestibus militaribus dicta sint satis. Quas quidem olim suo ipsi sibi milites sumptu curant : C. deinde Gracchus Trib. pleb. teste Plutarcho, legem tulit, vt vestes militibus de publico darentur : neque tamen propterea quidquam de stipendio minueretur.

Atque his quidem vestibus Imperator militesque in bello extra vrbem vtebantur. Imperator tamen in vrbe, dum bellum indicturus, Iani templum aperiebat, aut in prœlio se pro exercitu deuouebat, Gabino cinctu, vt dictum est, vtebatur. Quid autem fuerit cinctus Gabinus, ita docet Persij vetus interpres, Habitu, inquit, Gabino dij penates formabantur, inuoluti toga super humerum sinistrum, & sub dextro. Et Seruius Gabinus cinctus est toga sic in tergum reiecta, vt vna eius lacinia à tergo reuocata hominem cingat. Et Isidorus libr. XIX. cap. XXIV. Cinctus Gabinus est, cum ita imponitur toga, vt togæ lacinia, quæ post tergus reijcitur, attrahitur ad pectus, ita vt ex vtroque latere ex humeris pendeant.

Satyr. 5. Pullaque succinctis laribus donata pependit.

lib. 7. Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino.

De tubis, lituis, cornibus, &c.

CAP. XIV.

QVoniam autem sæpè tempus incidebat, vt Imperator in bello aliquid militibus præcipere vellet, neque tamen ad vniuersos eius vox peruenire posset, varia signa sunt instituta, quæ semiuocalia nominarunt, quibus non solum imperatoris iussa nota fierent, sed etiam

etiam militum animi ad fortiter agendum incitarentur. Hæc autem tubæ fuere, cornua, litui, bucciuæ, classica, de quibus breuiter dicendum est.

Buccina, teste Vegetio lib. III. cap. v. appellatur, quæ in semetipsam ęreo circulo flectitur. Ouidius I. Met.

Caua buccina sumitur ille
Tortilis in latum, quæ turbine crescit ab imo.

Videtur enim Buccinum (ostreorum est genus) imitata. Hac vt scribit Isidorus libr. XIIX. cap. IV. signum in hostes dabatur; insonansque sollicitudinem ad bella denunciabat. Persius.

Buccina iam priscos cogebat ad arma Quirites.

Cæsar libr. II. bell. ciuil. Varus terrore exercitus cognito, buccinatore in castris, & paucis ad speciem tabernaculis relictis, de tertia vigilia silentio exercitum in oppidum reducit. Liuius. Duces nec prohibere paucos temere rogantes, nec dare signum vniuersæ pugnæ volebant: vbi verò transeundi amnis aperte signum dedere, buccinæ concrepuere, &c. Buccina quoque in vigilias milites mittebantur: Polybius enim verbo Βουκινᾶν vtitur. Hinc Propertius lib. IV. eleg. IV. Et iam quarta canit venturam buccina lucem. Liui. lib. VII. Decius tesseram dari iussit, vbi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent. Et libr. XXVI. Fuluius Tribunis mil. ac Præfectis sociorum imperauit, vti duobus millibus equitum delectis

lectis denunciarent, vt ad tertiam buccinam præsto essent. Vegetius tamen tuba ad vigilias inductos milites scribit lib. II. ca. XXII. & li. III. ca. VIII. Buccina quoque conuiuium dimittebatur. Tacitus li. XV. Addit gloriæ Corbulo comitatem, epulasque & rogitante reget causas, quoties nouũ aliquid aduerterat, vt initia vigiliarum per centurionem nunciari, conuiuiũ buccina dimitti, & structa ante auguralem arã, subdita face accẽdi: cuncta in maius attollens, admiratione prisci moris affecit. Poly. l. 14. tubicines & buccinatores conuiuij tempore cẽciniſſe ſcribit. Tuba vt vegetius, & Acron ſcribunt, directa fuit, peditumque propria. Ouid. lib. I. Metam.

Veg. lib. 3. c. 5 Acro. ad odam 1. Hor.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Quoties autem tubicines canebant, ijs non ſigna, ſed milites obtemperabant. Cæſar libro III. ciuil. Cæſar ſuos per Antonium cohortatus, tuba ſignum dari, atque in hoſtes impetum fieri iuſſit. Itaque ſiue ad opus, vel ad exercitationem milites exituri erant, ſine ſignis à tubicine euocabantur, atque ab eodem reuocabantur, vt ſcribunt Modeſtinus, & Vegetius lib. II. cap. XXII. Liuius libr. XXXVII. Prætor tubicines canere iubet, vt, ſi qui per agros palati eſſent, redirent. Tacitus lib. II. hiſtor. Omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur. Cæſar libro VII. Cæſar receptui cani iuſſit; legioniſque decimæ ſigna conſtitere: at reliquarum milites legionum, non exaudito tubæ ſono, tamen à Tribunis militum legatiſque retinebantur. Iſidotus libro XIIX.

cum

tum in euocandis, tum in reuocandis militibus vario tubæ sonitu veteres vsos esse scribit. Hinc Liuius libro xxv. Terrorem, inquit, tubæ audita ex theatro faciebat. nam Romana erat, à proditoribus ad hoc ipsum præparata, & insciente à Græco inflata: quis aut quibus signũ daret, incertum efficiebat. Cornua olim ex vrorum, vt ait Vegetius, vel bubalis cornibus, vt Varro, fiebant; postea ex ære facta sunt, vt idem ait Varro. Ouidius libro I. Metamorphoseon.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Cornicines canebant, cum aut mouebantur signa, aut iam mota figẽda essent; itaque eorum imperio non milites, vt in tubis, sed signa parebant, vt Modestinus, & Vegetius libro III. cap. v. scribunt. Liuius libr. xxiv. Cornu signũ dari iubet, vt cæteræ copiæ admouerentur. In prœlio tamen tubæ, cornuaque simul canebant teste Vegetio libro II. cap. xxii. Liuius lib. ix. Ante imperium deinde concentum tubarum ac cornuum, cursu effuso in hostem feruntur. Et libro xxx. Tubæ cornuaque ab Romanis cecinerunt, &c. Et libr. II. Hernicorum cohortem in stationem educit cornicines tubicinesque in equos impositos canere ante vallum iubet, solicitumque hostem ad lucem tenere. Tacitus libro I. Annal. Postquam hæsere munimentis, datur cohortibus signum cornuaque & tubæ concinnere, & in clamore & impetu tergis Germanorum circumfunduntur. Et libro secundo. Sentius occinere cornua, tubasque, & peti aggerem, erigi

erigi scalas iussit : Qui cornu tubaque cecinerunt. Aeneatores dicti sunt, quod vtraque fierent ex ære. Festus. Aeneatores, cornicines dicuntur, id est, cornu canentes. Suetonius in Iulio c. xxxii. Rapta ab vno æneatore tuba prosiluit ad flumen.

Lituus incurruus fuit, sonumque habuit acutum, vt tuba grauem, teste Acrone ad odam primam Horatij. Charisius li. i. Lituum genus tubę minoris fuisse dixit. Festus. Lituus, inquit, appellatus est, quod litis sit testis. Est enim genus buccinæ incuruæ, quo qui cecinerit dicitur Liticen. Ennius

Inde loci lituus sonitus effundit acutos.

Equitum fuisse, vt tubam peditum docet Acron. Priscianus tamen de xii. versibus Aeneid. lib. v. Equites dicit vsos esse tubis. Sallustius in Iugurthina idem significat. De improuiso, inquit, vectigales, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes tuba canere iubet.

Classicum nullius fuit ordinis militum, sed solius imperatoris; atque eo duntaxat præsente, classicum canebatur, fuitque insigne imperij, vt Modestinus, & Vegetius libr. ii. cap. xxii. tradidere. Hinc à Propertio libr. III. eleg. ii. Prætorium nominatur. Et Liuius lib. xxiix. de Albio, & Atrio, qui in militari seditione imperium proconsulare sibi vsurparant; In prætorio tetenderunt, classicum apud eos cecinit. Quod si duo Impp. adessent, bis classicum canebatur. Cæs. lib. iii. ciu. Pompeius suum cum Scipione honorem partitur : classicumque

cumque apud eum cani, & alterum illi iubet Prætorium tendi. Hinc Asdrubal assuetus Romanis moribus, duos Consules in ijsdem castris esse suspicatus est, quod bis signũ ceciniſſet. Liuius libro XXVII. Classico canebatur, cùm concio aduocabatur ab Imperatore, vel extremo supplicio in aliquem animaduertebatur, vt Modestinus & Vegetius scribunt. Liuius libro V. Luce orta, vocatis classico ad concilium militibus, ad Tribunos, cùm & rectè & perperam facto pretium deberetur, &c. Et lib. 7. Vbi ad prætorium ventum est, consul classico ad concionem vocat. Et lib. IIX. Quod vbi audiuit consul, extemplo filiũ auersatus, concionem classico aduocari iussit: & mox lictor deliga ad palum, &c. Et in eodem libro, classico extemplò concionem aduocauit; Accede lictor, inquit, &c. Sed alijs quoque de causis classicum canebatur. Liuius libro II. Prima luce classico signum profectionis dedit.

Atque hæc quidem de classico. quid autem fuerit, haud dictu procliue est. Seruius ad libr. VII. Virgilij, classicum, & tubam flexilem, & sonum ipsum, qui tuba emittitur, significare dicit. Priscianus li. V. de XII. versibus AEneidos: classicum, tubam item esse dicit, & quod ea vterentur classes equitum, classicum appellatum. Asconius in Diuinationem Ciceronis, & tubam, & sonum, quo in nauibus vterentur, classicum esse significare videtur. Cani, inquit, remigibus celeuma per symphoniacos solebat, & per aſſam vocem, id

Classica tamque sonant.

id est, ore prolatam, vt in Argo naui per cytharam. possumus etiam intelligere ad hoc symphoniacos capi solere, vt in classe pugnantibus classicum canant, vnde ipsi tubæ classis nomen positum est classicum. Cum his videtur sentire Suetonius in Iulio ca. XXXII. Ad quem audiendum cùm præter pastores plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interéque eos & æneatores, rapta ab vno tuba, profiluit ad flumen, & ingéri spiritu, classicum exorsus pertendit ad alteram ripã.

Varro libro quarto, de lingua Latina, Classicum cornu fuisse videtur significare. Classicus, inquit, à classe; item qui cornu canit. Et Propertius lib. III. eleg II.

Nil tibi sit rauco prætoria classica cornu Flare.

Et Modestinus, Vegetiusque libro II. cap. XXII. Classicum appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt, vel cùm in militem capitaliter animaduertitur. Isidorus quoque libro XIX. classica dicit esse cornua, quo cóuocandi causa erant facta, & à calando classica appellata.

Fortè verisimile est apud Imperatorem omnes simul tubicines, cornicines, liticines, cæteroscque certo quodam sono cecinisse, idque appellatum classicum. Polybius enim libro XIV. scribit Romanorum fuisse consuetudinem, vt cœnæ tempore cuncti tubicines ac buccinatores simul ante prætorium canerent, quod signum erat, vt nocturnæ vigiliæ suis locis disponerentur. Liuius libro XXIV. Postero die vbi signa cœperunt ca-

canere, primi omnium parati, instructique ad prætorium conueniunt. Dio libro XLVII. scribit sub initium certaminis tubicines in orbe constitutos certum modulationis genus ceciniſſe, quo milites mouebantur, vt in ordine starent, armaque expedirent. Quod aliquis fortè classicum posſit interpretari.

Singulæ autem cohortes ac turmæ tum legionis, tum auxiliorum suos habuêre tubicines. Salluſtius in Iugurthina: De improuiſo, inquit, vectigales, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes tuba canere iubet.

Seruius Tullius Rex cùm classes instituerat, iuſsit vt cornicines tubicineſque in tres, vt ait Liuius, vel in duas, vt Dionyſius, centurias iuniorum seniorumque distributi, quartam vel quintam classem (in hoc enim Liuius à Dionyſio dissentit) sequerentur. Sed Liuius quidem solùm cornicines tubicineſque nominat, Dionyſius autem præterea σαλπιγκὰς, τυμπανιστὰς, βυκανιστὰς & τοὺς ἄλλοις τοῖς ἐξ γάνοις ὑπισημαίνοντας τὰ πολεμικὰ & πολέμικα. id est, tubicines, tympaniſtas, buccinatores, quique alijs instrumentis, quæ bello opus essent, significarent. Tympanorum tamen vsum apud Romanos non memini me legere. Ijs verò Parthos vſos esse narrat Appianus in Parthica.

De stipendio Militum.

CAP. XV.

STipendium Romani milites neque ab initio vrbis meruére, neque eodem anno equites, quo pedites acceperunt: sed de suo quisque militiæ muneribus fungebatur. Festus. Priuato sumptu se alebant milites Romani penè ad id tempus, quo Roma capta est à Gallis. Rectè id quidem, nam peditibus stipendium de publico persolutum est anno CCCXLVII. V. C. Anxure Volscorum oppido capto & direpto: equitibus verò tertio anno post, bello Veienti. Vtriusque rei testis est Liu. de Peditibus quidem lib. IV. Additum, inquit, omnium maximè tempestiuo principum in multitudinem munere, vt ante mentionem vllam plebis, Tribunorumve decerneret Senatus, vt stipendium miles de publico acciperet; cùm ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. De equitibus verò sic idem scribit li. v. Placuit omnibus voluntariam extra ordinem professis militiam, æra procedere; & equiti certus numerus æris est assignatus: tum primum equis merere equites cœperunt. Quòd autem tum primùm equites merere cœpisse dicuntur, id ita videtur intelligendum, vt æra sint equitibus assignata, quibus militiæ munere ipsi fungerentur: nam ad emendos alendosque iam indè à Seruio Tullio rege æra de publico dabantur, vt supra ostensum est. Hinc Liuius lib. III. L. Tarquitium patriciæ gentis stipendia pedibus pro-

propter paupertatem feciſſe dicit.

Quantum autem militare ſtipendium fuerit, haud facilè dictu eſt. Polybius diurnum ſtipẽdium (ὀψώνιον ille vocat, qua voce ſtipẽdium ſignificari colligitur ex eodem libr. XI. cum loquitur de ſeditione militum Africani) peditibus obolos duos fuiſſe ſcribit, duplex cẽturioni, equiti drachmã. Liuius equitem ſtipendium triplex meruiſſe dicit; idque à Cn. Cornelio Tribuno militum conſulari primum datum anno V.C.CCC.LIV. Et lib. ſeptimo, id vt iam vulgo factitatum commemorat. Cùm igitur peditis ſtipendium duorum fuerit obolorum, equitis autem triplex, conficitur neceſſariò, vt eques ſex obolos, ſiue, vt Polybius ait, drachmam acceperit: drachma enim, Plinio, Vitruuio ac Polluce auctoribus, ſex obolos pondere effecit. Quæ ſi ad rationem Romanæ pecuniæ velimus reuocare; inuenietur equites diurnum ſtipendium denarium accepiſſe; pedites aliquantò amplius quàm tres aſſes. Drachma enim Græcus nummus Romano denario reſpondit, qui, teſte Plinio in militari ſtipendio pro decem aſsibus ſemper eſt datus: itaque oboli duo, tres aſſes, & alterius tertiam partem effecere.

Lib. 5.

Plin. li. 22. c. vlt.

Pollux li. 9.

Vitr. l. 3. c. 1.

Li. 22. c. vlt. & l. 33. c. 3.

Igitur antiquiſsimis temporibus, peditis diurnum ſtipendium, Romano nummo trium aſsium fuit: vix digna merces, pro qua tot labores, tot pericula ſubirent. Idque ad Iulij Cæſaris Dictatoris tempora permanſit: qui, vt Suetonius ait, ſtipendium legionibus in perpetuum duplicauit: id eſt, vt ego quidem

Cap. 24.

interpretor, vt esset asium sex septemve. Sueton. ca. 49. Postea Augustus cùm rem militarem corrigeret, & ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstringeret; videtur stipendium militare decem asium constituisse. Certè ordinarium hoc stipendium fuisse post Augusti mortem sub initia Principatus Tiberij, Percennius quidam gregarius miles in Pannonica seditione ostendit apud Tacitum libro 1. Annal. Enimuerò, inquit, militum ipsam grauem, infructuosam, denis in diem asibus animam & corpus æstimari: nec aliud leuamentum, quàm si certis sub legibus militia iniretur, vt singulos denarios mererent.

Itaque eo tempore pedites denos in diem asses merebant: tum primum denarium postulare cœperunt, & impetrarunt. Cui postulati ratio pluribus explicanda est, vt tota hæc disputatio magis eluceat. Asses initio, vt Plinius ac Festus scribunt, librales fuêre; denariusque denis asibus, id est, decem libris æris permutabatur. Plin libr. 33. ca 3. Fest. v. Sextantarij, & graue æs. Vitr. l 3. c. 1.

Punico bello primo institutum est, vt asses pondere sextantario ferirentur, hoc est, vt binarum vnciarum essent singuli. Postea bello Punico secundo vnciales facti sunt, auctusque eorum numerus in denario; vt asibus sexdecim denarius æstimaretur. Mox lege Papiria semunciales percussi. Hac postrema asis mutatione (neque enim postea mutatum ad Vespasiani vsque tempora, Plinius eorum æqualis tradit) nihil esse variatum in denario asium numerum existimo; sed asses sex-

de-

decim minore quidem pondere, numero autem eodem, in denario vt antea fuisse, aut maiore etiam numero, quàm antea: nam quæ causa bello Punico secundo asium numerum pondere imminuto auxerat in denario: eadem potuit, lege Papiriana, efficere, vt, semuncia detracta, pluribus tamen asibus denarius permutaretur. Sed cùm id nemo tradat, denarium eodem quo antea, asium numero & precio, pondere tantum diuerso, remansisse credibile videtur.

Ex hac autem tanta asium ponderis, æstimationisque varietate, cùm ferè quæstus ad omnes veniret, soli milites lucri expertes fuêre: videlicet quibus non asses sexdecim, quot extremis temporibus diximus denarium pependisse; sed decem asses nouo pondere, veteri æstimatione pro denario darentur, tertiæ ferè partis denarij iactura. Itaque illi denarium non antiqua & militari, sed præsenti æstimatione postulabant: qua re impetrata, dimidio plus in dies singulos lucrati sunt.

Alij deinceps Imperatores diurnum militis stipendium videntur auxisse, vt singulis mensibus denarios quinque & septuaginta, hoc est, aureos ternos acciperent (in aureo enim denarios siue drachmas quinque & viginti fuisse Dio & Zonaras docent) Domitianus postea quartum aureum menstruo stipendio addidit: hoc enim significat Suet. cùm ait; Addidit & quartũ stipẽdium militi aureis ternis, vt ad tres aureos quartũ addidisse dicat. *Dio l. 55. Zonar to. 2. de Aug. & 7.*

Zonaras enim Domitianum militare stipendium auxisse scribit : cumque antea quinque & septuaginta drachmas milites singuli mererent, Domitianum iussisse, vt centum darentur.

Concludimus igitur sic. Initio cum stipendium de publico merere pedites cœperunt, ternos in diem asses habuêre : senos deinde septenosve ; tum denos ; postea denarium; postremò singulis mensibus aureos ternos, quibus quartum addidit Domitianus. Neque dubium videri potest, quin centurionum, equitumque stipendia aucta etiam proportione fuerint. Centurio enim duplex, Eques autem triplex stipendium meruit, vt Polybius docet. Equites tamen illi, quos duobus equis vsos in bello diximus, duplex quoque stipendium, quàm cæteri qui singularibus equis vterentur, accepêre, quod Pararium æs appellabatur, auctore Festo. Prætoriæ cohortis milites sesquiplex stipendium meruêre : quod à P. Africano institutum scribit Festus. Postea Senatus, quo fidelem Augusti custodiam gererent, duplex ijs stipendium decreuit, vt narrat Dio lib. LIII. Percennius in seditiosa illa oratione, quam Tacitus refert in primo Annalium, cùm quereretur militibus legionarijs denos in diem asses dari ; Prætorias cohortes binos denarios accepisse dicit : meruisse enim videntur asses triginta, qui binos denarios, duobus assibus minus efficiunt. Auctis deinde militum cæterorum stipendijs, æra quoq; Prætorianorum aucta esse quis poterit dubitare?

Sa-

Socij æra à suis ciuitatibus habuêre: ac propterea singulæ ciuitates cum Præfecto mittebant aliquem, qui ijs stipendia numeraret, vt Polybius ait. Hinc Cæsar libr. III. bel. ciuil. de Roscillo & AEgo Allobrogibus, qui suæ ciuitatis equitibus præerant; falsum ab ijs equitum numerum referri, quorum stipendiũ auerterent. Interdum tamen Romani ijs stipendia soluerunt: id autem primum factum in Hispania bello Punico secundo scribit Liuius l. XXIV. in extremo. Cum Romani Celtiberos mercede conduxerunt: Zonaras autem, in Sicilia bello Punico primo, Gallos mercenarium militem in castris Romanorũ primum fuisse narrat Cæcilio Metello, N. Fabio Coss.

Hoc autem stipendio non victum sibi modo, sed vestes, arma, tentoria, cereraque quæ vsus posceret, milites comparabant: adduq; Polybius, licet hæc de publico militibus aliquando essent curata, tamen semper ex diurna mercede pro iis ratam pecuniæ summam à Quæstore fuisse detractam. Qua re adductus C. Gracchus Trib. pl. legem tulit, teste Plutarcho, vt vestes militibus de publico darentur, nec propterea quidquam de stipendio minueretur. Quæ lex postea, aucto militibus stipendio, videtur abrogata: nam apud Tacitum Percennius idem sic queritur. Militiam ipsam grauem, infructuosam, denis in diem assibus animam & corpus æstimari, hinc vestem, arma, tentoria, hinc sæuitiam centurionum, & vacationes munerum redimi. Frumentum

mentum tamen antiquissimis temporibus vna cum stipendio militibus de publico datum idem Polybius narrat: Ac pedites quidē ex tribus partibus medimni Attici (is Romano modio æqualis est, vt scribit Nepos in Attici vita) duas tritici, singulis mensibus accepêre: equites verò medimnos tritici duos, hordei ad alendum equum septem, pro hordeo tamen pecuniam interdum accepisse quā Hordiariorū nominarent, testis est Festus. Socijs item peditibus tantundem, quantum Romanis datum: equitibus autem tritici medimnus, ac tertia pars alterius; hordei medimni quinque: quæ ipsis muneris loco tributa Polybius scribit. Seuerus tamen Imperator primus frumenti summam militibus auxit, vt refert Herodianus li. III. Hinc in historiis passim legitur facta militibus frumenti distributio. Cæsar. li. 1. Gall. Vbi se diutiùs duci intellexit Cæsar, & diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret. & li. VI. Post diem septimum sese reuersurum confirmat, quam ad diem legioni deberi frumentum sciebat. Liuius libr. XXXVII. Stipendium militare, & frumentum duplex post triumphum militibus datum.

Atque hæc quidem de stipendio gregariorum militum satis dicta sunt. De Magistratuū stipendiō deinceps dicendum est. Centuriones alterum tantum ac pedites supra ex Polybio ostensum est accepisse. Tribuni stipendiū quantum fuerit; non plane, vt puto, cōstat: opimū certè fuisse apparet ex Iuuenalis sat. 3.

Alter

Alter enim, quantum in legione Tribuni Accipiunt; donat Caluinæ vel Catienæ.

Et Plinio, qui lib. XXXIV. non sine stomacho scribit, Nec pudet candelabrum Tribunorũ militarium salariis emere.

Quidam Tribuni stipendium talentum fuisse colligunt ex Strabone, qui Tigranem militibus Pompeij diuisisse dicit drachmas quinquaginta, centurioni mille, tribuno talẽtum; vel, vt Plutarchus scribit in vita Pompeij, militi dimidiam argenti minam, Centurioni minas decem, Tribuno talentum; hoc est sex millia drachmarum (tot enim talentum drachmis æstimatum, Plinius, Pollux, ac Festus tradunt) siue minas sexaginta, cum mina à Solone centum drachmis finita sit, vt scribit in vita Plutarch. Plin. l. 21. c. vlt. Sed, ni fallor, donatiuum illud fuit à barbaro Rege collatum, non legitimum stipendium à Romano Imperatore numeratum. Sed neq; ex donatiui summa, ordinarij stipendij quantitas colligi potest: cum donatiuum pro liberalitate Imperatorum ac prædæ copia maius minusq; fuerit. Centurioni stipendium duplex fuisse ostendimus, eadem proportio non raro seruata in donatiuo, sæpe etiam variata est: nam in Tigranis donatiuo amplius decuplum accepit Centurio. Appianus libro quarto, singulis militibus à Bruto & Cassio datas dicit drachmas mille quingentas, centurioni quincuplum, Tribuno amplius. Idem Antonium distribuisse scribit militi drachmarum quinque millia, Centurioni quin-

Hermel. in c. 3. lib. 34. Plin li XI. fere extremo.

Plin l. 33. ca. 11. Pollux l. 9. Festus v. Talenti.

cuplum

cuplum, Tribuno duplo amplius. Ergo hoc etiam inter reliqua antiquitatis incerta, obscurum sit quantum fuerit Tribuni stipendiũ. Neq; dubium esse potest quin Legati, Quæstores, alijq; multo plura acceperint quam Tribuni.

Ipsi autem Imperatori, quod certum est, omnia de publico præbebatur, vestes, vasa, vehicula, muli, tabernacula, triticum, ordeum, sumptusque reliquos, non solum in ipsum, sed etiam in comites ac necessarios eius. Cicero de signis. Maiores nostri neminem qui cũ potestate aut legatione in prouinciã esset profectus, tam amentem fore putauerunt, vt emeret argentum, dabatur enim de publico: aut vestem, præbebatur enim legibus. Liuius libr. XXX. Tabernacula, militaremque supellectilem, qualem præberi consuli mos est, & li. XLII. initio. Ante L. Postumiũ cons. nemo vnquam socijs in vllare oneri aut sumptui fuit: ideo magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent socijs. Suetonius scribit Augustum instituisse, vt ad mulos & tabernacula quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur. Plutarchus etiam Catonem refert non plus tritici in se ipsum, suumque comitatum; quam tres atticos medimnos singulis mensibus accepisse: in iumenta vero singulis diebus ordei minus trium semi medimnorũ. Atq; idem significat Magistratus in prouincias euntes tabernacula, lectos, vestesque de publico accepisse: eis-

se: eisque rebus Catonem abstinuisse.

Quamuis autem diurna mercede stipendiũ Romani militis cum Polybio æstimauimus, id tamen non sic est intelligendum vt in singulos dies acciperent stipendium, sed potius in sex menses, aut etiam in annum. Varro de vita populi Rom. vt citat Nonius, Stipendium appellabatur æs, quod militi semestre aut annuum dabatur: Liuius li. V. Annua æra habes, annuam operam ede: an tu æquum censes militia semestri, solidum te stipendium annuũ accipere? Et libr. XLII. Bis quæ annua merebant legiones stipendia feci. Hinc stipendia pro militiæ annis vsurpantur. Hirtius l. VIII. vndecima legio octaua iam stipendio functa. Quare cum Fuluius Trib. mil. ante persolutũ stipendiorum tempus legionem dimisisset, iure iurando adegit centuriones, æs in ærarium ad Quæstores esse delaturos, vt scribit Liuius lib. XL. Ad stipendium accipiendum milites nominatim citabantur. Liuius libro XXVIII. Citati milites nominatim apud Tribunos militum in verba P. Scipionis iurarũt, stipendiumq; ad nomen singulis persolutum. Scribit Isidorus certas notas additas eorum nominibus qui stipendium accepissent. Stipendium autem milites in balteo siue zona habebant. hinc Liuius lib. XXXIII. de militibus. Negotiandi ferme causa argentum in zonis habentes in commeatibus erant. Vopiscus in Aureliano. Miles stipendium in balteo, non in popina habeat. Spartianus in Pescennio. Idem iussit, ne in zonis milites ad bellum *lib. 1. c. 23.*

bellum aureos vel argenteos nummos portarent; sed publicè cõmendarent recepturi post prælia quod dederant. & Gracchus in oratione quadam apud Gellium. Zonas quas plenas argẽti extuli, eas ex prouincia inanes retuli.

Lib.15.c.12.

Porrò stipendium, frumentum, vestes, ceteraq; quæ de publico debebantur, Quæstor curabat ex ea pecunia, quæ iussu senatus, vt Polybius ait, ipsi Romæ fuerat à Tribunis ærarijs adnumerata. Vt enim Quæstores ærarij pecuniam tractabãt, quam in ærarium inferrent; ita Tribuni ærarij, quam ex ærario sumtam Quęstori Imperatoris in stipendium exercitus erogarent. Videntur autem singulis legionibus stipendium singuli Tribuni, vitandæ confusionis causſa, curasse. Vnde Festus Primanũ Tribunum fuisse dicit, qui primæ legioni tributum scribebat.

Pecunia quæ à Tribunis Quæstori assignabatur, Attributa, siue Attributum dicta est. Varro li. IV. de lingua lat. Pecunia quæ assignata erat, Attributum dictum, ab eo, quibus attributa erat pecunia, vt militi reddant, Tribuni ærarij. Et libr. I. epistolicarum quæstionum, auctore Gellio. Pignoris capio ob ęs militare, quod æs à Tribuno ærario miles accipere debebat. Asconius ad libr. I. Verr. Pecunia attributa, quæ in stipendium militum de ærario à Tribunis ærarijs adnumerari Quæstori solet. Hinc Cicero libro IV. Verrin. Pecunia attributa numerata est; profectus est Quæstor in prouinciam, venit in Galliam exspectatus ad exercitum consularem cum pecunia

Lib.7.c.10.

pecunia. Et paullò pòst de rationibus à Quæstore Verre in ærarium relatis. Accepi, inquit, vicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos septemdecim nummos: dedi stipendio, frumento, legatis, pro quæstoribus, cohorti prætoriæ HS. mille sexcenta triginta quinque millia, quadringentos septemdecim nummos. Ad quem locum Asconius. Hæc, inquit, omnia nomina sunt erogationum, quibus aut stipendium militibus dedisse se dicit Verres, aut frumentum coëmisse in annonam exercitus, aut legatis, & pro quæstori in sumptum dedisse: eis enim alimenta de publico dantur. Hoc in munere stipendij militibus numerandi Quæstori qui aderant, Libripendes dicti, veteri nomine retento, consuetudine immutata, qua olim asses, vt Plinius ait, non numerabantur, sed pendebantur.

Atque hæc quidem de stipendio, quod olim non dabatur: postea vbi de publico conferri cœptum, simul etiam tributum ex censu indictum est, vnde stipendium conficeretur. Hinc ansam cepere Tribuni plebis beneficiũ senatus reprehendẽdi, cũ dicerent illa quę Liuius refert l. 4. Vnde enim eam pecuniam confici posse, nisi tributo populo indicto. Et mox. Indicto iam tributo, edixerunt etiam Tribuni auxilio se futuros, si quis in militare stipendiũ tributũ non contulisset. Patres bene cœptã rem perseueranter tueri: conferre ipsi primi; & quia nondum argentum signatũ erat, æs graue plaustris quidã ad ærarium conuehentes, speciosam etiã collationem faciebant, cũ

senatus

senatus summa fide ex censu contulisset; primores plebis nobilium amici, ex composito conferre incipiunt: quos cum & à patribus collaudari, & à militari ætate tanquam bonos ciues conspici vulgus hominum vidit, repente spreto tribunicio auxilio, certamen conferendi est ortum. Et libr. V. Romæ simul delectu, simul tributo conferendo laboratum est: quantum enim augebatur militum numerus, tanto maiore pecunia in stipendium opus erat; eaque tributo conferebatur.

Ergo ex eo tempore Populus Rom. tributum pendere cepit in stipendia militum; duravitq; tributi collatio vsq; ad L. Pauli Macedonicum triumphum, post annum vrbis DLXXXVI. is enim tantum in ærarium pecuniæ inuexit, vt finem attuleric tributorum, quemadmodum Cicero, Pliniusq; ie tradidêre. Addit Plutarchus tantam pecuniâ à Paulo esse illatam, vt populus Roman. vsque ad consulatum Hirtij & Pansæ tributo conferendo vacarit. Quæ de ordinaria tributi collatione videntur esse intelligenda: nihil enim prohibet, quin aliquando in angustiis ærarij extra ordinem tributum indictum esse potsit. certe, quod negare nemo potest, frequens post Hirtij ac Pansæ consulatum, tributi collati mentio reperitur.

Cicer. de officiis Plin. l. 33 cap. 3.

Postremis temporibus Augustus perpetuis legionibus constitutis, M. AEmilio Lepido, L. Arruntio Coss. an. v. c. DCCLVIII, AErarium militare instituit, non solum ex vigesima hæ-

ma hæreditatum legatorumque & quinquagesima mancipiorum venalium, quod scribit Dio: sed etiam ex centesima rerum omnium quæ venderentur vt Tacitus significare videtur libro 1. Annal. in extremo. Centesimam, inquit, rerum venalium post bella ciuilia instituram deprecante populo, edixit Tiberius, militare ærarium eo subsidio niti. Hæc intellexit Suetonius, cùm in Augusto scribit, vt perpetuò ac sine difficultate sumptus ad tuendos milites prosequendosque suppeteret; ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit. Huic ærario Augustus, Dione teste, tres Prætorios præfecit: atque ijs singulis præter ceteram ministrorum turbam, binos etiam lictores attribuit.

R LIBER

LIBER QVARTVS.

De die, locoq; militibus ad conueniendum indicto.

CAPVT I.



Electu igitur perfecto, militiæque gradibus armisq; distributis, Imperator locum indicebat, quo scripti milites omnes Romani, socijque ad certam diem cõuenirent. Polybius lib. VI. Liuius lib. XXXVI. M. Acilius Coss edixit, vt quos L. Quinctius milites conscripsisset, & quos socijs nominiq; latino imperasset, quos secum in prouinciam ire oporteret, & tribuni militum legionis primæ & tertiæ, vti omnes Brundusium Idibus Maijs conuenirent. Hanc verò diem Imperator ex auctoritate senatus, ritè captatis in templo auspicijs pro concione edicebat. Liuius lib. XXIII. De exercitibus ita decretum est, vt duabus legionibus vrbanis Ti. Sempronius Cos. Cales ad conueniendum diem ediceret. Et lib. XXXIV. Minutius Cos. cui Ligures prouincia obuenerat, ex auctoritate patrum in nostra adscendit, & edixit, vt legiones duæ vrbanæ, quæ superiore anno conscriptæ essent, post diem decimum Aretij adessent. Et li. XXXVII. L. Cornelius Cos. pro concione edixit, vt milites, quos ipse in supplementum scripsis-

pfisset, vt hi omnes Idibus Quinctilibus Brundusium conuenirent. De auspicijs porrò idem Liuius testis est libro XLV. Consul cum legionibus ad conueniendum diem dixit, non auspicato templum intrauit: vitio diem dictam esse augures, cùm ad eos relatum est, decreuerunt. legiones Romanæ, quod vitio dies exercitui ad conueniendum dicta erat, Romæ manserant. Quòd si Imperator veterem exercitum à decessore acciperet, edicto, litterisque missis diem locumque similiter designabat. Liuius libr. XXI. Consulum designatorum alter Flaminius, cui ex legiones, quæ Placentiæ hibernabant, sorte euenerant; edictum, litterasque ad consulem misit, vt is exercitus idibus Martijs Arimini esset in castris. Ad diem dictam milites omnes præsto erant cum vallo, armis, cibarijs, alijsq; rebus necessarijs. Liuius lib. III. Dictator cum magistro equitum in concionem venit, iustitium edicit, claudi tabernas tota vrbe iubet, vetat quempiam priuatę quidquam rei agere, tum quicunque ætate militari essent, armati cum cibarijs in die quinque coctis, vallisque duodenis ante solis occasum Martio in campo adessent.

Qui autem miles die, qui prædictus fuerat, abfuisset, neque excusatus esset, infrequens dabatur, vt ex Cincio docet Gellius lib. XVI. capite quarto. Itaque omnes adesse cogebantur, teste Polybio; atque ad id etiam iureiurando adigebantur, se iussu Imperatoris conuenturos, neque iniussu abituros, his

additis exceptionibus, quas ex eodem Cincio Gellius exponit. Nisi funus familiare fuerit; Feriæ vindemiales; Calendæq; quæ non eius rei causſa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esſet; morbus sonticus, auſpiciumve, quòd sine piaculo præterire non liceat; sacrificiumve anniuersarium, quod rectè fieri non posſet, nisi ipsius eo die ibi sit; ius hostisve status, condictusve dies cum hoste. Si cui eorum harumce quæ causſa erit, eum se postridie, quàm per eas causſas licebit, eo die venturum, aditurumque eum, qui cum pagum, vicum, oppidumque delegerit. hæc ille. Atque morbi quidem, & auſpiciorum meminit etiam Polybius: funeris verò familiaris Dionyſius libro XI. Huius iurisiurandi meminit etiam Liuius libro III. Nobis, inquit, Quinctus, nihil delectu opus est, cum quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba iurauerint, conuenturos se iuſſu conſulis, nec iniuſſu abituros. Atque initio quidem milites hoc iureiurando non adigebantur à Tribunis, sed ipsi inter se vbi in centurias decuriasq; descripti essent, equites peditesq; cõiurabant, sese iuſſu conſulum conuenturos, neque fugæ aut formidinis ergo abituros, neque ex ordine receſſuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut ciuis seruandi causſa: bello deinde Punico secundo Paulo & Varrone Coſſ. id ex voluntario inter milites fœdere, à Tribunis ad legitimam iurisiurãdi adactionem translatum est, vt scribunt

bunt Liuius lib. XXII. & Frontinus lib. IV. ca. 1. Strateg.

Non solum igitur milites se ad diem, quam dixisset imperator, conuenturos iurabant, sed etiam se iniussu non abituros. Quæ tamen caussæ militem excusabant, quo minus ad diem dictam adesset, eædem etiam efficiebant, vt ab Imperatore commeatum impetraret. Commeatus autem dicitur auctore Festo tempus, quo miles ire redireque commode posset. Sic Virginius, vt filiæ pudicitiæ succurreret, funus familiare ementitus, abeundi à castris potestatem ab Imperatore extorsit, vt tradit Dionysius libro XI. Dabatur vero commeatus vel singulis militibus, vel pluribus qui sub signo mittebantur. Hirtius de bello Africano. Eodem tempore ex legionibus omnibus milites, qui aut morbo impediti, aut commeatu dato cum signis non potuerant ante transire in Africam; ad millia quattuor, equites quadringēti, funditores, sagittarijque mille vno commeatu Cæsari occurrerunt. Porro cum dabatur commeatus dies etiam præscribebatur, ad quem reuerti deberet: atque militis nomen qui commeatum accepisset, & quot dierum notabatur, vt scribit Vegetius libro II. capit. XIX. Qui autem ad diem commeatus non redisset, neque excusatus esset, vt emansor & desertor capite puniebatur, quemadmodum tradunt iurisconsulti Digest. libro XLIX. de re militari. Auctor ad Herennium libr. primo. Necessitatem excusabit, vt ille, qui ad diem com- *u. Remeare.*

meatus non venit, quod eum aquæ interclusissent.

CAP. II.

De profectione Imperatorum ex vrbe.

PRæmissis militibus ipse mox Imperator sequebatur, verum antequam id faceret, si Consules essent, qui exirent, ferias latinas indicebant, Iouiq; Latiali sollemne sacrum in monte Albano faciebant, aitq; Dio libro XLVI. nunquam Consules ante latinas ex vrbe profectos esse, quin ea res magno ipsis, reipubl. steterit. hinc Liuius libr. XXV. Romæ Consules Prætoresq; vsq; ante diem v. Kal. Maias latinæ tenuerunt, eo die, perpetrato sacro in monte, in suas quisq; prouincias proficiscuntur.

Quo autem die ex vrbe in prouinciam exibant, in Capitolium profecti sollemnia pro Republ. vota nuncupabant; quæ vota nuncupata dicta sunt, & in tabulas referebantur. Festus, Vota nuncupata dicuntur, quæ consules & Prætores cum in prouincias proficiscuntur, faciunt, ea in tabulas præsentibus multis referuntur. Cicero de suppliciis. Cum paludatus exisset, votaque pro imperio suo, communiq; populi Rom. salute nuncupasset. Cæsar. l. 1. ciu. Paludati votis nuncupatis exeunt. Hinc illa apud Liuium libro XXI. Senatus indignantis, quia C. Flaminius hæc omisisset; Non cum senatu modò, sed cum dijs immortalibus C. Flaminium bellum gerere: comitia Prætorum, & Capitolium, & sollem-

a. Nuncupata pecunia.

nem

nem votorum nuncupationem fugisse, ne latinas indiceret, Iouique latiali sollemne sacrum in monte Albano faceret, ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde ad prouinciam iret. Similia Cicero de Antonio V. Philip.

Vota aũt ex S.C. præeunte Pontifice Max. fiebant. Liuius libr. IV. Dictator præeunte A. Cornelio Pont. Max. ludos magnos tumultus caussa vouit. Et libro quinto. Dictator, satis iam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex S. C. vouit Veijs captis se facturum.

Prodigia quoque, si quæ essent nunciata, antequam proficiscereturImperator, procurabantur. Liuius libro XXIV. Consules duabus vrbanis legionibus scriptis, supplementoq; in alias lecto, priusquam ab vrbe mouerent, prodigia procurarunt, quæ nunciata erant. Et libr. XXVII. Prætores in prouincias profecti. Consules religio tenebat, quod prodigijs aliquot nunciatis, non facile litabant. Et libr. XXXIII. Priusquam Prætores ad bellum prope nouum proficiscerentur, aut ipsi consules ab vrbe mouerent, procurare, vt assolet, prodigia quæ nunciabantur, iussi. Et libro trigesimo septimo. Priusquam consules in prouincias proficiscerentur, prodigia per Pontifices procurari placuit.

Munus gladiatorium, venationesque, data ab Imperatoribus, priusquam proficiscerentur, scribit in Maximi & Balbini vita Capitolinus:

tolinus: cuius moris originem sic idem explicat. His gestis, celebratisq; sacris, datis ludis scenicis, ludisq; Circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus, susceptis votis in Capitolio, ad bellum contra Maximinum missus est cum exercitu ingenti, Prætorianis Romæ manentibus. Vnde autem mos tractus sit, vt proficiscentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium & venatus darent, breuiter dicendum est. Multi dicunt apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam, vt ciuium sanguine litato specie pugnarum, se Nemesis, id est, vis quædam fortunæ satiaret: alij hoc litteris tradunt, quod verisimilius credo, ituros ad bellum Romanos debuisse, pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent. Hæc Capitolinus.

Omnibus autem, quæ assolent, diuinis humanisque procuratis Imperator, sumpto paludamento cum lictoribus item paludatis, aliisque insignibus imperij, amicis prosequentibus ac bene ominantibus proficiscebatur ad portam. Liuius libro XXXI. P. Sulpicius Cos. secundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus cum lictoribus profectus ab vrbe Brundusium venit. & libro quadragesimo quinto. Consul proficiscens Prætorve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat. Cicer. epist. VI. libr. XIII. famil. Cum te pro-

se-

sequerer paludatum. Et in Pisoniana. An cum proficiscebamini paludati in prouincias, consules vos quisquam putauit? itaque, credo, si minus frequentia sua vestrum egressum ornando atque celebrando: at omnibus saltem bonis, vt consules, non tristissimis, vt hostes aut proditores prosequebantur? Hinc Liui. libr. XXI. in C. Flaminio Cos. illud tanquam nouum & insolens obseruauit, Lixæ modo, sine insignibus, sine lictoribus, profectum clam, furtim; haud aliter quam si exsilij causa solum vertisset. Et de C. Claudio lib. XLI. C. Claudius Cos. veritus, ne forte ea res prouinciam exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, vno omnium certiore facto collega, nocte profectus præceps in prouinciam abiit.

Ad portam Imperator, Prætoris nomine salutabatur, quem morem sic explicat Festus; Prætor, inquit, ad portam nunc saluratur is, qui in prouinciam Proprætore aut Proconsule exit, cuius rei morem ait fuisse Cincius in libro de Consulum potestate talem. Albanos rerum potitos vsque ad Tullum regem. Alba deinde diruta vsque ad P. Decium Murem Cons. populos latinos ad caput Ferentinæ, quod est sub monte Albano, consulere solitos, & imperium communi consilio administrare. itaque quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere oporteret, iussu nominis latini, complures nostros in Capitolio à Sole oriente auspiciis operam dare solitos.

vbi aues addixissent, militem illũ, qui à communi Latio missus esset, illum, quem aues addixerant, Prætorem salutare solitum; qui eam Prætoris nomine obtineret. Hæc Festus.

Imperator ad portam profectus, salutatusque, aut continuo ad exercitum proficiscebatur, aut si quid in vrbe negotij haberet, extra vrbem per aliquot dies commorabatur; propterea quod cum imperio in vrbe esse non posset. Qui quamdiu extra vrbem cum imperio subsistebat, ad vrbem esse dicebatur. Cicero in Sextiana. Erat Pompeius ad portas, erat cum imperio. Et in Prætura Sicilienſi. Verres, simulatque ei sorte prouincia Sicilia obuenit, statim Romæ, & ad vrbem, antequã proficiscereturr, &c. Ad quem locum ita scribit Asconius. Omnis magistratus, qui intramuranus non est, nec vrbanus, si administrator eius Romæ est, ad vrbem dicitur. Idem Asconius alibi: ad vrbem dici solet de iis, qui cum potestate prouinciali nondum in prouinciam profecti essent.

act. 1. in Verr.

Quantam autem dignitatem hæc Imperatoris profectio haberet, Liuius declarat libr. XLII. Per hos fortè dies P. Licinius Cos. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab vrbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac maiestate geritur: præcipuè conuertit oculos animosque, cum ad magnum nobilemq; , aut virtute, aut fortuna hostem, euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officij modò cura, sed

sed etiam studium spectaculi, vt videant ducem suum, cuius imperio consilioq; summam Reip. tuendam permiserunt. Subit deinde cogitatio animum, qui belli casus, quam incertus fortunæ euentus, communisq; Mars belli sit; aduersa, secunda, quæq; insciția & temeritate ducum clades sæpe acciderint, quæ contra bona prudentia, & virtus attulerit, quem scire mortalium, vtrius mentis, vtrius fortunæ consulem ad bellum mittant: triumphantem, ne mox cum exercitu victore scandentem Capitolium ad eosdem deos, à quibus proficiscatur, visuri: an hostibus eam præbituri lætitiam sint. Hæc Liuius. Quibus ex verbis quantæ ea res maiestatis fuerit, intelligimus. Neq; id sanè immerito: neque enim legitimum habere imperiũ putabatur is, qui hæc solemnia non seruasset.

Hinc illa de C. Flaminio Cos. qui simulato itinere priuatus clam in prouinciam abierat; Quod illi iustum imperium, quod auspicium esset magistratus, id à domo, publicis priuatisque penatibus, Latinis ferijs actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre, nec priuatum auspicium sequi. Hinc etiam C. Claudij Cos. qui non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus præceps ad exercitum venerat, à militibus contemptum imperium est. Quod tum consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent; cùm is more maiorum secundum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab vrbe esset. *Liu. li. 22.* *Liu. li. 41.*

De

De Lustratione exercitus.

CAP. III.

VBi igitur Imperator ad exercitum peruenisset, eum rite lustrabat, concioneq; aduocata, aut vetera emendabat, aut noua instituebat. Liuius li. XXIII. T. Sempronius Cons. Linuessæ, quo ad conueniendum diem edixerat, exercitu lustrato, transgressus Vulturnum lumen, circa Linternum castra posuit. Et lib. CXXVIII. Vere primo Ephesum Cõsul venit, acceptisq; copiis à L. Scipione & exercitu lustrato concionem apud milites habuit.

in Crasso. Appia in Parthica.

Fuit autem Lustratio solemne sacrificium, quo cæsis victimis exercitus expiabatur, teste Plutarcho, qui illud etiam cum Appiano veluti augurij infeliciſſimi obseruauit, quod Crasso in exercitus lustratione, exta ab haruspice porrecta exciderint. Id autem sacrificium extra castra fiebat, vt scribit in Bruto Plutarchus. Ex quo Dio li. XLVII. Octauiano milites timoris accusatos scribit à Bruti, Cassijque militibus, quod intra castra lustrarentur. In lustratione milites, & Imperator coronati fuere, vt docet in Marcello Plutarch. Hinc idem in Bruti vita narrat, ostenti loco acceptum, quod Cassio in lustrando exercitu coronam inuersam lictor obtuliſſet. Porrò sumptum & hostias ad sacrificiũ ipse Imperator suppeditabat, auctore in eadem vita Bruti Plutarcho, qui dicit singulis militibus à Bruto distributas drachmas quinquagenas & frumentum: ab Antonio autem & Cæsare quinas

quinas drachmas, & modicum frumentum. Illud etiam in lustratione obseruatum est, vt qui hostias ducerent ad sacrificium, bonis nominibus eligerentur. Cicero lib. 1. de Diuinat. Cùm imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur. Bona autem nomina sunt, vt alibi diximus, Valerius, Saluius, Statorius. Idem mos in lustranda classe obseruatus est; Liuius l. XXXVI. C. Liuius præfectus Romanæ classis, lustrata classe ad Lacinium altum petit. Et lib. XXXVII. Accepta à Liuio classe, & sacrificio, vt assolet, ritè facto, AEmilius consilium aduocauit. Et lib. XLV. Delphis Apollini promet, exercitibus & classibus lustra sacrificaui. Morem autem lustrandæ classis narrat Appianus, vt quidem Candidus interpretatur, cùm parata essent omnia, Cæsar classis exercitum hoc modo purgauit. *li. 5. bell ciu.*

Altaria primum maris in littore sita alluuntur vndis, multitudo omnis circumquaque magno silentio per naues assidet. Sacerdotes in mari confidentes sacra faciunt, terque per exercitum scaphis circumuecti purgamina sacra deferunt, ducibus vnà adnauigantibus, & purgamina extollentibus, vt ab exercitu quæque depellant, diuidentes deinde ea partem in mare proijciunt, partem altaribus impositam flammis adolent, ac protinus omnis multitudo ea benedicit. Sic Romani classem purgare solent. Hæc Appianus. Solemnem autem precationem, qua exta proijciebantur in mare, Liuius exponit lib. XXX. Vbi illuxit, Sci-

Scipio è prætoria uaui, silẽtio per præconem facto. Dij deæque, inquit, qui maria terrasque colitis, vos precor, quæsoq; quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, posteque gerentur, ea mihi, populo, plebique Romanę, socijs, nominique latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium, auspiciumque terra, mari, omnibusque sequuntur, bene vertant, eaque vos omnia bene iuuetis, bonis auctibus auxitis: salvos incolumesque victis perduellibus victores spolijs decoratos, præda onustos, triumphantesque mecum domos reduces sistatis: inimicorum, hostiumque vlciscendorum copiam faxitis: quæque populus Carthaginiens. in ciuitatem nostram facere molitus est, ea vt mihi populoque Rom. in ciuitatem Carthaginiẽsium exempla edendi facultatem detis. Secundùm eas preces, cruda exta, cæsa victima (vti mos) in mare proiecit, tubaque signum dedit proficiscendi. Hæc Liuius.

Exercitu, classeve lustrata, Imperator, vti dixi, concionem aduocabat, & quæ vellet in exercitu præcipiebat. Liuius lib. xxxiix. Consul acceptis copijs à L. Scipione, & exercitu lustrato, cõcionem apud milites habuit: qua, collaudata virtute eorum, quod cum Antiocho vno prœlio debellassent, adhortatus est eos ad nouum cum Gallis suscipiẽdum bellũ. Et lib. xxxvii. Accepta à Liuio classe, & sacrificio, vt assolet, ritè facto, AEmilius cõsilium aduocauit. Tacitus libro xv. Lustratum ritè exercitum ad concionem vocat. L. Paulus in concione apud Liuium, bello Persico mutasse

Lib. 45.

se

se quædam in exercitu dicit, quæ magna impedimenta victoriæ essent. Eadem de Scipione epitoma LVII. & apud Appianum in Libyca. Item de Metello Sallustius in Iugurthina narrat; quorum vterque multa in exercitu correxit.

De itineribus militaribus, siue de agmine.

CAPVT IV.

EXplicatis ijs, quæ ad belli apparatum in vrbe facere videbantur; tempus iam est, vt exercitum ex vrbe educamus, & quinam ordo fuerit exercitus in incedendo videamus. Agminis (sic enim, Isidoro teste, exercitus ad iter instructus appellatur) duo genera dicit esse Seruius. Quadratum, quod immistis etiam iumentis incedit, vt vbiuis possit considere: Pilatum alterum, quod sine iumentis incedit, sed inter se densum est, quò facilius per iniqua loca transmittatur. Scaurus de vita sua. In agrum hostium veni: pilatim exercitum duxi. Asellio Sempronius, quartum signum accedebat, siue pilatim, siue passim iter facere volebat. Seneca epist. LX. Ire quadrato agmine exercitum, vbi hostis ab omni parte suspectus est, pugnæ paratum. Et Liuius lib. X. Fabius impedimentis in locum tutum remotis, præsidioque modico impositio, præmonitis militibus adesse certamen, quadrato agmine ad hostium latebras succedit. Quæ Liuij verba haud verum esse ostendunt, quod Seruius docet, quadrato agmini iumenta fuisse immista.

lib 5. Orig c. 3. in fragmētis apud Scalig in Festū v. Cōpilare.

Quo-

Quoquo autem modo se res habeat, non idem semper videtur fuisse ordo incedendi: plerumque tamen is fuit, quem Polybius libr. VI. describit, vt primi quidem extraordinarij essent pedites, quos dextrum sociorum peditum cornu sequebatur: tum impedimenta eorum omnium, qui præcesserant; post quæ prima Romanorum legio incedebat, habens à tergo sua impedimenta; deinceps secunda legio (duabus enim legionibus exercitum consularem constare diximus) post se sua item habens impedimenta, quæ sociorum sinistri cornu impedimenta sequebantur: sinistrum enim cornu extremum agmen cogebat. Equites enim suas quisque partes sequebantur, id est, extraordinarij equites pedites extraordinarios, legionarij legionarios: & dextri vel sinistri cornu equites, dextri vel sinistri cornu pedites. Aut etiam equites in latera diffusi impedimenta tuebantur. Porrò ita in incedendo ratio fuit instituta, vt alternis dieb. suam vicem vna legio, sociorumque cornu, præcederet, sequereturque quo omnes æqualiter aquationis, frumentationisq; participes essent. Quod etiam scribit Iosephus lib. III. capit. III. vel VI. Quòd si à tergo periculi suspicio esset, cætera quidem eodem modo peragebantur: sed extraordinarij, qui primi esse solerét, in extremo agmine collocabantur.

Alia quoq; ratio fuit agminis temporibus parum tutis. in locis enim patentibus triplicem aciem pari inter se interuallo distantem faciebant, Hastatorum, Principum, & Triario-

riorum, ita vt singulas acies sua præcederent impedimenta. Cum autem ad hostes peruentum erat, aut in dextram, aut in læuā sese conuertēres, minima corporis agitatione, ex impedimentis signa in hostes efferebant. Hæc quidem Polybius; qui tamen multis in rebus deficit: multo clarius, meo quidem iudicio, agminis ordinem Iosephus explicauit l. 3. c. 5. & lib. 6. cap. 11. belli Iudaici. Primi enim, vt inquit ille, leuis armaturæ auxilia incedebāt, quos Romani pediratus equitatusq; pars sequebatur; deinceps metatores castrorū, viarumq. stratores; post hos erant Imperatoris, aliorumq; magistratuum impedimenta, multis equitibus custodiæ causa comitata; tum ipse Imperator ibat, lectissimis peditibus equitibusq; suæ cohortis cinctus; sequebantur deinceps fabri, expugnandarum vrbium machinas ferentes: deinde magistratus reliqui, & tribuni lectis militib stipati: post hos aquila, cæteraq; signa militaria, nec non cornicines, tubicinesq; sequebantur: post quos erat cum centurionib. reliquus exercitus in suas legiones ordinesq; descriptus: singulas autem legiones serui eius legionis cum impedimentis sequebantur, post quos erat, reliqua mercenariorum multitudo: Impedimenta in extremo agmine fuisse ostendit etiam Hirtius de bel. Afric. Labienus agmen eius extremum carpere cœpit, atq; ita lixarum mercatorūq; qui plaustris merces portabant, interceptis sarcinis: extremum deinde agmen peditum equitumq; manus claudebat. hæc ex Iosepho vti dixi. *Gr li. 3 c.8. & li. 5. c.6.*

Milites porrò in itinere non solum arma, sed pleraq; etiam alia impedimenta gestabant. Polybius lib. XVII. scuta humeris, loris coriaceis suspensa, manibusq; galeas gestasse milites in itinere scribit: vnde Hirtius de bello Afric. Milites in campo iubet galeari, & ad pugnam parari. Iosephus autem libr. III. præter arma, ferram, cophinum, farculũ, securim, funem, falcem, catenam, triduiq; cibaria gestasse scribit: vt parum inter ipsos & onusta iumenta interesset. Liui. li. VII. Romano, qui expeditus quantum humeris inter arma geri possit, frumenti secum attulisset, defutura omnia. Marcellinus li. XVII. viginti dierum frumentum, ad vsus diuturnitatem excoctum, buccellatum, vt vulgo appellant, humeris imposuit libentium militum. Cicero etiam dimidiati mensis cibaria tulisse tradit: armaq; non magis in onere, quam membra posuisse. Nostri exercitus, inquit, primum vnde nomẽ habeant, vides: deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad vsum velint, ferre vallum: nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus: arma enim membra militis esse dicunt, quæ quidem ita geruntur apte, vt, si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possint.

Et Lampridius in Alexandro Milites expeditionis tempore ita disposuit, vt in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem, vt solent, dierum nisi

nisi in barbarico. Si quis forte secum frumentum non tulisset, is videtur ab alijs emisse. Cæsar. lib. 1. ciuil. Frumenti copiam legionarij nonnullam habebant, quod dierum viginti duorum ab Ilerda frumentum iussi erant efferre: cetrati, auxiliaresq; nullam, quorum erant, & facultates ad parandum exiguæ, & corpora insueta ad onera portanda.

Vallos præterea plures aut pauciores gestabant. Liuius libro tertio. Dictator iubet, quicunq; ætate militari essent, armati cum cibarijs in dies quinq; coctis, vallisque duodenis ante solis occasum Martio in campo ad essent. Et Epitoma LVII. Triginta dierum frumentum, ac septenos vallos ferre cogebat: ægre propter onus incedenti dicebat, cum gladio rectè vallare scieris, vallum ferre desinito. Fuit autem vallus Romanorum, vt scribit libro XVII. Polybius, ligneus palus duos, tresve, ad summum quatuor ramos habens, quibus in munitione castrorum, vti dicimus, vtebantur. Propertius libro quarto, eleg. tertia.

Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum.

Præceptum autem Vegetij est libro primo, ca. XIX. vt iuniores pondus ad LX. libras ferant, & iter faciant gradu militari. Talem militem Virgilius describit libr. III. Georg.

Non secus ac patrijs acer Romanus in armis,
Iniusto sub fasce viam dum carpit, & hosti
Ante expectatũ positis stat in agmine castris.

C. Marius tamen, vt ait Frontinus, recidēdorum impedimentorum causa, quibus maxime exercitus agmen oneratur, vasa & cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quibus & habile onus, & facilis requies esset; vnde & in prouerbium tractum est Muli Mariani. De his meminit Festus. Muli Mariani dici solebant, à C. Mario instituti, cuius milites in furca, interposita tabella, varicosius onera sua portare adsueuerant. Idem alibi. AErumnulas Plautus refert furcillas quibus religatas sarcinas viatores gerebant, quarum vsum, quia C. Marius retulit, muli Mariani postea appellabantur.

Agmine quadrato videntur vsi locis temporibusq; suspectis, Marcellinus l. 24. initio. Metuens ne per locorum insolentiam insidijs caperetur occultis, agminib. incedere quadratis exorsus est: excursatores quidem quingentos & mille sensim præire disposuit: ipse verò medios pedites regens, quod erat totius roboris firmamentū, dextra legiones aliquas cum Neuita supercilia fluminis præstringere iussit Euphratis. cornu verò læuum cū equitū copijs Arintheo tradit, & Ormisdæ ducēdum confertius plana camporum & mollia, agmina verò postrema Dagalaiph⁹ cogebat & Victor, vltimusq; omnium Osdruenæ Dux Secundinus. Deinde vt hostibus si erupissent vsquā vel conspicantib. procul timorē multitudinis maioris incuteret, laxatis cuneis iumenta dilatauit, & homines, vt decimo pæne lapide disparārentur à signiferis primis.

Sar-

Sarcinas verò & calones & apparitionem imbellem, impedimẽtorumq; genus omne inter vtrumque latus instituit procedentium ordinum, ne qua vi subita raperentur, vt sæpè contingit improtecta.

Quadrato enim agmine, milites facillimè in omnes partes sese conuertere poterant, qua hostis inuaderet: ipseque Imper. vbique adesse & prospicere, quod contra longo agmine accidebat. Hinc Cæs. l. 5. factum illud respondit, longissimo agmine, maximisq; impedimentis incedunt. &. Cùm propter longitudinẽ agminis minus facilè per se omnia obire, & quid quoquo loco faciẽdum esset præuidere legati possent, iusserunt prænunciari, vt impedimẽta relinquerent, atque in orbem consisterent. Cæs. l. 2. bel. Gall. duplicem agminis ordinem ostẽdit, alterum tẽporibus tutis, alterum hostibus propinquis. Priorem ita explicat. Inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum dicit intercessisse, atque legionem vnam ab altera magnum spatium abfuisse.

Posteriorẽ autẽ, cùm hostis vicinus erat, sic idem declarat: vt sex legiones duceret expeditas; post eas totius exercitus impedimenta collocaret: inde duæ legiones totum agmen clauderent, præsidioque impedimentis essent, equites cum funditoribus sagittarijsq; totum agmen præcederent. Eandem agminis rationem Hirtius exponit lib. 8. bel. Gal. quadratũque agmen vocat, Agminis ordinem ita constituit, vt legio septima, octaua, non antè omnia irent impedimenta: deinde omnium

impedimentorum agmen (quod tamen erat mediocre, vt in expeditionibus esse consueuit) cogeret vndecima. Hac ratione quadrato agmine instructo, in conspectu hostium celerius opinione eorum exercitum adducit. Videtur autem in incessu quidam modus seruatus. Marcel. lib. XVI. de Iuliano. Cùm exercere præludia disciplinæ castrensis philosophus cogeretur vt princeps, artemque modulatius incedendi per Pyrricham concinentibus disceret fistulis, &c. Et l. XVIII. de Sabiniano imbelli duce. Militari Pyrrhichi sonantibus modulis pro histrionicis gestibus in silentio summo delectabatur.

De itineribus aût militaribus Vegetij lib. I. c. IX. præceptum est, militari gradu XX. millia passuum, horis quinq; dumtaxat æstiuis, conficienda esse: pleno autem gradu qui citatior est, totidem horis XXIV. millia peragenda esse. Hæc non solũ præcepit Vegetius, sed veteres Imp. multo ante sunt exsecuti. Cæsar enim, vt ipse scribit lib. VII. post mediam noctem Gergobia cum quatuor legionibus equitatuque profectus, millibus passuum quinq; & viginti confectis, Heduorum agmen assecutus est, ijsque sibi reconciliatis, ante ortum solis rediit in castra. Ex quo colligitur Cæsarem horis minus XXIV. amplius quinquaginta millia passuum confeciſſe; duplo magis quàm Vegetius præcepit; nam verisimile est horas aliquot tum Heduorum pacificationi, tum militum quieri esse tributas. Idem Cæsar, vt scribit lib. V. acceptis hora circiter vndecima diei de

Q. Ciceronis obsidione literis, nũcium ad M. Crassum, qui aberat millia passuum viginti quinque, misit, vt ad se veniret: hora ferè tertia Crassus aduenit, Cæsar post horam tertiam profectus, eo die millia passuum viginti processit. Et lib. 3. ciui. Meridiano ferè tempore signo profectionis dato, exercitũ educit: duplicatoque eius diei itinere, VIII. millia passuũ ex eo loco procedit. Ac licèt veterum mille aria paulò, quàm nunc, breuiora fuerint; horæ autem æstiuæ ferè duplo quàm hibernæ longiores: tamen id multum est, ac penè incredibile, cùm ab onustis conficerentur. Hinc secundis, tertijs, quartis, quintis, sextis, decimis, septuagesimis castris legimus apud Liuium, quib. significatur iter legitimum, quod duobus, tribus quatuorve diebus conficitur. Sic enim scribit libr. 38. Consul, quia vado superari amnis non poterat, transgressus Mæandrum ad Hieram comen peruenit. Hinc alteris castris ad Harpasum flumen ventum est, ex eo loco ad Tabas tertijs castris peruentum. Et libr. XXI. Quartis castris ad Insulam peruenit. Et lib. XXIIX. Cum cætero exercitu quintis fermè ad Illiturgim, castris peruenit, lib. XXXVII. sextis castris ad caput Caici amnis peruenerunt, libr. XL. septimis castris ad radices montis peruenit, lib. XXVIII. Profectus, decimis castris peruenit ad Iberum flumen, libro XLV. Quintis decimis castris Passaronem peruenit, libro vigesimo octauo. Scipio cum cæteris copijs, septuagesimis castris, Tarraconem redijt.

Quòd autem hoc dicendi genere iter, quod ijs diebus conficitur, significetur, Liuius videtur ostendere lib. XXXVIII. Principio veris, lustrato exercitu profectus, die octauo Apameam venit. ibi triduum statiuis habitis, tertijs rursus ab Apamea castris, in Pamphyliam peruenit. Quod etiam colligitur ex Iosepho in extremo lib. IV. vel V. de bello Iudaico. Marcellinus lib. XVI. in extremo. Argentorato cùm pugnaretur, mansione quadragesima disparatus.

De castrorum metatione.

CAPVT V.

ROmani, vt in re militari vniuersa cæteras nationes omnes superarunt, ita in metandis castris se ipsos viciſſe videri possunt: ex quo non sine causa Polybius ac Iosephus Romanorum in castris ponendis rationem ac disciplinam ad cœlum extollunt. Hinc Phil. Maced. rex cernens Romana castra, admiratus esse dicitur, & vniuersam speciem castrorum & descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum itinerum interuallis, & negasse barbarorũ ea castra vlli videri posse, vt refert Liuius lib. XXXI. Hanc metandi rationem Romanos à Pyrrho Epirotarum rege didiciſſe scribit Frontinus. Antiquissimis enim tẽporibus Romani castra per corpora cohortium veluti mapalia constituere soliti erant, cùm solos vrbium muros nosset: Pyrrhus primus totum exercitũ sub eodẽ vallo continere instituit. Romani deinde victo illo castrisque eius

Polyb. lib. 6. *Ioseph. li. 3 bell. Iud c 3.*

lib 4. cap. 1. Strat & Liu. l. 35.

eius potiti & ordinatione notata, paulatim ad hanc metandi rationem peruenerunt. Quantę postea sint castrorum vtilitates, quātiq; ea fecerint Romani egregiè docet Paul. in illa oratione ad æmilites, quam refert Liuius li. XLIV. Maiores vestri castra munita portum ad omnes casus exercitus ducebant esse; vnde ad pugnam exirent, quo iactati tempestate pugnæ receptum haberent. Ideò cùm munimentis ea sepiissent, præsidio quoque valido firmabant; quòd qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. patria altera est militaris hæc sedes, vallumque pro mœnibus, & tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. Plura apud Vegetium alioſque rei militaris scriptores.

Castrorum duo genera fuêre, alterum longioris temporis, alterum breuioris. Longioris temporis castra vel æstiua fuêre, vel hiberna, in quæ æstiuis hiberniſque mensibus milites sese recipiebant, quod tempus illud ob summum calorem & frigus bello minimè sit plerumque opportunum. Quamquam hisce mensibus in sociorum oppida nō rarò in æstiua aut hiberna milites missos fuisse legimus. Liuius libr. 38. Instare hyemem aut sub pellibus habendos milites fore; aut si concedere in hiberna vellent, differendum in æstatem bellum. Et lib. 46. Exercitus in hiberna dimissus est; maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquæ vrbes accepêre: multò tamen grauior fuit sub pellibus, quàm

in oppidis hibernatio. Cæsar lib. III. extremo. Eiusmodi tempestates sunt consecutæ, vt continuatione imbrium diutius sub pellibus milites contineri non possent: itaque exercitum Cæsar in hibernis collocauit.

Vt autem hyeme nō in ciuitates milites deducerentur, sed vt in castris continerentur, Veienti primum bello institutum scribit Liuius lib. v. Hinc militibus Cannensibus ignominiæ caussa additum scribit Liuius lib. XXVI. His ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius vllam vrbem x. millibus passuum ædificarent. Hirtius de bello Africano. Cæsar, inquit, non more superiorum Imperatorum in hibernis exercitum continebat, sed in tertio quartoq; die procedendo castra communiebat. Liuius libr. VII. Consul educto in æstiua milite, exercitum purgare missionibus instituit. Sed tamen omnium castrorum eadem fuit in metando forma & descriptio, vt Polybius scribit.

Præmittebatur igitur Tribunus cum Centurionibus ac metatoribus; qui locum castris eligerent, dimetirentur, atque vbi opus esset, complanarent, vt ait Polybius & Iosephus libr. III. bel. Iud. Hinc Cæsar l. II. bel. Gall. Exploratores Centurionesq; præmittit, qui locum castris idoneum deligant. Cicero Phil. XI. Saxa nescio quis castrorum antea metatur; nunc, vt sperat, vrbis. Plinius li. x. c. IV. auctor est, nunquam legiones hibernasse in castris, vbi aquilarum non esset iugum. Primum igitur omnium Prætorio locus eligebatur, vexil-

xillo albi coloris defixo, deinde Tribunorum, legionumque tentoria puniceis designabant vexillis, viarumque & aliorum locorum signa constituebant aut hastis puris aut diuersi coloris vexillis: Quæ omnia Romani & propter mensurarum notitiam, & propter frequentem consuetudinem celerrimè exsequebantur, Polybius. Vbi reliquus aduenisset exercitus, ex signis humi defixis statim quid sui muneris esset quisq; agnoscebat; cùm castrorum metandorum ratio vna atque eadem à Romanis perpetuò seruaretur. Dum verò castra munirentur, equites & pars peditum, cæterique qui legis aut Imperatoris beneficio munerum habebant vacationem, erant in armis contra subitos hostium incursus. Quanquam vrgente aliqua necessitate omnes ad opus coacti sunt: hinc equites quod ad munitionum opus explicandum ire iussi, facere id neglexissent; à Censoribus notatos fuisse Valerius & Frontinus tradidêre. Triarij ferè castra munisse leguntur: qui scutis sarcinisq; suis in orbem circa signa dispositis, cincti gladio opus peragebant, vt scribit Vegetius l. 3. Hinc Liuius li. VII. Ab Romanis nec opus intermissum: triarij erant qui muniebant, & ab hastatis principibusque, qui pro munitoribus intenti armatique steterant, prælium initum. Et li. 35. Totius agminis sarcinas in medium conijci iussit, ac Triarios vallum circumijcere. & li. 44. Nec antequam prima frons valli ac fossæ producta est, ex statione equites reuocati. Cæsar lib. 1. bell. Gall. Castris idoneum locum de-

delegit, acieque triplici instructa, ad eum locum venit, primam & secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire iussit. Et lib. 1. bell. ciuil. Prima & secunda acies in armis, vt ab initio constituta erat, permanebat: post hos opus in occulto acies tertia faciebat. Iam verò alibi demonstratum est Triarios in tertia acie fuisse. Tacitus lib. xv. Ferunt militem, quia vallum non accinctus foderet; alium quia pugione tantum accinctos foderet, morte puniros.

Præfectus Castrorum ipse ex arte Centurionibus edicebat quid esset agendum: Centuriones opus inter milites distribuebant, atque ex præscripto omnia fierent; vrgebant: ipsi autem Tribuni obibant opus ac probabant, vt supra narratum est.

Primùm igitur omnium fossa ducebatur, quæ pro periculi magnitudine, maior minorve fuit. Vegetius l. iii. imparem numerum religionis causa obseruatũ dicit in fossæ dimensione: quod tamen non semper obseruatum scriptorum passim exempla ostendunt. In aperienda autem fossa non tantùm id curabãt vt humus egereretur, quàm vt cæspites exscinderentur. Cæspes autem dicitur qui herbarum radicibus continet terram; formamq; lateris habebat: eratque auctore Vegetio libr. tertio, altus semis pedem, latus pedem, longus pedem semis. Hi cæspites inter se ordinati ad instar muri post fossam collocabantur, & aggerem faciebant, supra quem valli defigebantur densissimi, ramis furculisque inter se

se ita complicatis, vt ne manus quidem interponendæ spatium esset, neq; sine ingenti labore vel vnus vallus reuelli posset, vt scribit Polybius lib. XVII. Hinc Plin. li. XXXV. Cæspitum natura castrorum vallis accommodata. Liu. lib. XXXIV. Circumspectare atq; agitare Dux cœpit, si quo modo posset vallum circumijcere; sed erat adeo nudus tumulus, & asperi soli; vt nec virgulta vallo cedendo, nec terra cæspiti faciendo, aut ducendæ fossæ, alijve vni operi apta inueniri posset. Tacitus l. I. Neq; is miseriarum finis, struendum vallum, petendus agger, amissa magna ex parte, per quæ egeritur humus, aut exciditur cespes. Beda lib. II. Histor. Anglic. cap. 5. Vallum, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cæspitib. quibus circumcisis è terra, velut murus exstruitur altus super terram: ita vt in ante fiat fossa, de qua leuati sunt cæspites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Ouidius libr. I. eleg. penult. vallum pectinis dixit, quod pectinis dentes vallum imitarentur.

Quod si locus adeò esset saxosus, vt cæspiti cædendo non esset aptus; cæspes longius petebatur. Cæsar. l. II. bel. Gall. Milites qui paullo longius aggeris petendi causa processerant, accersendi. Et lib. I. bell. ciuil. Quod longius erat agger petendus, in potentiam similem rationem instituit.

Sin autem terra solutior esset, vt cæspes nō posset abscindi, sepibus hinc inde factis, quæ de fossa egesta fuisset, terra congerebatur, supra

pra quam valli, vt diximus, profigebantur. Auctor Vegetius l. i. & iii. super hunc deinde aggerē & pinnę, & turres cum opus fuit, construebantur, vt vrbis speciem referret, quemadmodum cum Iosepho idem Vegetius tradit, vt passim apud auctores exempla demonstrant.

Castrorum formam Polybius & Iosephus quadratam fuisse significant. Vegetius autem etiam rotunda, trigona, oblonga castra agnoscit; quamquā ipse ea pulchriora credit, quibus vltra latitudinis spatium, tertia pars longitudinis additur. Hirtius de bell. Afric. Lunatis castris in Thapsi obsidione Cæsarem vsum esse narrat.

Castra portas quattuor habuêre, vt scribit Iosephus libr. iii. in singulis videlicet lateribus singulas: quæ quidem portæ amplæ patentesq; fuere, adituq; faciles.

Prima porta Prætoria fuit, quæ aut hostes spectabat, aut eam partem ad quam erat profecturus exercitus, vt ait Vegetius libr. i, vel, in quam erat facilior exitus ad aquandum & pabulandum, vt ait Polybius. Hinc Festus ex Prætoria porta exercitum ad prælium eductum ait. Dicitur autem Prætoria, quod ad Prætorium tabernaculum Imperatoris recta duceret. Meminit etiam portæ Prætoriæ Tacitus lib. i. Histor.

Altera porta Prætoriæ ex diametro respōdens Decumana fuit, hosti auersa. Liuius lib. iii. Furius Cos. in incautum hostem Decumana por-

na porta erupit. Tacitus libr. 1. Annal. Tanta deinde consternatio irrupisse Germanos credentium, vt cuncti ruerent ad portas; quarum Decumana maxime petebatur, auersa hosti & fugientibus tutior. Hæc eadem dicta videtur Quæstoria propterea quod ad Quæstorium ferret quod erat post Prætorium. Liuius lib. X. Ab tergo castrorum Decumana porta impetus factus est: itaque Quæstorium captum, Quæstorq; ibi L. Opimius Pansa occisus est. Et li. XXXIV. Tumultus ab aduersa parte castrorum est coortus, in portam Quæstoriam irruperant Galli. Hyginus. Quæstorium dicitur, quod alioquin Quæstores ibi pedituram acceperint, quod est supra Prætorium in rigore portæ, quæ à cohortibus decimis Decumana est appellata. *Apud Lipsii in Tacitum. lib. 2.*

Tertia porta respectu ipsius Prætorij Dextra principalis dicebatur. Liuius libr. quarto. Intentos hostes in vallum, egressus dextra principali, cum Triariis repente inuadit.

Quarta porta dextrę opposita Sinistra principalis appellata est. Vtriq; portæ nomen impositum à Principibus qui ibi tendebant; scribit Festus. Principalis, inquit, castrorum porta nominatur, quod in eo loco est, in quo Principes ordines tendunt. Quamquam puto potius à Principijs: sic enim vocabatur locus in Castris. Liuius libro trigesimo quarto. Duæ legiones duabus principalibus portis signa efferre iussæ. omnium portarum meminit Liuius li. 40. Ad quatuor portas exercitum instru-

instruxit, vt signo dato simul ex omnibus partibus eruptionem facerent. Quatuor extraordinariis cohortibus duas adiunxit, erumpere extraordinaria porta iussit. Ad dextram principalem Hastatos legionis primæ instruxit. Tertia legio aduersus principalem sinistram portam instructa est. Q. Fuluius Flaccus legatus cum dextra ala ad Quæstoriam portam positus. Hæc Liuius. sed quam ipse vocet extraordinariam, equidem non possum diuinare. Alij aliter explicant: arridet tamen illa coniectura, vt pro extraordinaria, legatur ordinaria. & significetur Prætoria, qua, vti diximus, vsitatum fuit ad prelium egredi. Nisi forte intelligat portulã aliquã, quæ propter quatuor principales, in aliquo esset latere castrorum: Leo enim Imperator, quamuis quatuor tantum portas maiores & publicas, vt ipse vocat, in castris agnoscat; tamen portulas paruas propterea complures dicit fuisse in lib. de beil. apparatu cap. xi. Addunt nonnulli Quintanam, magno vtique errore vt mox ostendam. Atq; hæc quidem exterior fuit castrorum species atq; forma.

Longe à vallo pedes ducẽtos ex omni parte tabernacula militum figebantur, quod spatium magnas ijs præbebat vtilitates, quas Polybius enumerat, primum enim cum omnes viæ ad illud ducerent, fiebat vt sine tumultu aut oppressione ingredi possent: deinde eo inferebant prædam, quam ab hostibus cepissent; præterea ibi etiam pecora asseruabant: postremò, quod maximum fuit, extra teli iactum constituebantur. Mili-

Militum tabernacula fiebant de pellibus; hinc passim reperitur esse sub pellibus continere milites sub pellibus. Festus. Tecta castrensia, quamuis pellibus contegantur, Tabernacula tamen dicuntur. Hirtius bel. Afric. Per quam pauci sub pellibus acquiescebant; reliqui ex vestimentis tentoriolis factis, atque arundinibus coriisq; contextis protegebantur. Has pelles Imperatores à ciuitatibus exigebant. Cicero in Pisonem. Omni totius prouinciæ pecore compulso, pellium nomine; omnem quæstum illum domesticum paternumq; renouasti. *u. Ad tabernalis.*

Primum autem quemadmodum dictum est, Imperatoris tabernaculum erigebatur eo loco, vnde in omnes partes latissimus esset despectus, & imperium facillimè percipi posset. Hoc Prætorium appellabant eo more, quo Duces omnes olim Prætores etiam nominati sunt. Varro. Prætor olim dictus quicumq; præiret exercitui. Asconius veteres omnem magistratum cui pareret exercitus, Prætorem appellarunt. Festus. Initio Prætores erant qui nunc Consules, & ij bella administrabant, quorum tabernaculum quoq; dicebatur Prætorium. Iosephus Imperatoris tabernaculum Deorum templo simillimum fuisse narrat. Videtur hoc Prætorium fuisse columnis sustentatum; nisi nos fallunt veteres nummi: certe hoc Marcellinus significat libro XXV. Imperatori non cupediæ ciborũ ex regio more, sed sub columellis tabernaculi

culi parcius cenaturo pultis portio parabatur exigua.

In eodem quoq; loco erat Imperatoris supellex, arma, equi, & alia ad vsum necessaria: nam Dionys. lib. 1x. haud longe ab initio C. Manlij Cos. Prætorio de cælo tacto, illa omnia conflagrasse narrat.

Apud Lipsiū. li 2 Ann. Taciti.

A parte dextra Prætorij fuit ara, vbi Imperator sacrificabat, & auguria captabat, vt Hyginus significat q. āquā verbis corruptissimis: hinc Tacitus lib. 15. Annal. aram Auguralem nominat in castris Corbulonis, & libro 2. Annal. Nocte cœpta, inquit, egressus Augurali, per occulta & vigilibus ignara, comite vno adit castrorum vias. Et Dionys. lib. 1x cum in C. Manlij Cos. Prætorium fulmen decidisset. & tabernaculum dissipasse, & foculum, ἑστίαν, euertisse scribit.

Læua autem Prætorij parte, vt idem ait Hyginus, Tribunal fuit, de quo superius multa diximus. Tribunal prope Prætorium fuisse tum ratio suader, tum indicat Liuius libr. 22. Ad Prætorium eius signa cum tulerimus. & mox subdit, vt constituta sunt ante tribunal signa.

Iuxta Prætorium, carcerem quoq; fuisse verisimile est, vt loco maxime commodo & tuto, quemadmodum etiam Romæ foro carcer imminebat; certe carcerem in castris fuisse ostendit Tacitus lib. 1. Annal. loquens de seditione in castris concitata. Blæsus, inquit, paucos ad terrorem cæterorum affici verberibus, & claudi carcere iubet; Et mox. Accurritur

ritur ab vniuersis, & carcere effracto, soluũt vincula. Iuuenalis satyra VI.

Inde fides arti, sonuit si dextera ferro,
Lxuaq; si longo castrorum in carcere mãsit.

In eo carcere non solum captiui, sed etiam nocentes & seditiosi milites, vt ex Tacito vidimus asseruabantur.

Cum igitur tam multa essent prope Prætorium, rectè circa illud aream quadratam centenûm quaqua versus pedum relictam fuisse Polybius dicit. Legatus etiam ibidem sua tabernacula habuisse probabilissimum est, vt semper Imperatori adessent.

Imperatoris porro tabernaculum portam Prætoriam respiciebat, qua vel in prœlium vel in pabulationem exitus erat, vti diximus. Auersa Prætorio, atq; in eandem Prætoriam portam spectantia Tribunorum tabernacula constituebantur in recta linea quæ paralella erat areæ quadratæ, ab ea tamen pedes quinquaginta distabat: ibiq; etiã equi, iumenta ac cetera Tribunorum impedimenta collocabantur. Tribunorum tabernacula æqualiter inter se distabant, tantumque spatij in latitudinem extendebantur, vt totam Romani legionum latitudinem æquarent. Erant enim in duabus legionibus, qui exercitus est consularis, Tribuni duodecim; videlicet in singulis seni.

A tabernaculis Tribunorum vsq; ad alia tabernacula militum, centenûm pedum

via intercedebat, quæ Principia dicebatur, vbi Tribuni ius dicere solebant, quare, vt ait Polybius, maxima semper hominum frequẽtia celebrabatur. Liuius libro VII. Nec in circulis modo fremere, sed iam in principijs ac prætorio in vnum sermones confundi: & lib. XXXVII. Ibi in principijs sermo inter Tribunos militum secretus oritur; inde ad aures ipsius AEmilij peruenit. & libr. XXVIII. Milites Tribunos iura reddere in principijs sinebant. Ibi in Principijs signa legionum fuisse puto, cum Tacitus libro 4. Annal. dicat. Tiberius coli effigies eius inter Principia legionum sinerent. Videtur autem excitatum inibi sacellum, ne sub dio signa essent, Herodianus libro quarto, loquens de Antonino qui Seuero successit, vt autem, inquit, castra attigit, templumq; vbi signa ac simulacra exercitus adorantur, procidens humi gratias agebat, & quasi salutem adeptus sacrificauit. Tacitus libro I. Annal. de seditione legionum Germanicarum. Neq; aliud, inquit, periclitanti subsidium, quam castra primæ legionis, illic signa & aquilam amplexus, religione sese tutabatur: ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset; rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris, sanguine suo altaria Deum commaculauisset. Vegetius libro III. capit. VIII. Prima omnium signa locis suis intra castra posita fuisse dicit, quippe cum nihil esset venerabilius eorum maiestate militibus: deinde Duci Prætorium, eiusq; comitibus, ac Tribunis

bunis tabernacula præparari: postremo cæteris militibus ordine.

Igitur centenûm pedum spatio à Tribunorum tabernaculis intermisso, equites vtriusque legionis inter se oppositi, atque aduersi tendebant; sic tamen vt inter ipsos via similiter pedum quinquagenûm relinqueretur. Longitudo tabernaculorum equitum eadem fuit quæ ipsius viæ, pedum videlicet centenûm, vsque ad ipsum vallum; altitudo quoque fermè æqualis, ita vt quadratam figuram referrent. Equitibus auersi, tabernaculis tamen coniunctis, Triarij collocabantur, ita vt singulis equitum turmis singulæ Triariorum centuriæ responderent: qua propter fiebat, vt longitudo par esset; altitudo tamen duplo minor pedum quinquagenûm; quoniam Triarij dimidio fermè pauciores sunt, quàm cæteri ordines.

Iterum via alia pedum quinquagenum interiecta, Triarijs aduersi Principes locabantur, ita vt vtrique in ipsam viam respicerent. Principibus auersi, tabernaculis coniunctis erant Hastati, centurijs vtrorumque inter se respondentibus tam secundùm altitudinem, quàm secundùm longitudinem, quæ erat centenûm pedum; sicut de equitibus dictum est: nam hi pares inter se numero fuêre.

Rursus alia via quinquagenûm similiter pedum intercedente, Hastatis aduersis sociorum equites tendebant; quibus similiter auersi tabernaculis coniunctis collocabantur

sociorum pedites in vallum spectantes: Horum omnium longitudo par fuit Romanis legionibus; altitudo tamen proportione augebatur; quemadmodum peditum sociorum numerus par fuit Romanis; equitum duplo maior. Excipiuntur tamen ex hoc numero extraordinarij, qui alibi tendebant, vti dicemus.

In singulis siue turmis, siue Centurijs, tam Romanorum, quàm sociorum, prima tabernacula fuêre eorum qui ordines ducebant, Decurionum, Centurionum, Præfectorum.

Quoniam autem singuli ordines tam peditum quàm equitum, siue Romanorum, siue sociorum in decem partes tribuebantur; & in castrorum metatione singulæ partes secũdùm longitudinem sibi respondebant, licèt aliquę secundùm altitudinem differrent; vti diximus: Post quintam cuiusq; ordinis partem, alia via pedum quinquagenùm totam Castrorum latitudinem intersecabat, quam viam nominabant Quintam, quod post quintos ordines relinqueretur.

Locus autem qui post Tribunorum tabernacula fuit ex vtraque parte Prætorij, Quæstori attribuebatur. Atque à dextera quidem parte ipsius Quæstoris tabernaculum fuit; à siniſtra verò Forum, & reliqui commeatus, Quæstoriæ curæ commissi. qui locus dicebatur Quintana, vbi videlicet rerum venalium licitatio fieret. Hoc enim significat Quintana, neq; vt aliqui putant, porta Castrẽsis fuit.

Sue-

Suetonius in Nerone cap. XXVI. Quintana domi constituta, vbi portæ & ad licitationem diuidendæ prædæ pretium assumeretur. Liuius libro XLI. Prætorio deiecto ad Quæstorium forum, Quintanamque hostes peruenerunt. Paulus Festi compilator Quintanam esse dicit in castris, vbi rerum vtensilium forum fuit; non tamen placet quod addit portam fuisse: nam quomodo Festus ipse scripserit, ignoramus. Ibi quoque videtur fuisse armamentarium, cùm eius cura ad Quæstorem pertineret; licet quoque particularis custos adhiberetur. Tacitus libro primo Histor. Vehicula cohortis onerari aperto armamentario iubet. Et ibidem: Aperiri deinde armamentarium iussit; rapta statim arma sine more, & ordine militiæ. Seneca de Tranquillo lib. primo, cap. tertio. Neque ille solus militat, qui in acie stat, & cornu dextrum læuumque defendit; sed qui portas tuetur, & statione minus periculosa, non otiosa tamen fungitur, vigiliasque seruat, & armamentario præest. & libr. Dig. de re milit. Armorum custodi plerumque culpa imputatur, si arma militi commisit non suo tempore. *l. Qui commeatus.*

Porrò Forum & Quæstorium tantum spatij secundùm latitudinem occupabant, quantum Tribunorum tabernacula; via tamen, inter hæc, vti dictum est, pedum quinquagenûm interiecta.

Quæstorio Foroque aduersi ex vtraq; parte, via quinquagenûm pedum interposita,

equites auocati, quos ἐπιλέκτους Polybius vocat, & voluntarij locabantur, quibus auersi ex vtraque similiter parte in vallum spectantes tendebant euocati & voluntarij pedites.

A tergo Prætorij Quæstorij forisque centenum pedum via intersecãte, quæ Tribunorum tentorijs erat parallella, ac tantundem spatij in latitudinem occupabat; Equites extraordinarij sociorum tendebant, ipsum Quæstorium Iorumq; ac Prætorium spectantes. Quibus auersi posteriorem partem castrorum respicientes locabantur extraordinarij pedites. Inter equites autem peditesque extraordinarios legionis vtriusq;, vt inter alios quoq; ordines diximus, via pedum quinquagenûm intercedebat, quæ à tergo Prætorij ad posteriorem Castrorum partem, portamque Decumanam ferebat.

Spatium deinde quod relinquebatur ex vtraque parte extraordinariorum, attribuebatur ijs qui in dies aduenìebant. Mercatores, alijq; opifices extra castra sub vallum tendebant. Cæsar libro 6. vt qui sub vallo tenderent mercatores, recipiendi sui facultatem non haberent.

Hæc igitur de castrorum metatione prout eam describit Polybius; quæ etiam pro numero militum pro portione aut augebatur, aut minuebatur.

Quòd si vterque Consul simul castra metantur, nihil aliud cogitare oportet nisi duos ex-

exercitus pariter auersos inuicem coniunctos esse, & contingentes sese ad tabernacula extraordinariorum, vt idem ait Polybius. Atque his expositis, deinceps videamus quænam fuerit castrorum disciplina.

De castrorum disciplina.

CAPVT VI.

VBI primùm castra metati fuissent, Tribuni ab omnibus qui in castris essent, siue liberi, siue serui singillatim iusiurandum exigebãt se nihil è castris furto ablaturos: imò etiam si quid inuenissent, allaturum ad Tribuno s Auctor Polybius. Eius iuramenti formula refertur à Gellio his verbis. In magistratu C. Lælij, in exercitu, decemque millia passuum propè, furtum non facies dolo malo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos. Extra hastam, hastile, ligna, pabulum, vtrem, follem, faculam, si quid ibi inueneris, sustuleriſve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, vt tu ad C. Lælium, siue ad quem iusserit, proferas, aut profitebere in triduo proximo, quidquid inueneris sustuleriſve dolo malo, aut domino suo, cui id esse censebis, reddes, vti quod rectè factum esse voles. Hæc Gellius. Vbi hoc iusiurandum fuisset exactum; suis quisq; locis ordinabatur. Ex hastatis autem principibusque legionis cuiusque, manipuli duo ad eius viæ custodiam designabantur, quæ ante Tribunos erat; cùm enim ea maximè celebrare- *Lib. 16. c. 4.*

tur, ſtudium adhibebatur, vt adſperſa purgatáque eſſet. Ex reliquis autem duodeuiginti manipulis, ſingulis Tribuni ternos ſortiebantur. Hi manipuli Tribuno tabernaculum conſtituebant, locum ſternebant, æquabantq;, & ſi opus eſſet ad vaſorum cuſtodiam, ſæpè muniebant. Dabant quoque hi tres manipuli ſingulis diebus binas cuſtodias ſiue excubias, quę ſingulę quaternis hominibus conſtabant, quorum pars ante tabernaculum Tribuni, pars poſt tabernaculum iuxta equos excubabat. Triarij à Tribunorum miniſterijs eximebantur illi quidem, ſed ijs cura demandabatur equorum, ne aut vinculis implicati læderẽtur, aut ſoluti, & inter ſe irruentes turbas & tumultus excitarent.

Ex omnibus tamen manipulis vnus quotidie in vrbem ſuam quiſque vicem ante Imperatorem excubabat, quod præſidio ſimul & ornamento erat Imperatori.

Velites, vt ait Polybi°, per diem extra vallum cuſtodiam agebant: neq; ſolùm velites, ſed etiam equites. Feſtus. Procubitores dicũtur ferè Velites, qui noctu cuſtodiæ cauſa ante caſtra excubabant, cùm caſtra hoſtium in propinquo ſunt. Vegetius etiam præcepit lib. III. vt equites nocturnas excubias faciant extra vallum. Cæſar libr. IV. bello Gall. Qui pro portis caſtrorum in ſtatione erant, Cæſari renunciarunt, & libro V. Impetu in eos facto, qui erant in ſtatione pro caſtris collocati acriter pugnauerunt, libro primo bell. ciuil. Quæ in ſtatione pro caſtris erant Afranij

nij cohortes, breuiore itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Hirtius de bello Africano. Turmæ equitum, qui pro vallo in stationibus esse solebant.

Hoc veteres dixerunt Prætendere, easque custodias Prætenturas, & stationes agrarias nominarunt. Marcellinus libro XVI. Dum castrorum opera maturè consurgunt, militisque pars stationes prætendit agrarias. Et lib. XIV. & quia Mesopotamię tractus omnes crebro inquietari sueti, prætenturis & stationibus seruabantur agrarijs. Et lib. XXV. salubriter & cautè castra metata: prætenturæ stationesque agrariæ totis rationibus ordinatæ.

Præter hæc tres fiebant excubiæ, vna apud Quæstorem, duæ autem apud legatos & consiliarios.

Cùm autem castrorum forma quadrata esset, duo latera socij custodiebant, iuxta quæ ipsi tendebant: frontem verò, & posteriorem castrorum partem legionis Romanæ seruabant, ita vt vnaquæque legio suum latus custodiret. In singulis autem portis deni Velites stationem habebant, vt ait Pylybius. Hinc Sallustius in Iugurthina; castra munire, excubitum in porta cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere: propterea alios super vallum in munimentis locare, vigilias ipse circumire. Claudebantur enim noctu portæ, & claues à custodibus ad Tribunos deferebantur, vt dicitur in l. Officiũ regentis: Dig. de milit. Et capitale fuit fossam

aut

aut vallum transilire: quod ex Remi facto originem duxisse tradit Zonaras tom. 2. initio.

Quòd autem diximus castrorum ambitum à socijs Romanisque fuisse vigilijs custoditũ; id non est sic intelligẽdum, quasi totis castris continenter fuissent vigiliæ, sed solùm certis locis, spatijsq; intermissis. Hinc illud præter morem apud Cæsarem lib. 1. bell. ciuil. Cæsar, inquit, his operibus, quæ facere instituerat, milites disponit nõ certis spatijs intermissis, vt erat superiorum dierũ cõsuetudo, sed perpetuis vigilijs stationibusque, vt contingant inter se, atque omnem munitionem expleant.

Vigiles olim hastas, & pila, & scutũ deferebant ad nocturnas excubias: sed cùm plerumque accideret, vt vigiles scuto hastęque innixi dormirent, Paulus AEmilius instituit, ne quid eorum secum deferrent, vt magis somno resisterent, vt auctor est in Pauli vita Plutarchus. Qua de re Liuius etiam ita scribit libr. XLIV. extremo. Vigiles, inquit, nouo more, scutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, vt armis vtatur, sed ad vigilandum, vt cùm senserit hostium aduentum, recipiat se excitetque ad arma alios; Scuto præ se erecto stare galeatos: deinde vbi fessi sint, innixos pilo, capite super marginem scuti posito sopitos stare, vt fulgentibus armis procul conspici ab hoste possit, ipse nihil prouideat. Hæc Liuius. Pauli etiam institutum etiam ad posteriora tempora manauit: hinc Seneca epist. XXXVI. Stans etiam aliquando saucius pro vallo peruigilet, & ne pilo quidem

dem incumbat, quia solet obrepere interim somnus in aliquod adminiculum reclinatis.

Ad excutiendum præterea somnum vocib. & clamoribus sese excitabant. Vnde illud apud Tacitum lib. v. histor. Vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam iussi silere, ne quietem eius turbarent: ita intermisso signo & vocibus, se quoq; in somnum lapsos.

Nocturnas autem vigilias sic Romani, Polybio auctore, cõmittebant. Ex decimis quibusq; signis tam peditum quam equitum, quæ quidem ad frontem castrorum postrema tendebant, vir vnus eligebatur, qui à vigiliarum onere liber, paulò ante occasum solis ad Tribuni tabernaculum accedebat, & ab eo tesseram, siue signum (id autem erat lignea tabella inscriptum) accipiebat, quam testibus adhibitis, signi centurioni reddebat, isq; deinceps proximo centurioni similiter tradebat; quousq; ad primum signum peruueniretur, q̃ iuxta Tribunos tendere solet; eius autem signi centurio ante solis occasum ad Tribunum referebat tesseram: & si quidem relatæ cẽs fuissent, intelligebant tesseram & imperium ad omnes peruenisse; quod si aliqua defuisset, facile ex inscriptione cognoscebant vbi peccatum fuisset, & pœnam irrogabant. Atque eos quidem qui in singulis ordinibus vigilias agere deberent, ipsi ordines per se statuebant: in cæteras autem vigilias Imperator mittebat. Vigilibus igitur in quolibet ordine designatis, eos qui primam vigiliam

acturi

acturi erant, ordinis cuiusq; Tergiductor vesperi, quisq; suos ad Tribunum deducebat. is singulis ligneam dabat tabellam, in qua erat certa inscripta nota: qua accepta in suas stationes proficiscebantur.

Vigilias deinde obeundi munus equitibus mandabatur. Turmæ enim præfectus vni ex Tergiductoribus sub auroram edicebat, vt adolescentes quatuor eligeret, qui nocturnas obituri essent vigilias. post hæc sub vesperam proximæ turmæ Præfectum monebat, vigilias circumeundi curam in sequentem diem ad ipsum pertinere. Illi autem qui à Tergiductoribus fuerant electi, Tribunum adibāt, & scriptum accipiebant, quot, quasq; vigiliarum stationes obire deberent. His peractis apud primum manipulum Triariorum quiescebant, tantisper dum primæ vigiliæ signum daretur. Hoc enim munus ad eius manipuli centurionem spectabat. Vbi tempus aduenisset primam vigiliam obeundi, qui eam fuerat sortitus, ad loca sibi designata proficiscebatur, secum habens ex amicis testes: neq; solum vallum & portas, sed singulas centurias decuriasq; lustrabat. Quod si vigilantes reperisset, ab ijs tabellam accipiebat: sin autem dormire, aut stationem deseruisse offendisset, eos qui adorant contestatus, silentio præteribat. Atq; eadem ratio seruabatur à cæteris, qui alias deinceps erant obituri vigilias. Orta luce equites, qui vigilias nocturnas circuiuerāt, tabellas omnes quas à vigilibus acceperant, ad Tribunum referebant:

bant: si numerus minor fuisset tabellarum, ex nota facile intelligebat Tribunus, cuius stationis tabella desideraretur: accitoq; eius ordinis centurione, inquirebat vtrum apud vigiles, an verò apud circuitores culpa resideret, conuictumque criminis fuste percutiebat.

Solitos vigilias obire equites Liuius etiam ostendit lib. XXII. initio, quæ inter alia prodigia nunciata narrat. Circumeunti vigilias equiti Scipionem arsisse. Neq; solum equites, sed centuriones, Tribuni atq; adeo ipse Imperator vigilias obibant. Tacitus libro secundo historiarum. Alphenus Varus Præfectus castrorum, deflagrante paulatim seditione, addit consilium vetitis obire vigilias centurionibus, sic quiq; centuriones videntur obisse suorum duntaxat ordinum vigilias. Cæsar lib. primo, bell. ciuil. Tribunos militum & Præfectos circummittit. Liuius lib. XXVIII. A custodibus probra in circumeuntes vigilias Tribunos iacta.

Porrò nox in quatuor vigilias diuidebatur, quarum singulæ ternas horas continebant, vt ait Suidas. v. περιφυλακή, ita vt quarta vigilia in auroram terminaretur.

Liuius lib. XXXVI. Consul cum nocte media intermisisset oppugnationem, quarta vigilia rursus ab tribus partibus aggressus est, & mox iam diluescebat, &c.

Vigiliarum signa ac distinctiones primi ordinis Triariorũ centuriones buccina dabãt, vti ex Polyb. diximus. Hinc dicit Tacit. li 15.

Ini-

Initia vigiliarum per centurionem nunciari. Et Liuius lib. vii. Decius tesseram dari iussit, vbi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent. Et lib. xxvi. Fuluius Tribunis militum ac Præfectis sociorum imperauit, vti duobus millibus equitum delectis denunciarent, vt ad tertiam buccinam præsto essent. Quamquam Vegetius tubam dicit adhibitam ad distinctionem vigiliarum.

Ac vigiliarum quidem cura, vt in singulis ordinibus recte atq; ordine peragerentur, ad ipsos ordinum ductores spectabat. Vniuersum autem latus quod vni legioni erat commissum, bini Tribuni eiusdem legionis curabant: ad quos etiam reliqua eiusdem legionis cura pertinebat. Nam, vt supra demonstratum est, ex Tribunorum numero (seni autem erant in singulis legionibus) bini duob. mensibus imperabant & necessaria procurabant. Eademq; gubernandi & imperandi ratio erat Præfectorum in socios. Polybius, Vbi primũ illuxisset, milites ad centuriones conueniebant salutandi causa: centuriones & equites ad Tribunos, Tribuni verò ad Imperatorem. Is Tribunis edicebat quid facto opus esset, Tribuni ducis imperium equitibus ac centurionibus significabant: illi deinceps reliquo exercitui; quemadmodum vna cum Polybio scribit Iosephus. Eodemq; modo sub occasum solis ad Imperatorem conueniebant, tum honoris, tum imperij accipiendi causa. Tacitus lib. xiii. Signum more militiæ petenti

petenti Tribuno dedit. Optimæ matris. Liu. lib. XXVIII. de Tribunis, qui imperium sibi per seditionem vsurpauerant, in Prætorio tetenerunt, classicum apud eos cecinit, signum ab ijs petitum est. Et lib. XXVII. Fuluius dimittens prætorium, Tribunis militum ac Præfectis sociorum imperauit, vt ad tertiam buccinam præsto essent, lib. XXX. Scipio Tribunis edicit vt vbi prætorio dimisso, signa concinuissent, extemplò educerent è castris legiones. libro XXXVII. Acilius priusquam prætorium dimitteret, denunciauit, vt ante lucem armati paratique essent. Dimittere autem Prætorium dicitur Imperator, cùm nocturnæ quietis captandæ causa eos qui ad ipsum conuenerant, dimittit.

Illud postremò ex Iosepho addens finem faciam: in castris vnum atque idem fuisse omnibus cibi somnique capiendi causa tempus attributum. Cùm autem Imperator cibum sumeret, solebant omnes tubicines ac buccinatores simul canere ante Prætorium, vt scribit Polybius libr. XV. Hinc Tacitus lib. XV. Addit gloriæ Corbulo comitatem epulasque & rogitante Rege causas, quoties nouum aliquid aduerterat, vt initia vigiliarum per centurionem nunciari, conuiuium buccina dimitti, cuncta in manus attollens, admiratione prisci moris affecit.

Neque id omittendum, cùm ad prelium egrederentur, semper aliquos in castris remansisse custodiæ causa: Hi autem ferè Triarij erant; vt Liu. lib. 2. Dionys. lib. 8. significant.

De Motione Castrorum.

CAPVT VII.

VBi castra erant mouenda, tuba primum signum dabatur profectionis: quo audito tabernacula milites tollebant, & sarcinulas componebant: non tamen audebant cæteri sua tabernacula deponere, priusquam Imperatoris ac Tribunorum tabernacula detēsa vidissent. Deinde alterum signum tuba similiter dabatur, vt parati essent, ac tunc iumentis onera imponebant, & castris ignem inijciebāt, ne quando hostibus vsui ea esse possent. Vbi verò tertium signum auditum fuisset, incedere incipiebant eo ordine, quem exposuimus cùm de itineribus militaribus ageremus. Hæc Polybius & Iosephus. Quæ præterea confirmari possunt Cæsaris testimonio lib. 111. bell. ciuil. Vt militare institutum seruaretur, & ne citissima eius profectio cognosceretur, conclamari iussit. Et infra: Signo profectionis dato, tabernaculisq; detensis. Ibidem. Vasis militari more conclamatis, progressus millia passuum tria, loco idoneo & occulto omnem exercitum equitatumque collocauit. Et libr. 1. Signum dari iubet, & vasa militari more conclamari.

LIBER QVINTVS.

De Præparatione ad prœlium.

CAPVT I.

BI ad hostem ventũ esset, reliqua de prœlio cõsultatio fuit. Quòd si pugnare placuisset, Imperator signo pugnę proposito, per tesserã edicebat militibus, in quã diẽ vel horã parati esse deberent ad pugnã. Cęs. 3. Gall. Crassus non cunctandũ existimauit, quin pugna decerneret. hac re ad cõcilium delata, vbi oẽs idẽ sentire intellexit, posterũ diem pugnę constituit. Liu. l. 6. Romanus dictator lętus ad milites iã arma, ad propositũ pugnę signũ, sicut edictum erat, luce prima cæpẽtes processit, l. 9. Cõsul extẽplò tesserã dari iubet, vt prãdeat miles, firmatisq; cibo viribus arma capiat, l. 28. Tesserã vesperi per castra dedit, vt ante lucem viri equiq; prãsi essent: armatus eques frenatos stratosq; teneret equos.

Pugnæ porrò signum, tunica seu vexillum fuit rubrum siue purpureum super Prætorio extensum. Plutarchus enim in Fabio τὸ τῆς μάχης σημεῖον dicit fuisse χιτῶνα κόκκινον ὑπὲρ τοῦ στρατηγικοῦ σκηνῆς ἀφαινόμενον. Et in Bruto, Cæsare, ac Marcello ἀγῶνος σύμβολον φοινικοῦν χιτῶνα appellat. Isidor. l. xix. cap. xxii. Russata, inquit, tunica, quã Græci phœniciã vocant, sub consulibus Romani vsi sunt milites: vnde etiam Russati vocabantur.

Solebat enim pridie quàm dimicandum esset, ante principia poni, quasi admonitio & indicium futuræ pugnæ, hæc ille. Hinc Cæs. lib. II. bell. Gall. Cæsari omnia vno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, cùm ad arma concurri oportebat. Et de bell. Alex. Demitti antemnas iubet, & milites armari; & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, idem vt facerent, significabat. Marcellin. lib. xx. Matutinę lucis exordio, signo per flammeum erecto vexillum, circũuaditur ciuitas. Et libr. xxvii. Cùm vndiq; ad arma conclamaretur, imperio principis & ductorum stetit regibilis miles, vexillum operiens extollendum, quod erat opportunæ subeundæ indicium pugnæ.

Quòd si Imperatores duo, vt consul vterq; adesset; separatim apud vtrumque pugnæ signum proponebatur, vt scribit in Bruto Plutarchus.

Signo pugnæ proposito, milites sese ad certamen comparabant, arma expediebant, modicoq; cibo vires confirmabant, nè, vt ait Vegetius, longiore conflictu defatigarentur inedia, & sumpta esca redderet citatiores. Quod præterea Liuij testimonio confirmari potest, qui lib. xxiv. Milites, armis expediendis, quod reliquum diei fuit, consumpserunt, lib. xxv. Reliquum diei expediendis armis, & curatione corporum consumptum.

Lib. 3. c. 11.

Interea Imper. auspicijs sacrificijsq; Deorum voluntatem explorabat, vtrumne victoriam pollicerentur, ijsque propitijs in pugna esset

esset vsurus. Quod si auspicia extaq; certam victoriam, hostiū fugam, stragemq; ostendissent, Imperator ad aciem instruendā egrediebatur. Liu. l. vi. Romanus Dictator, castris eo die positis, postero, cum auspicato prodiisset, hostiaq; cæsa, pacem Deūm adorasset; lęto ad milites iam arma ad ꝓpositum pugnę signū, sicut edictum erat, luce prima capientes, processit. lib. IIx. Romani consules priusquam educerent in aciem, immolauerunt, Et lib. ix. Agentibus diuina humanaq; quæ assolent, cum acie dimicandum est, consulibus; Tarentini legati occurrere, responsum exspectātes, quibus Papirius ait: Auspicia secunda esse, Tarentini, pullarius nunciat; litatum præterea est egregie: auctoribus Dijs, vt videtis, ad rem agendam proficiscimur. Hinc illa contra morem facta ab eodem notantur lib. v. Tribuni milit. non deorum saltem, si non hominū memores, nec auspicato, nec litato instruunt aciem. Antequam aūt instrueretur acies, aut etiam ea iam instructa: Imperator cōcionem ad milites habebat: quod interdū quoq; ante propositum pugnæ signum fiebat; cum Imperator optimum iudicaret, vt milites suum consilium præcognoscerent. Liuius libr. xxxiv. In hunc modum maximè adhortatus, pronunciat, se nocte ad castra hostium ducturum: nocte media, cum auspicio operam dedisset, proficiscitur.

Vocabantur autem ad concionem milites in Prætorium à præconibus, vt scribit Dionys. lib. ix, Liuius lib. i. Vocari, inquit, ad concio-

nem vtrumq; exercitum iubet: præcones ab extremo orsi, primos exciuere Albanos.

Vbi verò milites in Prætoriũ conueniſſent, Imperator pro tribunali eos alloquebatur. Liuius lib. IX. Publius Cos. cum dimicaturus eſſet, prius alloquẽdos milites ratus, concionem aduocari iuſſit. Cæterum ſicut ingenti alacritate ad Prætorium concurſum eſt, ita præ clamore poſcentium pugnam, nulla adhortatio Imperatoris audita eſt. Et li. XXIV. Poſtero die, vbi ſigna cœperunt canere, parati inſtructiq; ad prætorium conueniunt. Et lib. XXIX. Vocati ad concionem, ad tribunal Imperatoris concurrunt: ſimul imperator in tribunal conſcendit.

In ea concione Imperator ſpem victoriæ, deoſq; propitios fore oſtendebat, militum ſuorum virtutem extollebat, hoſtium deprimebat: gloriam, partaq; decora, commodaq; victoriæ, fugæ ignominiam & damna proponebat: prædam, coronas, cæteraq; præmia pollicebatur, quarum rerum omnium Liuianæ concionis ſunt refertæ.

Poſt concionem præco, ad dextram Imper. adſtans, vt ſcribit Ioſeph. ter milites interrogabat, vtrumne ad prœlium eſſent parati: ijq; ter itẽ ſeſe paratos eſſe clamore reſpõdebant, atq; ex clamoris alacritate Imperatores de militum animo coniecturam facere ſolitos, ſcribunt in Craſſo Plutarchus, & Appianus in Parthica. Hinc Liuius lib. III. Conſul, concione aduocata, ſi iam ſatis animi eſt, inquit, decerniq; placet, agite dum clamorem, qualem

lib. 3 bel. Iudaic

lem in acie sublaturi estis, tollite hic indicem voluntatis, virtutisq; vestræ. Et li. VII. Tesseram dari iubet, vb secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent, quo vbi, sicut edictum erat, taciti conuenerunt: Hoc silentium milites, inquit, omisso militari assensu, in me audiendo seruandum est.

Milites igitur vt se paratos ad prœlium ostenderent, clamoribus concionantem Imperatorem crebro interpellabant, dextras erigentes, clypeosq; gladijs percutientes, vt scribit Iosephus. Ex quo Isidorus li. I. c. XXV. Mos est, inquit, militaris, vt quoties cõsentiat exercitus, quia voce non potest, manu promittat: alij, quia voce non possunt, gladiorum motu salutant. Et Marcell. lib. XV. Militares omnes, horrendo fragore scuta genibus illidentes, quod est prosperitatis indicium plenum (nam contra cum hastis clypei feriũtur, iræ documentum est doctoris) immane, quo quantoq; gaudio, præter paucos Augusti probauere iudicium, libro XXII. Hac fiducia spei maioris animatus inferior miles, hastis feriendo clypeos, sonitu assurgens ingenti, vno propemodũ ore, & dictis fauebat, & cœptis. Et li. XXV. Incredibile dictu est, quanto ardore milites ad vindictam ira & dolor feruentior inuolabat, hastas ad scuta concrepantes, etiam mori, si tulisset fors, obstinatos. Hinc Liuius lib. XXVIII. Exercitus, qui corona concionem circumdederat, gladijs ad scuta concrepuit.

De acie instruenda.

CAP. II.

IMperator cum ad prælium milites satis animatos vidisset, aciē vel in castris, vel extra castra instruebat. Livius libr. IX. Consul vbi armatos paratosq; vidit, signa extra vallum proferri iussit, & haud procul hoste instruxit aciem. Et l. XL. Ad quatuor portas castrorum exercitum instruxit, vt signo dato, simul ex omnibus partibus eruptionem facerent.

Aciem autem Imperator ipse vna cum Legatis, Tribunis, centurionibusque instruebat, Livius libr. XL. Copias omnes partim Prætor ipse, partim per Legatos, tribunosque milit. instruxit. Et lib. XXX. Equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam à Romanis centurionibus didicerat, distribuit.

Porrò exercitus ad pugnam instructus, Acies generali vocabulo dicebatur, constabatque tribus partibus, cornibus, subsidijs, & ea quæ Acies proprie nominata est. Singularum partium instruendarum alia tempori b. alijs ratio fuit, prout locus, hostisq; ac temporis necessitas postulauit: neq; nunc necesse est omnia omnium Imperatorum stratagemata recensere. Vsitatus autem ac legitimus ordo aciei fuit per Hastatos, Principes, ac Triarios Velitibus, quemadmodum diximus, admistis. Nam, vt scribit Dionysius, milites non solum ex censu legebantur, sed ex eodem arma illis, atq; in pugna locus assignabatur.

Acies

Acies igitur, vt de singulis partibus dicamus, triplici constabat peditum ordine. Primi enim Hastati, post eos Principes, postremi Triarij in manipulos singuli, cohorteſq; instructi locabantur, vt ait Liuius lib. IIX. Hinc idem lib. XXII. Pugna exorta est non illa ordinata per principes, hastatoſq; ac triarios: nec vt pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies: nec vt in sua legione miles, aut cohorte aut manipulo esset. Et lib. XXX. Instruit primos hastatos, post eos principes; Triarijs postremam aciem clausit: non confertas autem cohortes, ante sua quamq; signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes; vt esset spatium, quo elephanti hostium accepti, nihil ordines turbarent. Ex quibus postremis verbis illud etiam colligitur, manipulos in cohorte nō secundum profunditatem; sed secundum latitudinem instrui solere; vt spatium inter manipulos esse posset, quo elephanti reciperentur. Sic lib. VIII. Receptis in interualla ordinum Antepilanis. Quoniam vero Hastati Principesq; ante Triarios locabantur, Antepilani communi vocabulo dicti sunt, vt ostendit Liuius libr. IIX. in illa Romanorum latinorumque pugna: Triarios enim Pilanos quoq; dictos supra docuimus. Locus autem vbi Principes erant, qui erat in acie medius, vt in castris, ita & in acie, Principia dictus est. Liuius libr. II. in extremo. Ab tergo erant cliui, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit. libr. III. Equites suæ cuiq; parti

post principia collocat. Et lib. IIX. Receptis in interualla ordinum antepilanis, principia latinorum perturbant. Donatus in Eunuch. act. 4. sc. 7. Principia locum fuisse dicit in acie: vtrum autem in acie media an extrema fuerit, ait esse controuersum.

Hi ordines Hastatorum, Principũ, ac Triariorum, Acies vt dictum est, generali nomine vocabantur: & Media acies, quod vtrinque cornibus aliisq; vt mox dicemus, cingeretur: sed & singuli ordines acies quoq; dicti sunt: vt prima acies hastatorum esset, secunda principum, tertia ac postrema Triariorum, vt scribit Liuius lib. IIX. Hinc idem li. XLIV. Ex postrema acie triarios primos subducit, deinde principes, stantibus in prima acie hastatis, Cæsar l. 1. Gall. Acie triplici instructa ad eum locum venit: primam & secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire iussit. Triarios enim castra munire solitos supra ostensum est.

Singulæ porrò, siue acies, siue ordines Hastatorum, Principum, ac Triariorum in suis manipulis & cohortibus sua signa ac vexilla habuêre, quibus in acie agnoscerentur. Hinc illud Cæsar reprehendit, vt ab timore profectum li. 1. ciu. Collatis in vnum locum signis, conferti, neq; ordines neq; signa seruarent. Et l. II. Gall. Cæsar vbi suos vrgeri, signisq; in vnum locum collatis, duodecimæ legionis milites confertos, sibi ipsos ad pugnã esse impedimento vidit, signa inferre, & manipulos laxare

laxare iussit, quo facilius gladijs vti possent.

In Manipulis prima videntur incessisse signa: cohortis vero signum in postrema cohorte videtur fuisse collocatum. Liuius l. 30. Non confertas cohortes, ante sua quamque signa instruebat. Manipulorum vero signiferos semper primos in hostes incessisse, passim legitur in historijs. Hinc Hastatorum prima signa, postrema Triariorum dicuntur. Liuius l. IX. Nec prius inclinata res est, quam secunda acies Rom. ad prima signa, integri fessis successerunt. lib. 30. Principes post Hastatorum prima signa in subsidijs triarios constituit. lib. XXXVII. Hastatorum prima signa; deinde principum erant; triarij postremos claudebant.

Aquila verò totiusq; legionis signa post hastatos ante principes fuêre: ita vt Hastati ante signa essent, qui propterea Antesignani dicti sunt; Principes sub signis; Triarij verò post signa. Liuius li. IIX. de pugna latinorum ac Romanorum, & alibi. Cæsos hastatos principesq;, stragem & ante signa, & post signa factam, triarios postremo rem restituisse. lib. nono. Cadunt antesignani: & ne nudarentur propugnatoribus signa, fit ex secunda prima acies. libr. XXII. Pugna exorta est non illa ordinata per principes, hastatosq; ac triarios, nec vt pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies. lib. XXIII. Triplex stetit Romana acies: peditum pars ante signa locata, pars post signa accepta: equites cornua cinxere.

Singulæ

Singulæ porro acies Hastatorum, Principum, ac Triariorum suis subsidijs firmabantur (hanc enim quasi secundam aciei partem esse diximus) quod à Laconibus in vsum Romani postea à Carthaginensibus acceperunt, vt li. 3. c. 17. scribit Vegetius: quanquam multo ante Punica bella subsidiorum in acie Romana meminit Liuius. Subsidia autem milites appellantur, qui ad subitos prælij casus reseruabantur.

Subsidiorum autem quanta sit vtilitas, sic fere explicat Vegetius li. III. Hac dispositione nulla melior inuenitur: si enim cuneus agendus sit, aut forfex, aut serra ducenda; superfluos habere debes post aciem, de quibus illa facias: nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, vniuersa turbabis. Si globus hostium separatus partem aliquam vrgere cœperit, nisi superfluos habeas, quos contra globum possis opponere, siue equites siue pedites de acie tuleris, dum aliam vis defendere, aliam periculosius denudabis. Deniq; ita concludit. Si bellatorum copia non abundet, melius est aciem habere breuiorem, dummodo in subsidiis plurimi collocentur. Vnde illud in Romanis Liuius reprehendit. lib. IV. Non subsidijs firmata acie concursum est. & l. IX. de Hetruscis, Quia nullis recentib. subsidijs fulta prima acies fuit; ante signa, circaq; omnes ceciderunt.

Igitur post singulas acies sua fuêre subsidia, vti diximus; quod ostendit Liuius eo loco, quem proximè citauimus. Quia nullis recenti-

recentibus subsidijs fulta prima acies fuit, &c. lib. xxxiv. Fessos iam suos Consul, ex secunda acie subsidiarijs cohortibus inductis, accendit. Et lib. xxxvii. sexdecim elephantos post triarios in subsidio locatos.

Præter hæc subsidia, quæ post singulas acies collocabantur, alia fuere subsidia, quæ vel in extremo (quod Vegetius præcipit) vel alio commodiore loco, à cætera acie separata constituebantur. Liuius lib. v. Paulum erat à dextra editi loci, quem subdiarijs repleri placuit. Et lib. xxix. Lentulus, cœpta parùm prosperè pedestri pugna, tantùm moratus, dum cedenti duodecimæ legioni, quæ in læuo cornu aduersus Illergetes locata erat, tertiam decimam legionem ex subsidijs in primam aciem firmamentum ducit; posteaquam æquata ibi pugna est, ad L. Manlium inter prima signa hortantem, ac subsidia quibus res postulabat, locis inducentem venit. hæc Liuius; quibus verbis primorum signorum subsidia à cæteris fuisse diuersa significat. Et lib x. subsidia non vno in loco posita ostendit; subsidia, inquit, suis quæque locis, & Præfectos subsidijs attribuerat.

Hæc omnia subsidia in manipulos, & cohortes fuêre diuisa; quare & subsidiariæ cohortes dicuntur. Liuius libr. ii. Ex subsidiarijs manipulos aliquot in primam aciem secum rapit. lib. ix. subsidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ casus reseruabantur, in primam aciem emisit. Et libro trigesimo quarto. Fessos iam suos Consul, ex secunda acie

acie subsidiarijs cohortibus inductis, accendit.

Atque post singulas acies videntur paucæ cohortes constitutæ: post aciem verò totam integræ legiones in subsidijs collocarę leguntur. Liu. lib. xxix. In primam aciem suas legiones Sempronius induxit: in subsidijs locaræ P. Licinij legiones. Et li. xxxi. Dextra ala (in alas diuisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est; in subsidijs duæ Romanæ legiones.

His subsidijs sui duces ac præfecti assignabantur, ijs inquam, quæ post acies singulas collocabantur. Liuius libr. x. Subsidia suis quæque locis, & præfectos subsidijs attribuerat. Nam subsidijs quæ ab acie reliqua fuêre diuulsa, ex Imperatoribus, si plures fuissent, alter præerat. Liuius libro trigesimo primo. Dextera ala in prima acie locata est; in subsidijs duæ Romanæ legiones: M. Furius dexteræ alæ; legionibus M. Cæcilius præpositi. Eodem modo bello Volsco Camillus subsidijs; dux alter aciei præfuit, vt scribit Liuius lib. vi.

Illud autem postremo in hoc genere sciendum est, solitos interdum Hastatos, Principes, ac Triarios alteros alteris subsidio esse: quod tum factum puto, cùm multitudo militum non adesset tanta, vt non solùm ad aciem, sed etiam ad subsidia supereresset. Liuius li. xxx. Principes post hastatorum prima signa, in subsidijs triarios constituit. Et libro 40. Ad dextram principalem hastatos legionis

nis primæ instruxit: principes ex eadem legione in subsidijs posuit: tertia legio aduersus principalem sinistram portam instructa est. id tantum mutatum, principes primi, & hastati in subsidijs locati. Quanquam Triarij frequentius castrorum præsidio relinquebantur.

Acies media sociorum peditibus vtrinque cingebatur, quæ propterea cornua dici videri possunt. Scribit enim libro VI. Polybius socios pedites duas in partes diuisos, dextrum ac sinistrũ cornu appellatos: Alas quoque dextram & sinistram dici exempla declarant; & nos supra ostendimus. Seruius etiam ad lib. IV. AEn. Dum trepidant alæ, socios dicit maximè in ala locatos. Liuius lib. III. In acie Quinctius dextrum cornu, Agrippa sinistrum tenuit: Sp. Postumio Albo legato datur media acies tuenda: legatum alterum P. Sulpicium equitibus præficiunt. libro XXXVII. Romani mediam aciem; cornua latini tenuerunt.

Interdum tamen socij in acie media, Romani in cornibus fuêre. Liuius libro XXX. I. Cùm in aciem eduxissent, neutrum ijs cornu committere ausi, ne si dolo cessissent, rem totam inclinarent, post signa in subsidijs eos locauerunt.

Equites nunc ante aciem, nunc in acie, nũc peditum cornua cinxêre, pro rerum videlicet locorumq; opportunitate. Liu. l. 3. Fabius non permistam vnam ciuium sociorumq;, sed triũ populorũ tres separatim acies circa vallũ hostium

stium instruxit: equites item suæ cuique parti post principia collocat. libro IV. Dictator dextro cornu, sinistro Capitolinus intulit signa: ante mediam aciem cum equitatu Magister equitum processit. li. IX. in aciem procedunt, equitibus in cornua dimissis. & alibi. M. Valerius à dextro, P. Decius ab læuo cornu ad equites in cornibus positos euehuntur. Hinc equitum alæ dictæ quod dextra læuaque circa pedites ad instar alarum circumfunderentur, vt scribit Gellius libr. XVI. cap. IV. Seruius lib. XI. Liuius autem li. XXII. aciei ordinem ita describit, vt oculis pænè subijcere videatur. In dextro, inquit, cornu, Romanos equites locant, dein pedites: læuum cornu extremi equites sociorum, intra pedites; ad medium iuncti legionibus Romanis tenuerunt iaculatores: ex cæteris leuium armorum auxilijs prima acies facta.

Ala Camillæ

Li 2. c. 15. & lib 3. c. 14.

Leuis armatura, vt Vegetius scribit, post principes ante triarios collocabatur; quod etiam Liuius libr. IIX. in obscurissima illa ordinum descriptione significare videtur. Hinc Marcellinus lib. XIV. Vt prœliorum rectores primò cateruas densas opponunt & fortes, deinde leues armaturas, post iaculatores, vltimasque subsidiales acies; si fors tulerit, inuasuras. Et Seruius ad libr. VIII. scribit morem fuisse, vt tirones ponerentur in medio, & ambirent viri fortes exercitum.

Ipse agmine Pallas, In medio.

Imperator cum prætoria cohorte nunc in acie media, nunc in alterutro cornu erat: frequentius tamen in dextro cornu; quòd, vt ait

Ve-

Vegetius, ex eo loco facilius tota acies gubernetur, ac rectus liberque fit procursus. Euocati, nisi qui cum Imperatore in cohorte prætoria fuissent, tota acie dispergebantur. Cæs. lib. 3. ciu. Euocatorum duo millia, quæ ex beneficiarijs superiorum exercituum ad eum conuenerant, tota acie disperserat. *Lib. 3. ca. 18.*

Reliqui exercitus totius magistratus; nunc aciei, nunc equitibus, nunc cornibus præficiebantur. Centuriones verò & Decuriones, Præfectique in suis centurijs fuêre ac turmis.

Tubicines, cornicinesque vt in agmine, ita in acie cum aquila, signisque legionis fuisse, verisimile fit.

Hæc igitur ordinaria fuit aciei Romanæ instructio: in qua Polybius scribit, singuli tum ordines, tum homines inter se tres minimum pedes distabant, vt spatium haberent, tũ procurrendi ac recedendi, tum gladium vibrandi. Vegetius singulos armatos in directum ternos pedes occupare cõsueuisse dicit. hoc est, vt in mille passibus, mille sexcẽti sexaginta sex pedites ordinarentur in longum; vt nec acies interluceret, & spatium esset arma tractandi: inter ordinem autem & ordinem à tergo in latus sex pedes distasse; vt haberent pugnantes spatium accedendi, atq; recedendi, vehementius enim cum saltu cursuq; tela mittuntur. Præter hunc modum, quem Romanis ordinarium fuisse ostendimus; alij quoq; modi aciei instruendæ commemorãtur à Gellio l. x. ca. ix. Vocabula, inquit, sunt militaria, quibus instructa certo modo acies appel- *Lib. 17.* *Li. 3. c. 14. 15.*

De acie instruenda.

CAP. II.

IMperator cum ad prælium milites satis animatos vidisset, aciē vel in castris, vel extra castra instruebat. Liuius libr. IX. Consul vbi armatos paratosq; vidit, signa extra vallum proferri iussit, & haud procul hoste instruxit aciem, Et l. XL. Ad quatuor portas castrorum exercitum instruxit, vt signo dato, simul ex omnibus partibus eruptionem facerent.

Aciem autem Imperator ipse vna cum Legatis, Tribunis, centurionibusque instruebat, Liuius libr. XL. Copias omnes partim Prætor ipse, partim per Legatos, tribunosque milit. instruxit. Et lib. XXX. Equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam à Romanis centurionibus didicerat, distribuit.

Porrò exercitus ad pugnam instructus, Acies generali vocabulo dicebatur, constabatque tribus partibus, cornibus, subsidijs, & ea quæ Acies proprie nominata est. Singularum partium instruendarum alia temporib. alijs ratio fuit, prout locus, hostisq; ac temporis necessitas postulauit: neq; nunc necesse est omnia omnium Imperatorum stratagemata recensere. Vsitatus autem ac legitimus ordo aciei fuit per Hastatos, Principes, ac Triarios Velitibus, quemadmodum diximus, admistis. Nam, vt scribit Dionysius, milites non solum ex censu legebantur, sed ex eodem arma illis, atq; in pugna locus assignabatur.

Acies

Acies igitur, vt de singulis partibus dicamus, triplici constabat peditum ordine. Primi enim Hastati, post eos Principes, postremi Triarij in manipulos singuli, cohorteſq; instructi locabantur, vt ait Liuius lib. IIX. Hinc idem lib. XXII. Pugna exorta est non illa ordinata per principes, hastatoſq; ac triarios: nec vt pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies: nec vt in sua legione miles, aut cohorte aut manipulo esset. Et lib. XXX. Instruit primos hastatos, post eos principes; Triarijs postremam aciem clausit: non confertas autem cohortes, ante sua quamq; signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes; vt esset spatium, quo elephanti hostium accepti, nihil ordines turbarent. Ex quibus postremis verbis illud etiam colligitur, manipulos in cohorte nō secundum profunditatem; sed secundum latitudinem instrui solere; vt spatium inter manipulos esse posset, quo elephanti reciperentur. Sic lib. VIII. Receptis in interualla ordinum Antepilanis. Quoniam vero Hastati Principesq; ante Triarios locabantur, Antepilani communi vocabulo dicti sunt, vt ostendit Liuius libr. IIX. in illa Romanorum latinorumque pugna: Triarios enim Pilanos quoq; dictos supra docuimus. Locus autem vbi Principes erant, qui erat in acie medius, vt in castris, ita & in acie, Principia dictus est. Liuius libr. II. in extremo. Ab tergo erant cliui, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit. libr. III. Equites suæ cuiq; parti

post principia collocat. Et lib. IIX. Receptis in interualla ordinum antepilanis, principia latinorum perturbant. Donatus in Eunuch. act. 4. sc. 7. Principia locum fuisse dicit in acie: vtrum autem in acie media an extrema fuerit, ait esse controuersum.

Hi ordines Hastatorum, Principũ, ac Triariorum, Acies vt dictum est, generali nomine vocabantur: & Media acies, quod v. rinque cornibus aliisq; vt mox dicemus, cingeretur: sed & singuli ordines acies quoq; dicti sunt; vt prima acies hastatorum esset, secunda principum, tertia ac postrema Triariorum, vt scribit Liuius lib. IIX. Hinc idem li. XLIV. Exposstrema acie triarios primos subducit, deinde principes, stantibus in prima acie hastatis, Cæsar l. 1. Gall. Acie triplici instructa ad eum locum venit: primam & secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire iussit. Triarios enim castra munire solitos supra ostensum est.

Singulæ porrò, siue acies, siue ordines Hastatorum, Principum, ac Triariorum in suis manipulis & cohortibus sua signa ac vexilla habuêre, quibus in acie agnoscerentur. Hinc illud Cæsar reprehendit, vt ab timore profectum li. 1. ciu. Collatis in vnum locum signis, conferti, neq; ordines neq; signa seruarent. Et l. II. Gall. Cæsar vbi suos vrgeri, signisq; in vnum locum collatis, duodecimæ legionis milites confertos, sibi ipsos ad pugnã esse impedimento vidit, signa inferre, & manipulos

laxare

laxare iussit, quo facilius gladijs vti possent.

In Manipulis prima videntur incessisse signa: cohortis vero signum in postrema cohorte videtur fuisse collocatum. Liuius l.30. Non confertas cohortes, ante sua quamque signa instruebat. Manipulorum vero signiferos semper primos in hostes incessisse, passim legitur in historijs. Hinc Hastatorum prima signa, postrema Triariorum dicuntur. Liuius l. IX. Nec prius inclinata res est, quam secunda acies Rom. ad prima signa, integrī fessis successerunt. lib.30. Principes post Hastatorum prima signa in subsidijs triarios constituit. lib. XXXVII. Hastatorum prima signa; deinde principum erant; triarij postremos claudebant.

Aquila verò totiusq; legionis signa post hastatos ante principes fuêre: ita vt Hastati ante signa essent, qui propterea Antesignani dicti sunt; Principes sub signis; Triarij verò post signa. Liuius li. IIX. de pugna latinorum ac Romanorum, & alibi. Cæsos hastatos principesq;, stragem & ante signa, & post signa factam, triarios postremo rem restituisse. lib. nono. Cadunt antesignani: & ne nudarentur propugnatoribus signa, fit ex secunda prima acies. libr. XXII. Pugna exorta est non illa ordinata per principes, hastatosq; ac triarios, nec vt pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies. lib. XXIII. Triplex stetit Romana acies: peditum pars ante signa locata, pars post signa accepta: equites cornua cinxere.

Singulæ

Singulæ porro acies Hastatorum, Principum, ac Triariorum suis subsidijs firmabantur (hanc enim quasi secundam aciei partem esse diximus) quod à Laconibus in usum Romani postea à Carthaginensibus acceperunt, vt li. 3. c. 17. scribit Vegetius: quanquam multo ante Punica bella subsidiorum in acie Romana meminit Liuius. Subsidia autem milites appellantur, qui ad subitos prælij casus reseruabantur.

Subsidiorum autem quanta sit vtilitas, sic fere explicat Vegetius li. III. Hac dispositione nulla melior inuenitur: si enim cuneus agendus sit, aut forfex, aut serra ducenda; superfluos habere debes post aciem, de quibus illa facias: nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, vniuersa turbabis. Si globus hostium separatus partem aliquam vrgere cœperit, nisi superfluos habeas, quos contra globum possis opponere, siue equites siue pedites de acie tuleris, dum aliam vis defendere, aliam periculosius denudabis. Deniq; ita concludit. Si bellatorum copia non abundet, melius est aciem habere breuiorem, dummodo in subsidiis plurimi collocentur. Vnde illud in Romanis Liuius reprehendit. lib. IV. Non subsidijs firmata acie concursum est. & l. IX. de Hetruscis, Quia nullis recentib. subsidijs fulta prima acies fuit; ante signa, circaq; omnes ceciderunt.

Igitur post singulas acies sua fuêre subsidia, vt diximus; quod ostendit Liuius eo loco, quem proximè citauimus. Quia nullis recenti-

recentibus subsidijs fulta prima acies fuit, &c. lib. xxxiv. Fessos iam suos Consul, ex secunda acie subsidiarijs cohortibus inductis, accendit. Et lib. xxxvii. sexdecim elephantos post triarios in subsidio locatos.

Præter hæc subsidia, quæ post singulas acies collocabantur, alia fuere subsidia, quæ vel in extremo (quod Vegetius præcipit) vel alio commodiore loco, à cætera acie separata constituebantur. Liuius lib. v. Paulum erat à dextra editi loci, quem subdiarijs repleri placuit. Et lib. xxix. Lentulus, cœpta parùm prosperè pedestri pugna, tantùm moratus, dum cedenti duodecimæ legioni, quæ in læuo cornu aduersus Illergetes locata erat, tertiam decimam legionem ex subsidijs in primam aciem firmamentum ducit; posteaquam æquata ibi pugna est, ad L. Manlium inter prima signa hortantem, ac subsidia quibus res postulabat, locis inducentem venit. hæc Liuius; quibus verbis primorum signorum subsidia à cæteris fuisse diuersa significat. Et lib x. subsidia non vno in loco posita ostendit; subsidia, inquit, suis quæque locis, & Præfectos subsidijs attribuerat.

Hæc omnia subsidia in manipulos, & cohortes fuêre diuisa; quare & subsidiariæ cohortes dicuntur. Liuius libr. ii. Ex subsidiarijs manipulos aliquot in primam aciem secum rapit. lib. x. subsidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ casus reseruabantur, in primam aciem emisit. Et libro trigesimo quarto. Fessos iam suos Consul, ex secunda acie

acie subsidiarijs cohortibus inductis, accendit.

Atque post singulas acies videntur paucæ cohortes constitutæ: post aciem verò totam integræ legiones in subsidijs collocarę leguntur. Liu. lib. xxix. In primam aciem suas legiones Sempronius induxit: in subsidijs locarę P. Licinij legiones. Et li. xxxi. Dextra ala (in alas diuisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est; in subsidijs duæ Romanæ legiones.

His subsidijs sui duces ac præfecti assignabantur, ijs inquam, quæ post acies singulas collocabantur. Liuius libr. x. Subsidia suis quæque locis, & præfectos subsidijs attribuerat. Nam subsidijs quæ ab acie reliqua fuêre diuulsa, ex Imperatoribus, si plures fuissent, alter præerat. Liuius libro trigesimo primo. Dextera ala in prima acie locata est; in subsidijs duæ Romanæ legiones: M. Furius dexteræ alæ; legionibus M. Cæcilius præpositi. Eodem modo bello Volsco Camillus subsidijs; dux alter aciei præfuit, vt scribit Liuius lib. vi.

Illud autem postremo in hoc genere sciendum est, solitos interdum Hastatos, Principes, ac Triarios alteros alteris subsidio esse: quod tum factum puto, cùm multitudo militum non adesset tanta, vt non solùm ad aciem, sed etiam ad subsidia supereſſet. Liuius li. xxx. Principes post hastatorum prima signa, in subsidijs triarios constituit. Et libro 40. Ad dextram principalem hastatos legionis

nis primæ instruxit: principes ex eadem legione in subsidijs posuit: tertia legio aduersus principalem sinistram portam instructa est. id tantum mutatum, principes primi, & hastati in subsidijs locati. Quanquam Triarij frequentius castrorum præsidio relinquebantur.

Acies media sociorum peditibus vtrinque cingebatur, quæ propterea cornua dici videri possunt. Scribit enim libro VI. Polybius socios pedites duas in partes diuisos, dextrum ac sinistrũ cornu appellatos: Alas quoque dextram & sinistram dici exempla declarant; & nos supra ostendimus. Seruius etiam ad lib. IV. AEn. Dum trepidant alæ, socios dicit maximè in ala locatos. Liuius lib. III. In acie Quinctius dextrum cornu, Agrippa sinistrum tenuit: Sp. Postumio Albo legato datur media acies tuenda: legatum alterum P. Sulpicium equitibus præficiunt. libro XXXVII. Romani mediam aciem; cornua latini tenuerunt.

Interdum tamen socij in acie media, Romani in cornibus fuêre. Liuius libro XXX. I. Cùm in aciem eduxissent, neutrum ijs cornu committere ausi, ne si dolo cessissent, rem totam inclinarent, post signa in subsidijs eos locauerunt.

Equites nunc ante aciem, nunc in acie, nũc peditum cornua cinxêre, pro rerum videlicet locorumq; opportunitate. Liu. l. 3. Fabius non permistam vnam ciuium sociorumq;, sed triũ populorũ tres separatim acies circa vallũ hostium

Vegetius, ex eo loco facilius tota acies gubernetur, ac rectus liberque fit procursus. Euocati, nisi qui cum Imperatore in cohorte prætoria fuissent, tota acie dispergebantur. Cæs. lib. 3. ciu. Euocatorum duo millia, quæ ex beneficiarijs superiorum exercituum ad eum conuenerant, tota acie disperserat. *Lib. 3. ca. 18.*

Reliqui exercitus totius magistratus; nunc aciei, nunc equitibus, nunc cornibus præficiebantur. Centuriones verò & Decuriones, Præfectique in suis centurijs fuêre ac turmis.

Tubicines, cornicinesque vt in agmine, ita in acie cum aquila, signisque legionis fuisse, verisimile fit.

Hæc igitur ordinaria fuit aciei Romanæ instructio: in qua Polybius scribit, singuli tum ordines, tum homines inter se tres minimum pedes distabant, vt spatium haberent, tũ procurrendi ac recedendi, tum gladium vibrandi. Vegetius singulos armatos in directum ternos pedes occupare cõsueuisse dicit. hoc est, vt in mille passibus, mille sexcẽti sexaginta sex pedites ordinarentur in longum; vt nec acies interluceret, & spatium esset arma tractandi: inter ordinem autem & ordinem à tergo in latus sex pedes distasse; vt haberent pugnantes spatium accedendi, atq; recedendi, vehementius enim cum saltu cursuq; tela mittuntur. Præter hunc modum, quem Romanis ordinarium fuisse ostendimus; alij quoq; modi aciei instruendæ commemorãtur à Gellio l. x. ca. ix. Vocabula, inquit, sunt militaria, quibus instructa certo modo acies ap- *Lib. 17.* *Li. 3. c. 14. 15.*

pellari solet, Frons. Subsidia, Cuneus, Orbis, Globus, Forceps, Serra, Alæ, Turres: translata sunt autem ab ipsis rebus, quę ita nominantur, earumq́ rerum in acie instruenda sui cuiusque vocabuli imagines ostenduntur. Eadem vocabula sunt apud Catonem de re militari, cuius verba citat Festus, siue fortè opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut serra; vti adoriare.

a Serra præliari.

Li 3. c. 14. Frons, vt ait Vegetius, est pars illa aciei, quę aduersum hostem spectat. Cuneꝰ, eodem Vegetio teste, dicitur multitudo peditum, quæ iuncta cum acie primo angustior, deinde latior procedit, & aduersariorum ordines rumpit, quia à pluribus in vnum locum tela mittuntur: quam rem idem ait milites nominasse Caput porcinum, de quo Marcellinus libr. xvii. Cuius furoris amẽtiam exercitus ira ferre non potuit; eosq́; Imperatori acriter imminentes, desinente in angustum fronte, quẽ habitum Caput porci simplicitas militaris appellat, impetu disiecit ardẽti. Cuneum quoq; Vegetius idem Trigonum à figura triangulari vocat. De Cuneo item sic Isidor. l. 9. c. 3 Cuneꝰ est collecta in vnum multitudo: vnde propterea quod in vnum coit, Cuneus nominatur.

Li 3. c. 19.

Li 1. c. 26.

Forfex siue Forceps est ordinatio, quæ, vt ait li. 3. Vegetius, contra Cuneum opponebatur: nam electissimis militib. confertis in v. litteram componebatur, & cuneum excipiebat, atque ex vtraq; parte claudebat; cuius meminit Marcellinus li. xvi. Cogitatum est, sollicitéque præstructum, vt sæuientes vltra solitum

litum Alemanni vagantesq; fusiùs, multitudine geminata nostrorum, forcipis specie, trusi in angustias cæderentur.

Serra, Vegetio auctore, dicitur, quæ à strenuis directa, ante frontem opponitur hostibus; vt acies turbata reparetur. Festus autem sic explicat. Serra præliari dicitur, cùm assiduè acceditur recediturque neque vllo consistitur tempore. Hic mos præliandi potissimum videtur seruatus in equestribus prælijs. Sallustius in Iugurtina. Quibus illi freti, non vti equestri prælio solet, sequi, dein cedere: sed aduersis equis concurrere, implicare, ac perturbare aciem. Tacitus li. v 1. Modo equestris prælij more, frontis ac tergi vice. Seruius ad lib. xr. explicans illud versiq; latini. Reijciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt; sanè, inquit, nunc fugiunt non timore, sed lege præliandi: citatq; Sallustium, qui alicubi dicit. More equestris prœlij, sumptis tergis, ac redditis. Vtrum autem hic prœliandi mos equitibus Romanis fuerit vsitatus, dubitari potest cùm Liuius ita scribit libro trigesimo primo. Credidêre regij genus pugnę cui assueuerant, fore vt equites inuicem sequentes refugientesq; nunc telis vterentur, nunc terga darent, turbauit hunc ordinem pugnandi non acrior quàm pertinacior impetus Romanorum: nam haud secùs quàm si tota acie dimicarent, equites vt semel in hostem euecti sunt, stantibus equis, partim ex ipsis equis, partim desilientes immiscenteq; se peditibus pugnabant.

Globus dicitur militum manus, quæ ab acie reliqua separata, vago superuentu incursat inimicos, vt ait Vegetius libr. III. cap. XIX. Hos globos idem ca. XVI. Grumos alio nomine dicit appellatos.

Orbis videtur fuisse, cùm milites in directum longumq; ordinati, in girum se instruebant; quo genere, vt scribit Vegetius, cùm vis hostium interrupit aciem, resisti à militibus consueuit, ne omnis multitudo fundatur in fugã; Sallustius in Iugurth. Romani veteres nouiq́ue & ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbes facere, atque ita ab omnibus partibus simul tecti & instructi hostium vim sustentabant. Cæsar lib. IV. in extremo. Cùm illi, orbe facto, se defenderent. Et lib. V. Cùm propter longitudinem agminis, minus facilè per se omnia obire, & quid quoque loco faciendum esset, prouidere legati possent, iusserunt pronunciari, vt impedimenta relinquerent, atque in orbem consisterent: quod consilium etsi in eiusmodi casu reprehendendum non est, tamen incommodè accidit; nam & nostris militibus spem minuit, & hostes ad pugnandum alacriores effecit, quod non sine summo timore ac desperatione id factum videbatur. Hirt. de bell. Alexand. Legio 36. magnis hostium copijs circumdata, præsentissimo animo pugnans in orbem se recepit ad radices montium. Marcellinus libr. XXIX. Prælio atroci commisso, ferocientibus barbaris vltra modum, aciem in rotũdo habitu figuratam opponit.

Lib. 1. ca 26.

Tur-

Turres quæ nam fuerint, aut plane ignoro, aut Testudines faisse puto. Testudo autem sic fiebat, vt Liuius, Plutarchus, ac Dio scribunt; Impedimentis, & leuis armaturæ militibus, equitibusq; in medium acceptis; grauis armaturæ pedites quadrato agmine consistebant: ex quibus qui caua scuta habuêre, extra in laterib. collocabantur, scuta prætecta pugnantium more habentes: reliqui qui scuta plana habuêre, in medium accepti, ea supra se ceteroſq; omnes extollebant, stantibusque primis, secundis submissioribus, tertijs magis, ac quartis, postremis etiam genu nexis; fastigiata sicut tecta ædificiorum sunt, testitudinem faciebant: nã etiam equos genua inflectere Romani docebant. Ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes lædere poterant, & testudini iniecta, imbris in modum, lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Virgilius li. IX.

Liuius l. 44. Plut. in Antonio. Dio l. 49.

Omnes
Ferre libet subter densa testitudine casus.

Ea Testitudine Romani vel se ab hostiũ multitudine tutabãtur vel muro succedentes, propugnatoribus muri fastigij altitudine æquabantur: tantaq; fuit eius firmitas, vt equi & currus super ea veherentur. Hoc modo Antonius Parthis restitisse dicitur; & Q. Marcius Philippus Cos. Heracleam cepit. Neq; solum pedestribus prælijs, sed etiam naualibus Testudinum vsus fuit, vt scribit Marcellinus lib. XXVI. Coniunctis, inquit, tribus nauigijs, testitudinẽ hac specie superstruxit. densatis cohærentes supra capita scutis, primi transtris

instabant armati, alij post hos semet curuãtes humili*, tertiis gradatim inclinatis summisse; ita vt nouissimi suffraginibus insidentes, formam ædificij fornicati monstrarent: quod machinæ genus contra murales pugnas ideo figuratur hac specie, vt missilium iactus atq; saxorum per decursus cadentes labiles, instar imbrium euanescant.

lib. 1. c. 26. Numerat etiam Vegetius simplicem, Duplicem & Quadratam aciem. Duplex acies (nam reliqua nota sunt) videtur esse, cum duplicarentur cohortes; id est, vt minore spatio plures militum ordines continerentur, quo magis inter se coniuncti maiorem vim haberent. Liuius lib. XL. Duplicate turmas, inquit, duarum legionum; equites, & permittite equos in cuneum hostium, quo nostros vrgent.

Plura quoq; alia genera aciei numerat AElianus, sed quia pleraq; præterquam quod obscurissima sunt, fuisse Græcorum potius quã Romanorum videntur, libenter vt à nostro instituto aliena prætermittimus: neque enim vt initio dixi, propositum nobis fuit, vt omnia omnium ducum stratagemata colligeremus, sed vt communẽ & ordinariam veterem Romanorum militiam exponeremus.

De Prælio. CAP. III.

ACie instructa, aut etiã antequam instrueretur, Imperator tesseram dabat, vt in pugna suos quisq; hostemq; dignoscerent, vt scribunt Plutarchus in Bruto, & Dio libr. 47. Hinc Tacitus libr. III. Histor. Eadem vtraq; acie

acie arma: crebris interrogationibus notum pugnæ signum. Appianus l. 11. narrat prœlio Pharsalico tesseram à Pompeio datam, Herculem invictum; à Cæsare, Venerem victricẽ. Addit in Pompeij vita Plutarchus, Pompeiũ tantum non interfectum, quod militi tesseram poscenti serius reddidisset.

Omnibus autem comparatis, signa concinebant: ac primum quidem, vt scribit Dio li. 47. canebant ij, qui in loco rotundo constituti, certum modulationis genus tuba canebãt, quo vt in ordine starent, armaq; expedirent, milites monebantur: deinde etiam reliqui canebant, qui animos militum concitarent, & ad congressum instigarent. Interea milites cinctu Gabino præcingebant sese, & scuta induebant, vt ait in Coriolano Plutarchus. Et Festus, Endo procinctu, inquit, in procinctu, significat autem, cum ex castris in prœlium exitum est: procinctos, quasi præcinctos atq; expeditos; nam apud antiquos togis incincti pugnasse dicuntur. Et alibi. Præcincta classis dicitur, cum exercitus cinctus erat Gabino cinctu, confestim pugnaturus.

Milites etiam qui vellent, præsertim autem vbi certissimum esset periculum, tribus quattuorve præsentibus, testamentum sine scripto nuncupabant: quod testamentum propterea in procinctu factum dicitur, vt ait idem in Coriolano Plutarchus. Hinc Festus. In procinctu factum testamentum dicitur, quod miles pugnaturus nuncupat, præsentib. commilitonibus. Et Velleius lib. posteriore.

Q. Macedonius cum vrbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinq; cohortes legionarias, eodem protinus subire iussit; facientibus omnibus in procinctu testamẽta, velut ad certam mortem eundum foret. Id tamen posterioribus temporibus fieri desitum scribit Cicero l. ii. de Diuinat. Nulli, inquit, viri vocantur; ex quo testamenta in procinctu perierunt. Quibus verbis illud præterea significare videtur, testes ad testamenta in procinctu adhibitos viros boni nominis. His igitur rebus omnibus constitutis, silentiũ parumper fiebat: tum vero signum inuadendi hostes militibus dabatur, vt scribit Dio l. 47. signum autem illud hostes aggrediendi, vexillum videtur fuisse; quo proposito, tubis cornibusq; canentibus in hostem ibatur. Cæsar. li. iii. de pugna Pharsalica. Toti exercitui imperauit, ne iniussu suo concurrerent; se, cum id fieri vellet, vexillo signum daturum. Et mox. Ex poscentibus militibus ac studio pugnę ardentibus, tuba signum dedit. Liuius li. ix. Ante imperium, concentu tubarum & cornuum, cursu effuso in hostem feruntur. Hæc omnia simul idem Cæsar complexus est. l. ii. Gall. Cæsari omnia vno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oportebat: signum tuba dandum, ab opere reuocandi milites: qui paullò longius, aggeris petendi caussa, processerãt, accersendi: acies instruẽda: milites cohortandi: signũ dandum. Idem bello nauali esse obseruatum docet

docet Hirtius de bel. Alexand. Celeriter vela subduci, demittiq; antemnas iubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naues subsequebantur; idem vt facerent, significabat.

Milites accepto signo, ad orientem solem sese conuertebant, deosq; venerabantur, vt scribit in Marcello Plutarchus. Hinc Tacit. l. III. histor. Orientem solum (ita in Syria mos est) Tertiani salutauere. Eundem quoq; morem ab Horatijs Curatijsq; antequam inter se pugnarent, obseruatum narrat Zonaras.

Inde cursu & clamore milites hostē inuadebant. Gellius lib. I. cap. XI. Quid ille vult ardentissimus clamor militum Romanorum, quem in congressibus prœliorū fieri solitum scriptores annalium memorauere? an tum gradu clementi & silentio est opus, cum ad hostem itur in conspectu longinquo procul distantem? cum verò prope ad manus ventum est, tum iam è propinquo hostis & impetu propulsandus, & clamore terrendus est? Atque ex clamore, quem in congressu milites attollebant, victimæ spem aut concipiebant, aut abijciebant Imperatores. *Cicer. 2. Tusc.*

Liuius lib. III. Consul, concione aduocata, si iam satis animi est, inquit, decerniq; placet; agite dum, clamorem qualem in acie sublaturi estis, tollite hic indicem voluntatis virtutisq; vestræ. Et li. IV. Clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura esset, excitatior crebriorq; ab hoste: ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus, incerto clamore prodidit pauorem

lib 3 c. 18. uorem animorum. Vegetij præceptū est, clamorem non prius auelli debere, quam acies vtraq; se iunxerit, quod ignauorum sit vociferari de longe. Militarem hunc clamorem posteriores barbaro nomine Barritum vocauêre, vt ait Vegetius. Hinc Marcellinus libr. XXI. Barritum ciere vel maximū: qui clamor ab ipso feruore certaminum à tenui susurro exoriens, paulatimq; adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum. Et lib. XXVI. Pro terrifico fremitu, quem barbari Barritum dicunt. Neq; solum clamore, sed etiam cursu, quemadmodum dixi, prœlium ibidem. lib. 34. inibant: quod, vt scribit Liuius, pro ursu plurimum tela concitentur. Id cum Pompeius fieri à suis Pharsalica pugna vetuisset, neque procurrere, sed hostium impetum excipere iussisset, à Cæsare reprehensus est. Propterea quod est quædam, inquit, animi incitatio atq; alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur: hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent, neq; frustra antiquitus institutum est, vt signa vndiq; concinarent, clamoremq; vniuersi tollerent; quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt. Hæc Cæsar. Sed tamen idem quod Pompeius, alij quoq; Imperatores fecerunt. Liuius lib. II. Consul Rom. nec promouit aciem, nec clamorem reddi passus, defixis pilis stare suos iussit. Sed nimirum ita vsu comparatum est, vt ex euentis, hominum consilia, vel laudentur, vel vituperentur. Pompeius, quia victus, repre-

reprehenditur; alij, quia vicere, laudantur. Sed ad rem.

Primi leuis armaturæ milites inter vtramque aciem excurrentes prœlium committebant: mox recedentes locum certandi legionarijs dabant. Liuius libro XXII. Clamore sublato, procursum ab auxilijs, & pugna leuibus primum armis commissa. Cicero lib. secundo de Diuinat. Hæc fuerit nobis tamquam leuis armaturæ, primæ orationis excursio. Festus. Rorarios milites vocabant, qui leui armatura primi prœlium committebant; quod vt ante imbrem fere rorare solet, sic illi ante grauem armaturam quod prodibant, Rorarij dicti.

Legionariorum deinde & grauis armaturæ pugna erat. Hastati, vt scribit Liuius lib. octauo, omnem primi pugnam inibant, si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in interualla Ordinum Principes recipiebant, tum Principum pugna erat, Hastati sequebantur. Triarij interea genu dextro innixi, sinistro crure porrecto, sub vexillis considebant, scuta innixa humeris, hastas suberecta cuspide in terra fixas tenentes. Si apud Principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, à prima acie ad Triarios sensim referebantur: inde rem ad Triarios rediisse, cum laboratur, prouerbio increbuit. Triarij consurgentes, vbi in interualla ordinũ suorum Principes & Hastatos recipissent, extẽplo cõpressis ordinib. velut

velut claudebant viam, vnoq; continente agmine, iam nulla spe post relicta in hostem incedebant.

Pila primo emittebant ij, qui pilis pugnabant: deinde gladijs res gerebatur. Liuius li. 11. Pilis inter primam trepidationem abiectis temere magis quã emissis; pugna iam ad gladios venerat. Sallustius de coniur. Catilin. Postquam eo ventum est, vnde à Ferentarijs prælium committi posset, maximo clamore infestis signis concurrunt, pila emittunt, res gladijs geritur. Qui autem mos esset Romanorum in excipiendis pilis ab hoste emissis, idem Liuius ostendit, l. xxiix. Vixdum in egressos vallo Romani pila coniecerunt, subsidunt Hispani aduersus emissa tela ab hoste: indeq; ad emittenda ipsi consurgunt, quę cum Romani conferti, vt solent, densatis excepissent scutis; tum pes cum pede collatus, & gladijs geri res cœpta est.

Equites interea non quidem in equis sedẽtes, sed tamen stratos equos paratosq; habentes cum hastis non erectis, sed demissis, Imperatoris iussum exspectabant, vt in prœlium conscensis equis, ingrederentur. Liuius lib. 1. Tullus rex imperat, vt hastas equites erigere iubeat. id factum magnæ parti peditum Romanorum conspectum abeuntis Albani exercitus interspsit. Et lib. xxx. Quinctilius Prætor cum filio ad equites pergit: iussosq; adscendere in equos, repẽte in hostem emittit. Et lib. xli. Pugnatum est amplius tres horas, ita vt neutrò inclinaret spes, quod vbi Consul

sul vidit, nulla parte moueri Ligurum signa, imperat equitibus, vt equos conscendant, ac tribus simul partibus in hostes quantò maximo possent tumultu incurrant.

Equites igitur pro loci temporisq; opportunitate iussu Imperatoris, pugnam inibant. Videntur autem equites non à fronte, vt pedites, sed à lateribus concurrisse. Liuius libro XXII. Equitum Gallorum Hispanorumque læuum cornu cum dextro Romano concurrit, minimeque equestris more pugnæ: frontibus enim aduersis concurrendum erat.

Porrò in prœlio, vt scribit in Marcello Plutarchus, ea fuit vox militum sese adhortantiũ Feri, Feri. Pugnantibus quoque militibus æstu laboreque fessis Ferentarij tela potionesque ministrarunt, vt ait Cato apud Festum verbo Velati. Hinc Cæsar lib. III. bell. Gall. Cùm alij fossas complerent, alij multis telis coniectis, defensores vallo munitionibusque depellerent: auxiliaresque quibus Crassus ad pugnam non multùm confidebat, lapidibus telisque subministrandis, & ad aggerem cruicibus comportandis, speciem atque opinionem pugnantium præberent, &c. Iosephus lib. III. bell. Iud. in obsidione Iotapatæ, Arabes Romanis militibus sagittas suppeditasse narrat.

Imperator per aciem discurrens signũ dabat, vt quæq; acies suo tempore in prœlium consurgeret, aut se reciperet: verbisque & exemplis militum animos confirmabat. Idem etiam in ipso prœlio, vel cùm prœlium committendum erat, Dijs vota faciebat: qua in re mo-

Deuotionis autem ritus hic erat. Is qui deuouere se volebat cùm Pontifici dixisset. Agedum Pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus deouueam. Pontifex eum togam prætextam sumere iubebat, & velato capite, manu subter togam ad mentum exerta, super telum subiectum, pedibus stantem, sic dicere: Iane, Iupiter, Mars, pater Quirine, Bellona, Lares, diui Nouensiles, dij Indigetes, Diui, quorum est potestas nostrorum, hostiumque Diui manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, vti populo Romano Quiritium vim victoriamq; prosperetis: hostesque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro Repub. Quiritium, exercitu, legionibus, auxilijs populi Romani Quiritium, legiones auxiliaque hostium mecum Dijs manibus Tellurique deououeo.

Hæc igitur solemnis precatio fuit, quæ in deuotione adhibita est. Porrò tum id super quod stans deuotus est, nefas erat in hostium manus peruenire: si hostis eo potitus esset, Marti Suouetaurilibus piaculum fiebat. Atque hoc ritu sese Decium patrem & filium pro legionibus deouuisse scribit Liuius libr. 8. Hæc fuit deuotio ciuium, qua se pro patria deouerunt: alia fuit, qua hostes ipsos Romani deouerunt: de qua capite sequenti.

De Vrbium oppugnatione.

CAPVT V.

VRbes dupliciter oppugnabantur, corona, & operibus. Operibus oppugnari dicebatur vrbs, cum valla, fossa, munitionibusque cincta, insuper vineis, pluteis, ariete, aliisque machinis, de quibus capite insequenti dicemus, petebatur. Corona verò expugnabatur vrbs, cũ adhibitis scalis vi in ipsa mœnia milites irruebant. Liuius lib. XXXVII. Acilio satius visum est Lamiam oppugnare: nocteque motis signis, prima luce corona mœnia est aggressus. Et mox. Oppugnare Acilius Amphissam statuit, cùm ad mœnia castra posuisset, non corona sicut Lamiam, sed operibus oppugnare vrbem est adortus: pluribus simul locis aries admouebatur, &c. Et li. XLII. Cùm operibus oppugnatio lentior esset, scalas per manipulos diuidi Prætor iussit, vt corona vndique mœnia aggressurus. Mos tamen fuit, vt ante expugnationem vrbis, Deos, in quorum tutela vrbs esset, carminibus quibusdam Sacerdotes euocarent; vel quòd aliter vrbem capi posse non crederent, vel, etiamsi posset, nefas existimarent Deos habere captiuos, vt scribit Macrobius lib. III. Sat. cap. IX. Euocabantur autem Dij nominatim: quare Romani ne quod sæpè aduersus vrbes hostium fecisse se nouerant, idem ipsi quoque hostili euocatione parerentur: Deum in cuius tutela vrbs Roma erat, ipsiusque vrbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt, auctor in quæstionibus

bus Plutarchus. De qua ita Plinius l. XXVIII. Verrius, inquit, Flaccus auctores ponit quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitũ à Romanis sacerdotibus euocari Deũ, cuius in tutela id oppidum esset: promittiq; illi eundem aut ampliorem locũ apud Romanos cultumve. Durat in Pontificũ disciplina id sacrum. constatq; ideo occultatũ, in cuius Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Hæc Plinius. Carmen aũt quo Dij euocarentur, recitat Macrob. Si Deus, si Dea ea est cui popul⁹ ciuitasq; Carthaginens. est in tutela, teq; maxime ille, qui vrbis huius populiq; tutelam recepisti: precor, veneror q; veniamq; à vobis peto, vt vos populum ciuitatemq; Carthaginensium deseratis: loca, templa, sacra, vrbemq; eorũ relinquatis, absq; his abeatis: eiq; populo ciuitatiq; metum, formidinẽ, obliuionem injiciatis: proditiq; Romam ad me meosq; veniatis: nostraq; vobis loca, templa, sacra, vrbs acceptior probatiorq; sit: mihi quoq; populoq; Romano, militibusq; meis præpositi sitis, vt sciamus intelligamusque si ita feceritis, voueo vobis templa ludosque facturum. Atq; in eadem verba hostiæ sacrificabantur.

Haud multũ dissimili carmine Veiorũ vrbe à Camillo Iunonem euocatã scribit Liui. li. v. Dictator, inquit, auspicato egressus, cum edixisset vt arma milites caperent. Te, inquit, Iuno regina, quæ nunc Veios colis, precor, vt nos victores in nostrã tuamq; mox futuram vrbem sequare: vbi te dignum amplitudine

tua templum accipiat. Et mox addit Liuius. Veniétes ignari, Deos votis ex vrbe sua euocatos, hostium templa nouasq; sedes spectare.

Deos igitur Romã euocatos, eorumq; sacra Romani vel publicè colebãt, vel per familias priuatas diuidebãt: qui dicti Nouẽsiles sunt. Arnobius libr. III. Nouensiles Deos, Cincius numina peregrina nouitate ex ipsa appellata pronunciat: nam solere Romanos Deos oẽs vrbium superatarum, partim priuatim per familias spargere, partim publicè consecrarẽ: ac ne aliquid Deorum multitudine, aut ignorantia præteriretur, breuitatis compendijq; causa, vno pariter nomine cunctos Nouensiles inuocari. Et Festus. Peregrina sacra appellãtur, quæ aut euocatis Dijs in oppugnandis vrbibus Romam sunt collata, aut quæ ob quasdam religiones per pacem sunt petita.

Dijs euocatis, vrbem hostium exercitumve deuouebãt hoc carmine, quod Macrobius refert. Dis pater, siue Iouis manes, siue quo alio nomine fas est nominare, vt omnes illam vrbem Carthaginem exercitumq;, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis: quique aduersus legiones exercitumque nostrum arma telaque ferent, vti vos eos exercitus, eos hostes, eosq; homines, vrbes, agrosq; eorum, & qui in his locis regionibusq;, agris, vrbibusq; habitant, abducatis, lumine supero priuetis: exercitumque hostium, vrbes, agrosq; eorum, quos me sentio dicere, vti vos eas vrbes, agrosq;, capita, ætatesq; eorum deuotas, consecratasq; habeatis,

illis

illis legibus, quibus quandoq; sunt maximè hostes deuoti: eosq; ego vicarios pro me, fide magistratuq; meo, & pro pop. Rom. exercitibus, legionibusq; nostris do, deuoueo: vt me, meamq; fidem, imperiumq;, legiones, exercitumque nostrum, qui in his rebus gerendis sunt, bene saluos sinatis esse. Si hæc ita faxitis, vt ego sciam, sentiam, intelligam: tunc quisquis votum hoc faxit, vbi faxit, rectè factum esto, ouibus atris tribus, Tellus mater, teq; Iupiter obtestor.

His verbis deuotio hostiũ fiebat: eaq; à solis Dictatorib. Imperatoribusq; vsurpari potuit, qui cum inter deuouendũ Telluré dicebant, manib. terram tangebant: cum dicebant Iouẽ, manus ad cœlũ tollebant: cum votũ recipere dicebant, manib. pectus tangebant. Hoc ritu Pregellę, Gabij, Veij, Fidenę, Carthago, Corinthus, aliaq; multa, Gallorum, Hispa. Afrorum oppida atq; exercitus deuota fuisse traduntur.

CAP. VI.

De Machinis ac tormentis bellicis.

ROmanos plurimum in vrbium oppugnationibus præstitisse constat ex histor. Hinc Tac. l. XII. Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta, & æstus oppugnationũ: at nobis ea pars militiæ maximè gnara est. Athen. l. VI. c. vlt. scribit, Romanos à Græcis tormẽta & machinas vrbiũ expugnandarũ sumpsisse. Plut. in Marcello, machinarum inuentionem à Geometria profectam ait: earumq; præcipuos artifices Eudoxũ numerat & Archimedẽ.

Cum igitur certũ fuisset vrbem operib. oppugnare, eã primo circumuallabant, ne cuiquam exitus pateret ex vrbe, crebris pro loci opportunitate turribus excitatis. Hirtius li. 8. Trina excelsissimo loco castra fecit, à quibus paulatim, quantum copiæ patiebantur, vallũ in oppidi circuitum ducere instituit. Et Cæs. li. 7. Castris ad eam partẽ oppidi positis, quæ intermissa à flumine & paludibus, aditũ angustum habebat; aggerem apparare, vineas agere, turres duas constituere cœpit: nam circumuallare loci natura prohibebat. Circumuallandi aũt ratio eadem fuit, quam in castris metandis diximus obseruatam: Titum tamen Hierosol. muro nouem & triginta stadiorum complexum fuisse narrat Ioseph. lib. III.

Oppido circũuallato, aut obsidione fameq; vrbem domabant, aut operibus machinisque oppugnabant. Inter machinas Aries fuit, quo muros vrbis frequenti ictu feriebant, euertebantq;. Ingens malus statuebatur rectus, ex eo funib. transuersus, item ingens alter, vti trutina dependebat, cuius caput ferreum erat ad instar arietis, quem milites reducẽtes impellenteq;, vehementib. plagis murum percutiebant: itaq; tum ob reciprocos ictus, tum ob arietis similitudinem quam capite ferreo imitabatur, ea machina Aries dicta est. Ex Vitruuio l. x. c. xix. & Athenæo, Iosepho li. III. Iud. de obsidione Iotapatæ. Tertul. de Pallio, c. I. Marcel. l. xxiii. Veget. l. iv. Isido. Suida cæteriq; omnibus. Plinius arietem hunc ab equo repertum bello Troiano scribit: neque enim

ARIES.

lib. 7. c. 56.

equum

equum illud Troianū aliud, nisi arietem fuisse putat. Tertull. & Vitruu. eius inuentionem Carthaginienſib. tribuūt. Cùm enim Carthaginienſ. positis ad Gades castris, castellū cepiſſent, neq; ad eius demolitionem ferramenta haberent: ſumpſerunt tignum, idq; manibus ſuſtinentes, capiteq; eius ſummum murū continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines deiecerunt, & ita gradatim ex ordine totam communitionem diſsipauerunt. Poſtea quidā faber Tyrius nomine Pephaſmenos, hac ratione & inuentione inductus, malo ſtatuto, ex eo alterum tranſuerſum ſuſpendit, & in reducendo & impellendo deiecit Gaditanorū murum. Pro ariete interdū falces adhibebantur, id eſt, trabs quæ adunco præfigebatur ferro, vt de muro lapides extraheret, vt ait Veget. l. 4. c. 14. Liu. l. 38. Arietibus muros quatiebat: aſſeribus falcatis pinnas detergebat. Has Cæſ. falces murales appellat, l. 3. bel. Gal. Item Helepolim, nam pro ariete conſerebantur triſulcæ cuſpides præacutæ ponderibus ferreis graues, vt ait Marcell. lib. XXIII.

Hæc fuit prima Arietis inuentio atq; vſus. poſtea Cetras ſiue Getras Chalcedonius muniméta addidit, quib. defenderētur qui arietē impellebant. Baſim enim, vt ſcribit Vitruuius, de materia ſubiectis rotis fecit, ſuprąq; compegit arrectarijs & iugis varas, & in his ſuſpēdit arietem, corijſq; bubulis texit, vti tutiores eſſent, qui in ea machinatione ad pulſandum murū eſſent collocati. id autem quod tardos conatus haberet, Teſtudinem nominauit.

TESTVDO ARIETARIA.

Hanc arietariam testudinem ita describit Proc. l. 1. bel. Goth. ex interpretatione Christophori Personę. Columnæ, inquit, rectę ac ligneæ quatuor pariq; magnitudine ex aduerso defixæ solo astant: his tigna octona & transuersa arctissimè iũcta, quaterna desuper alia, totidem ad bases committunt: paruiq; & quadrangularis speciem domicilij extruũt, & corijs undiq; integunt latera, vt & ductu sit leuior machina, & interinsecus milites in tuto ita consistant, vt feriri nullo pacto ab hostibus queant: intùs verò non paruæ molis stipitem supernè suspendunt, huncq; catenis laxatum in medio machinę, cùm opus fuerit demittũt: eius aũt caput præacutũ multo ferro perinde ac sagittæ spiculum aliquod contegunt. Hæc machina, nõ scutulis subiectis, vt nauis mouetur, sed ad infima columnarũ exstantium rotis deducitur: sed eã nõ minore numero homines quã quinquaginta interiore ex parte mouent, & quo volũt, traducũt, & dũ mœnib. applicãt stipitẽ, cui plerumq; arietis ferreũ præfixũ est caput, arte quadam voluentes facilè retrahũt, rursumq; & magno cum impetu in murum incutiũt. Hæc Procopius. Diades postea testudinis fastigio turrim etiam addidit pluriũ tabulatorum: ita vt in summo tabulato statuerentur catapultæ ac balistæ, in inferioribus autẽ cõgereretur magna vis aquæ ad extinguendũ, si qua vis ignis mitteretur: cuius turris fabricãdæ rationem Vitruuius docet, & Athenęus.

Quòd si lignorũ inopia testudinem fieri prohiberet, ne milites dum ad muros subruendos ac-

accedũt, expositi paterent ad vulnera, Vineas Pluteosq; obiciebant. Vineæ cratium instar ex vimine fabricabãtur, vt plures ordine collocatæ militum latera defenderent, quæ cùm vitiũ in vinea ordines imitari viderentur, Vineæ sunt appellatæ, vt scribit Festus. Cæs. l. 11. bel. ciu. initio. Tanta erat multitudo tormentorum, vt eorũ vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent: asseres enim pedum duodecim cuspidib. præfixi, atq; hi maximis balistis missi, per quatuor ordines cratium in terram defigebantur. Inter has vineas milites vel arietẽ agebant, vel ad muros subruendos appropinquabãt. Liu. l. 21. Aduersus eũ vineas agere instituit, per quas aries mœnibus admoueri posset. Marcel. li. 20. Plerisq; obiectu vinearũ pluteorumq; tectis, iter ad fundamẽta parietum quærentibus subuertenda. Videntur aũt rotæ vineis fuisse subiectæ, quib. facilè agerentur. Hinc sub vitem præliari dicebãtur milites, cùm sub vinea militari pugnabant, vt ait Festus. Plutei ex cratibus, similiter viminibusq; auctore Festo, fiebant, quib. frons militum tegeretur. Cæs. lib. 1. bell. ciuil. Has rates terra atq; aggere contegebat: à fronte atq; ab vtroq; latere cratibus ac pluteis protegebat. Et Marcel. l. 21. Pluteos præferentes oppugnatores, crateſque densius textas sensim incedẽtes & cautè, murorum ima suffodere ferramentorum multitudine conabãtur. Vegetius Pluteum ad apsidis similitudinem contextum scribit, rotisq; circumagi solitum. Vineæ Pluteique vsum describit Lucan. l. 3.

VINEA.

PLVTEVS.

Lib. 14. c. 15.

Tunc adoperta leui præcedit Vinea terra.
Sub cuius pluteis & tecta fronte, latentes
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
Mœnia, nunc aries sus pensò fortior ictu,
Incussus denſi compagem soluere muri
Tentat.

VINEA. Vineas pluteosq; contra ignis periculum solebant crudis ac recentibus corijs vel centonibus contegere, vt Festus & Vegetius scribunt. Apollodorus in poliorceticis aliter vineas describit: hastas enim complures inter se ligatas, atq; ab ima parte præpilatas, vt humi defigi possent, à militibus rectas gestatas dicit: atq; ex ijs hastis dependisse pelles non quidem extensas, sed corrugatas, sinuosq; habentes; vt telorum iactus frangerentur, quæ hastæ cùm inæquales essent longitudinis, testudinis formam imitari videbantur: Vineamque aic minorem fuisse testudinem.

MVSCVLVS. Li 4 c. 16. Inter machinas, quibus tecti milites opus faciebant, Musculus nominatur, à muris domestici forma, vt puto, potiùs quàm à marino Musculo, vt ait Vegetius. Musculum elegantissimè describit. Cæs. lib. 11. bell. ciuil. Duas primum trabes in solo æquè longas paruo interuallo inter se distantes dicit collocatas, inque eis columellas paruæ itidem altitudinis defixas, atq; capreolis inter se coniunctas vbi tigna musculi tegendi causa collocarentur: ac contra ignis lapidumq; pericula egregiè munitum: additque molli fastigio fuisse cõstructum, id est, vt à posteriore parte altior,

in

in anteriore esset depressior, murisq; speciem cum sese colligit, imitari videretur: Hoc musculo potius ad murorum fundamenta subruenda, quàm ad sternendam turribus viam, quod ait Vegetius, vsos Romanos puto. Cæsar certè ad conuellenda fundamentorum saxa musculum instituisse dicitur.

TVRRIS.

Turres, aut lateritiæ fuêre, aut ligneæ: ligneæ item aut immobiles, aut mobiles quas ambulatorias vocant. Construebantur autem turres pluribus tabulatis interdum decem, fenestris relictis ad tormenta immittenda: ambulatoriæ turres subiectis rotis agebantur quacumque libuisset, in summis contignationibus tormenta constituebantur, ad deijciendos mœnibus propugnatores, in ima parte fuit aries, in media pons erat suspensus, quem exostram vocant, quemque in muros vrbis demitterent, vt scribit Vegetius lib. IV. c. XVII. & XXI.

AGGER.

Quoniam autem plerumque locus aut depressior erat, aut minus æquus, aggere iacto eũ vel attollebant, vel æquabant, per quẽ deinde aggerem turres ac testudines machinasq; ceteras agerent. Fiebat autem agger ex viminibus, virgultis, terraque, eiusque latera trabibus firmabantur, ne terra diffluere. Cæsar li. II. ciuil. Magnam iumentorum atque hominum multitudinem ex omni prouincia vocat, vimina materiamque comportari iubet, quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pebum XXC. exstruit. Et libr. VII. Vineas agere, cratibus atque aggere paludem explere,

atque iter munire conabatur. Liuius lib. XXI. Locus satis æquus agendis vineis fuit, & libr. XXXII. Cùm turris per aggerem parum densati soli ageretur, rota vna in altiorem orbitam depressa, ita turrim inclinauit, vt speciem ruētis hostibus, trepidationemq; insanam superstantibus armatis præbuerit. Aggerem eiusq; vsum describit Lucanus lib. III.

Tunc omnia latè
Procũbunt nemora, & spoliãtur robore silua;
Vt cùm terra leuis mediã virgultaq; molem
Suspendant, structa laterum compage ligatã
Artet humũ, pressus ne cedat turribus agger.

Et mox:

Sellatis axibus agger
Erigitur, geminasq; æquantes mœnia turres
Accipit: hæc nullo fixerunt robore terram,
Sed per iter longum cauſſa repſere latenti.
Illinc tela cadunt præcelſas vrbis in arces.

Atq; hæc quidem ab oppugnatoribus contra vrbem instruebantur, oppidani verò aduersus ea multa solebant comparare. Nam arietem falcesq; libramento plumbi deprimebant, aut laqueis distinebant, lapidibus frangebant, ignibus inflammabant, aut deniq; faccis palearum lanaq; plenis eius impetus eludebant. Veget. l. IV. c. XXIII. & Ioseph. l. III. bel. Iud. c. 8. de obsidione Iotapatæ. Liu. li. XXXVI. AEtoli cùm ariete quaterentur muri, non laqueis, vt solet, exceptos declinabant ictus: sed armati frequentes erumpebant. Appianus in Mitridatica. Arietes lapidibus repulerunt,

aut

aut laqueis fregerunt, aut lanæ obiectum eorum impetum excipiebant. Liu. li. XLII. Arietē admotum libramento plumbi grauatum ad terram vrgebant. Cæsar li. 7. laqueis falces auertebant, quas cùm distinuerant, tormentis introrsus recedebant.

TOLLENO.

Videntur Tollenonibus huiusmodi plumbi lapidumve pondera super arietem dimisisse. Liu. l. 38. In arietes tollenonibus libramenta plumbi aut saxorum, stipitesve robustos incutiebant; Tolleno autem ita fiebat. Trabs vna defigebatur in terra, eiq; in summo vertice alia transuersa trabs longior dimensa medietate connectebatur, eo libramento, vt si vnum caput deprimerentur, alterum erigeretur: Qua machina interdum milites in murū exponebantur, vt ait Vegetius lib. IV. c. XXI.

LVPVS.

Lupis quoq; arietem apprehēsum aut euertebant, aut ita suspendebant, vt impetum non haberet feriendi. Fuit autem lupus ferrum in modum forficis dentatum, quod funibus alligatum in arietem conijciebant, vt docet Veget. li. 4. ca. 23. Liu. l. 28. Lupi superne ferrei iecti, vt in periculo essent, ne suspensi in murum extraherētur. Verùm oppugnatores saccos, & reliqua munimenta, quæ oppidani obijciebant, falcibus contis longissimis præfixis dissipabant, funesq; abscindebant. Contra ignem verò machinas corijs crudis ac recentibus, centonibusque madefactis obtegebant, loricam etiam interdum addebant. Lorica autem (nam cetera ferè nota sunt) videtur fuisse ex cratibus contexta, creta super inducta: hæc enim

LORICA.

enim à Vitruuio lorica nominatur. Cęsar. lib. 2. ciuil. Quidquid est contignatum cratibus consternitur, crateſq; luto integuntur. Idem lib. v. Gall. Turres contabulantur, pinnæ loricæq; ex cratibus attexuntur. Hirt. li. viii. Pontium frontes viminea lorica munirentur.

Præter has machinas fuêre missilia, quibus æquè oppidani, hosteſque vtebantur, in his Balista fuit, & Catapulta, siue Scorpio, aliaq; huiusmodi quibus lapides vel sagittæ mittebantur: Catapulta ad instar lignei arcus videtur fuisse, habens in Capitulis ex vtraque parte foramina, per quæ nerui torti intendebantur: foraminis autem dimetiens sumebatur è nona parte longitudinis sagittæ, quæ Catapulta mitti deberet. Arrectariæ trabes duæ dextra sinistraque constituebantur (Parastatas vocant) in summo & in imo transuersariæ tabulæ duæ parastatas distinebant, quatuor angulis in lateribus ac frõtib. laminis ferreis aut stilis æreis clauisque confixis: ita vt plinthidis siue laterculi figuram imitaretur. Per media autem spatia Parastidum excidebantur formæ semicirculi: in quibus includebantur capitula siue brachia catapultæ, cuneisque firmabantur, ne in contentionibus mouerentur. Porrò inter duas parastatas alia fuit quæ media siue mediana dicta est: in hac erat incisum interuallum vbi sagitta collocaretur. infra erat canalis qui σύριγξ dicitur à Græcis, cum regulis siue bucculis dextra sinistraque quæ paullùm eminentes canalem facerent profundiorem. In eo canali erant Che-

CATAPVLTA.

le

le siue manus quæ sagittam comprehenderet, & Epitoxis in qua sagittæ calx collocaretur: aliæ quoq; duæ regulæ in canali erant, in quas succula indebatur. Ergo cum intendebatur Catapulta, nerui qui erant per foramina capitulorum traiecti, modioliſq; æreis, cuneiſque firmati, succulis vectibuſq; ad certum foramen æqualiter declinabantur, cuneiſque concludebantur: quibus repente diſclusis sagitta maximo impetu egrediebatur.

Scorpionem à Catapulta diuersum esse non opinor, quia Vitruuius Catapultæ Scorpioniſq; eandem rationem dicit esse: forte scorpio minores mittebat sagittas. *SCORPIO.*

Baliſta maior quam catapulta fuit, cæterum eodem modo constructebatur, intendebaturq;, quanquam præ succulis nonnullæ baliſtæ polyſpaſtis, vel ergatis, vel timpanis torquebantur. præterea foraminũ ratio expondere lapidis quem debebat baliſta mittere proportione sumebatur, sicut in catapultis de longitudine sagittarum. Hæc de Catapulta & Baliſta ex obscuriſſima Vitruuij deſcriptione adiutus Græcis Cteſibij verbis vtcumque exposui. *BALISTA.*

Vitruuius li. 1. c. 1 & 2. & l. 10 c. 15. 16. 7. citatur à Turnebo li 2. ca. 4. & 5.

Vitruuius Catapultis sagittas, Baliſtis saxa mitti dicit: Cæsar tamen & catapultis saxa, & Baliſtis sagittas miſſas significat. sic enim scribit libro 11. bel. ciuil. Asseres pedum duodecim cuſpidibus præfixi atq; hi maximis, baliſtis miſſi, per quatuor ordines cratiũ in terram defigebantur. Et paulò pòst. Centones inſuper iniecerunt, ne saxa ex catapultis miſ-

tis missa lateritium discuterent. Plinius lib. VII. Balistam Phœnicum inuentum fuisse dicit, sicut Catapultam Syrorum, Scorpionem Cretensium. Quanta autem vis balistarum & Catapultarum esset ostendit Iosephus lib. III. de obsidione Iotapatæ. Missa, inquit, machinis saxa & murorũ minas auferebant, & frãgebãt angulos turrium: virorum autem nulli tam fortiter constipati erant, vt non vsq; ad extremam aciem saxi magnitudine ac violẽtia sternerentur. Sciet autem aliquis huius machinæ vis quantũ valeat ex his quę nocte illa contigerunt. in muro cuidã ex circũstantibus Iosepho, saxo percusso caput auulsum est, eiusq; ad tertium stadium veluti funda excussa caluaria, interdiu quoq; prægnantis fœminæ vtero transiecto ad dimidium stadium infans abactus est; tanta tormento vis fuit. Et lib. V I. de obsidione Hierosolymæ. Præcipuè duodecimæ legionis balistæ vehementiores & tormenta saxorum, quibus non solum irruentes; sed etiam super murum stantes auertebantur. nam & singula saxa talenti pondus æquabant, & vltra stadij modum torquebantur, ictus verò non solum primis quos offendisset; sed aliquando posterioribus quoq; intolerabilis erat. Hæc Iosephus.

Solebant autem oppidani aliquem adhibere, qui balistam obseruaret, cum intenderetur, vt ictus lapidum declinarent. Hirtius de bell. Afric. Balista missa à nostris turrem deiecit, qua aduersariorum qui in ea turri fuerunt quinq; deiecti sunt, & puer qui balistam erat solitus

solitus obseruare. Et Iosephus li. vi. bel. Iud. Iudæi sanè cauebant à lapidibus, quod erant candidi: nec tantum sono ac fremitu noscebantur, sed etiã claritudine prospiciebantur: deniq; speculatores in turribus præsidentes, prædicebant quando impelleretur machina, saxumque ferretur, patria lingua clamantes, Filius venit: itaq; præsciebant in quos veniret atq; ita vitabant, & hinc eueniebat, vt, illis declinantibus lapis irritus intercideret. Hæc quidem de Baliſtis, quæ florente Republ. aut non multò pòst in vsu fuerunt. non longè aliter eas describit Marcellinus libro XXIII. Ferrum, inquit, inter axiculos duos firmum compaginatur & vastum, in modum regulæ maioris extentum, cuius ex volumine tereti, quod in medio ars politacom ponit, quadratus eminet stilus extensus, recto canalis angusti meatu cauatus, & hac multiplici chorda neruorum tortilium illigatus: eoq; cochleæ duæ ligneæ coniunguntur aptissimè, quarum propè vnam assistit artifex contemplabilis, & subtiliter apponit in temonis cauamine sagittam ligneam spiculo maiore conglutinatam; hocq; facto hinc inde validi iuuenes versant agiliter rotabilem flexum. cum ad extremitatem neruorum acumen venerit summum, percita interno pulsu à baliſta ex oculis euolat; interdum nimio ardore scintillans; & euenit sæpius, vt antequam telum cernatur, dolor letale vulnus agnoscat.

Scorpionem idem sic describit. Dolantur, inquit, axes duo quernei vel illicei, curuan- SCORPIO.

turq;

turq; mediocriter vt perminere videantur in gibbas: hiq̃ue in modum ſerratoriæ machinæ connectuntur, ex vtroq; latere patẽtius perforati, quos inter per cauernas funes colligãtur robuſti cõpagem ne diſſiliat continentes: ab hac medietate reſtiũ, ligneus ſtilus exurgens obliquus, & in modum iugalis temonis erectus, ita neruorum modulis implicatur, vt altius tolli poſſit & inclinari, ſummitatiq̃ue eius vnci ferrei copulantur, è quibus pendet ſtuppea vel ferrea funda; cui ligno fulcimentum proſternitur ingens cilicium paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum ſuper congeſtos cæſpites vel lateritios aggeres: nam mureo ſaxeo huiuſmodi moles impoſita, diſſiectat quidquid inuenerit ſubter concuſſione violenta non pondere. Cum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ impoſito, quaterni altrinſecus inuenes repagula, quibus incorporati ſunt funes, explicantes, retrorſum ſtilum penes vncinum inclinant. itaq; demũ ſublimis adſtans magiſter, clauſtrum, quod totius operis continet vincula, referat malleo forti percuſſum, vnde abſolutus ictu volucri ſtilus, & mollitudine offenſus cilicij, ſaxum contorquet quidquid incurrerit colliſurum. Hanc Scorpionem addit Onagrum quoque dici, quod aſini feri cum venatibus agitãtur, ita eminus lapides poſt terga calcitrando emittunt, vt perforent pectora ſequentiũ, aut præfractis oſſibus capita ipſa diſplodant. Hæc Marcellinus.

Vegetius

Vegetius tamen li. IV. Onagrum à Scorpiona diuersum facit: ac Scorpionem Manubalistam vocari dicit, & paruis sub tribus sagittis spiculis intulisse mortem.

Atq; hæc quidem oppidanis hostibusq; cõmunia; pila muralia propria fuêre oppidanorum, quæ grauiora erant quàm quibus in acie vtebantur, eaq; de muro mittebant in hostes. Cæsar lib. v. Magnus muralium pilorum numerus instituitur. Et l. VII. Ex vallo & turribus traiecti pilis muralibus interibant. Tacitus l. IV. Muralia pila, congestas lapidum moles prouoluere.

Contra autẽ irruptiones hostium parabant Eritium, Cippos, Lilia, Stimulos, Sudes, Stilosque vt hostes morarentur. Cæsar l. III. Erat obiectus portis eritius: hic paullisper est pugnatum, cùm irrumpere nostri conarentur. Et mox: Excisoeritio in castra irruperunt. Sallustius apud Nonium: Saxaque ingentia, & axe vincti orbes per pronum incitabãtur; axibusque eminebant in modum eritij militaris eruta binum pedum. Quibus ex verbis colligim' machinam fuisse infestis vndique horrentem telis: De cæteris Cæsar libr. VII. Hirt. de bell. Afric. Extra vallum stili cæci, mirabilem in modum consiti.

Libralia siue Librilia Festo dicuntur instrumenta bellica, saxa scilicet ad brachij crassitudinem in modum flagellorum loris reuincta Cæsar lib. VII. Fundis, libralibus, sudibusq; ac glandibus Gallos perferrent.

Quòd si corona vrbs oppugnaretur, scalis

admotis hostes vrbem aggrediebantur; quam ad rem Sambuca vsi sunt. Festus. Sambuca machina qua vrbs expugnatur: nam vt in cythara chordæ, sic in machina intenduntur funes. Sambucam describit Polybius lib. VIII. Scala enim fuit ea altitudine vt muros adæquaret: latera cancellis præcingebantur, teguliſq; operiebãtur. in summa scala tignum fuit quod scutis Perficis communiebant; ò quatuor milites conscendebant, vt ex propugnaculis hostes deijcerent. vbi applicata scala murum occupassent, scutorum latera vtrinq; soluentes, conscendebãt propugnacula hostium: reliqui per Sambucam deinceps succedebant. Hac Marcellus in Syracusarum expugnatione vsus est.

Alia quoq; plurima narrãtur machinarum genera quæ singula referre velle putidum est.

Phalarica Liu. li. XXI. Phalaricæ similes videntur fuisse Malleoli, de quibus Marcellinus li. XXIII. Malleoli teli genus figurantur. Sagitta est cannea inter spiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam concauatur, ventre subtiliter & plurifariam patens, atq; in alueo ipso ignem cum aliquo susciput alimento, & sic emissa lentius arcu inualido, ictu enim rapidiore extinguitur, si hæserit vsquam, tenaciter cremat. De Malleolis item Vegetius.

LI-

LIBER SEXTVS.

De ijs, quæ fierent post prælium.

De humatione cæsorum, prædaq; collectione.

CAPVT I.

Victis profligatisq; hostibus, redeũtes in castra victores, ab ijs, qui custodię causa relicti fuerant, lætis acclamationib. laudibusq; excipiebantur: tabernacula edera, lauro, ceteraq; frõde aut cęspite, lætitiæ causſa, ornabantur: conuiuia lautius instruebãtur: victoriaq; passim militaribus iocis carminibusque celebrabatur, vt scribit Plutarchus in AEmilij ac Marij vita. Hinc illa Cæsaris de victoria Pharsalica. In castris, inquit, Pompeij videre licuit triclinia strata, magnum argenti pondus expositum, recentibus cæspitibus tabernacula constrata, L. etiam Lentuli & nonnullorum tabernacula protecta edera: multa præterea quæ nimiam luxuriam, ac victoriæ fiduciam designarent. *Li. 3. bell. ciuil. & Appian. li. 2.*

Vbi corpora milites curassent, eo die, aut insequenti, ad legenda hostium spolia, suosq; sepeliendos dimittebantur. Liuius lib. xxxix. Celtiberi castra inde nocte proxima mouerunt: Romanis & suos sepeliendi, & spolia legendi ex hostibus potestas facta est.

Porrò consuetudinem sepeliendi eos, qui bello cecidissent, ab Hercule manasse scribit AElianus; cùm antea insepulti feris auibusque *Lib. 12. var. hist.*

relinquerentur. Ac sepeliẽdi quidem cæsos in bello alia apud alios ratio fuit. Romani aũt videtur suos, pyris exstructis, cremasse. Vnde illa Tertulliani ad militẽ Christianũ. Cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit?

Lib de Corona mil. c.xj.

Sepultis commilitonibus, milites ad castra vrbemve diripiendam, cæsos spoliandos, cæteramq; prædam colligendam discurrebant; Sacramento tamen ante adacti, vt Polybius narrat, se nihil ex præda intercepturos aut occultaturos, sed omnia fideliter Imperatori repræsentaturos. Qua in re illud sapienter à Romanis obseruatum idem Polybius scribit, vt ne plures dimidio ad prædandum destinarentur; alij verò sub signis compositi, instructiq; haberẽtur ad subitos hostium impetus defendendos, ne in præda occupati opprimerentur.

Ex armis aũt cæsorum hostiũ, cũ pulcherrima quæq; secreuissent, reliqua Imperator in aceruum cumulari iubebat: atq; exercitu in vniuerso armato coronatoq; circũfuso, rem ipse diuinam faciebat, tum præcinctus purpura, facem ardentem sumebat, manibusq; in cœlũ sublatis, Deosq; quibus hostium spolia dicare mos est, precatus, primus face subdita incendebat: reliqui deinde pro se quisq; ignes conijciebant. Id Vulcano sacrum habitum: quanquam alijs etiam dijs, qui bellorum præsides putarentur, votum fuisse legimus; vt Plutarchus in Mario, Appianus in Libyca, Iberica, & Mithridatica historia, tradidẽre.

Li-

Liuius libr. XLV. Edito ludicro, clypeisq; æreis in naues impositis, cætera omnis generis arma cumulata in ingentem aceruũ, præcatus Martem, Mineruam, Lunamq; matrẽ, & cæteros Deos, quibus spolia hostium dicare ius fasq; est, Imperator face subdita succendit: deinde circumstantes Tribuni militum pro se quisq; ignes coniecerunt. Et li. IIX. Magister equitum, vt ex tanta cæde, multis potitus spolijs, congesta in ingentẽ aceruum hostilia arma subdito igne concremauit; seu votum id Deorum cuipiam fuit, seu ne suæ gloriæ fructum Dictator caperet, nomenq; ibi scriberet, aut spolia in triũpho ferret. l. XXIII. Spolia hostium Marcellus Vulcano votũ cremauit. lib. XXX. Magna vis armorum capta: ea omnia Imperator Vulcano sacrata incendit. Et lib. XLI. Postero die arma lecta conijci in aceruum iussit Consul, sacrumq; id Vulcano cremauit. Florus li. IV. ca. XII. Arma victorum non ex more belli cremata; sed capta sunt, & in profluentes data, vt cæteris qui resistebant, victoria sic nunciaretur.

Huius moris auctorẽ Tarquinium Priscum Romanũ Regem fuisse docet. Seruius ad VIII. Virgilij lib. De quo sic Liuius l. I. Tarquinius præda captiuisq; Romam missis, spolijs hostium (votum id Vulcano erat) ingenti cumulo accensis, pergit porrò in agrum Sabinum exercitum inducere. Idem Liuius l. IIX. priscæ legis verba cõmemorat, qua Ducibus id permitteretur: Vulcano, inquit, arma, siue cui alij Diuo vouere volet, siue hostia, siue quo alio

ibi. Scutorũ incendi vi-ctor acerue.

volet, ius esto. De alijs Diuis idem Liuius cõfirmat lib. x. Fabius spolia hostium coniecta in aceruum Ioui Victori cremauit. Et lib. VIII. initio. Armorum magna vis tum inter cæsa corpora hostium, tum in castris inuenta est: ea Lunæ matri dare se consul dixit.

De Prædæ diuisione. CAP. II.

IMperator, concrematis ijs quæ vel inutilia, vel ferri non posse videbantur, reliquam prædam milites conferre iubebat. Quæ vbi collata esset, vel à Quæstore iubebat in publicum referri, vel Tribunis assignabat, vt inter milites diuiderent (ad Tribunos, vt Polybius ait, enim prædæ diuisio spectauit) aut deniq; partem secernebat in publicum, partem militib. concedebat. Hoc enim in Imperatoris potestate fuisse, docent exempla. Liu. l. XXXIX. Consul armis hostium in vno concrematis cumulo, cæteram prædã conferre omnes iussit: & aut vendidit quod eius in publicum redigendum erat; aut cum cura, vt quam æquissima esset, per milites diuisit. Et lib. V. Prædæ pars maxima ad Quæstorem redacta: haud ita multum militi datum. Et ibidem. Castra capta, præda ad Quæstores redacta, cum magna militum ira. Et li. IV. Prædæ ex assiduis populationibus fuit aliquantum. Venditum sub hasta Consul in ærarium redigere Quæstores iussit: tum prædicans participem prædæ fore exercitum, cum militiam non abnuisset. Item lib. VI. Præda omnis, præter libera corpora, militi concessa est. Et l. VII. Militem præterea imple-

impleuit: ad copiam rerum addidit munificentiam, quod nihil in publicum secernendo, augenti rem priuatam militi fauit.

Prædæ autem diuidendæ ratio duplex fuit: aut enim eam inter se milites sortiri iubebãtur: aut vbi per Quæstorem vendita esset, pecunia quæ redacta esset viritim diuidebatur. Vtriusq; moris exempla Liuius suppeditat. De pecunia diuisa l. xxxv. initio. Præda omnis ante vrbẽ exposita est: potestasq; dominis suas res cognoscendi facta, cætera vendenda Quæstori data: quod inde effectum est, militi diuisum. Et lib. 45. vendita præda omnium: de ea summa militi numeratum est. De sorte idem Liu. lib. IV. Postero die singulis captiuis ab equite ad Centurionem sorte ductis, & quorum eximia virtus fuerat, binis: alijs sub corona venundatis, exercitum victorem opulentumq; præda triumphans Dictator Romã reduxit. De hac sortiendæ prædæ consuetudine præclare Vopiscus in Probo. Cum de prædato repertus esset equus, qui quantũ captiui loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita vt per dies octo vel decem continuaret, & omnes crederent Probũ tale animal sibimet seruaturũ; iam primum dixit fugitiuo militi potius quam forti hic equus cõuenit. deinde in vrnam milites iussit nomẽ suum mittere, vt aliquis eum sorte ductus acciperet: & cũ essent in exercitu quidam nomine Probi alij quatuor milites, casu euenit vt primũ emergeret, cui Probo nomen existeret; sed cum quattuor illi milites inter se contenderent,

Legimus tamen interdū milites, grati animi causa, prædam vniuersam, quæ ipsis contingere posset, Imperatori concessisse, quod de Mario victis Teutonibus scribit Plutarch. Porrò illud extremo loco addendū videtur, multis sæpè Imperatoribus ob prædam maligne diuisam, aut alio modo interceptam dié ad populum dictam esse. Frontinus libro IV. Stratagem. ca. I. Salinatorem consularem damnatum dicit à populo, quod prædam non æqualiter militibus diuisisset. Liuius etiam *libr. 38.* L. Scipioni Asiatico diem dictam esse scribit, quod sex millia pondo auri, CDLXXX. argēti plus accepisset, quam in ærariū retulisset.

De Donatiuo. CAP. III.

CVM prædæ diuisione rectè coniungitur Donatiui largitio, sic enim appellata pecunia fuit ab Imperatore militib. ad eorum animos vel excitandos, vel cōciliandos extra ordinē data: quemadmodū pecunia quę populo diuideretur, Congiariū dicta est. Suetonius *cap. 7.* in Nerone deductus in forum tyro, populo Congiarium, militi Donatiuum proposuit. Plinius in Panegyrico. Nisi verò leuiter attingi placet locupletatas tribus, datumq; Cōgiarium populo, & totum datum, cum Donatiui partem milites accepissent.

Donatiuorum duo genera videntur fuisse, vnum legitimum, index Imperatorum liberalitatis, quod post victoriā aut triumphum ab Imperatore dabatur: alterum quod ad certas res ab Imperatore similiter donabatur.

Hinc Tacitus lib. III. histor. Clauarium donatiuum nominat, id est, vt ego quidem interpretor, quod in clauos caligares comparãdos erogari soleret. Marcellinus quoq; ad barbas tondendas Donatiuum datum significare videtur. Sic enim ait.

Inter tot rerum probabilium cursus, articulosque necessitatum ancipites, sudoribus Gallicanis miles nec donatiuum meruit, nec stipendium. Hocq; exinde clarui: fraude potius quam tenacitate committi: quod cum Cæsar petenti ex vsu gregario cuidam, vt barbas detonderet, dedisset aliquid vile, contumeliosis vocibus appetitus est.

Donatiuum pro liberalitate Imperatoris, ac victorum hostium opibus, maius minusve fuit: habitaque ratio est militiæ ordinis ac dignitatis. Liuius libro XXXVII. de triumpho Asiatici. Militibus quini viceni denarij dati, duplex centurioni, triplex equiti. Et libro XLV. de L. Paulo, pediti in singulos dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti: tantum pediti dãturum fuisse credunt, & parata alijs, si aut non refragati honori eius fuissent, aut benignè, hac ipsa summa nunciata, acclamassent. Et mox de Cn. Octauio, qui triumphum naualem duxit. Dedit socijs naualibus in singulos septuagenos quinos, gubernatoribus qui in nauibus fuerant, duplex, magistris nauium quadruplex.

Ad Donatiuum accipiendum milites nominatim citati, lauroque coronati accedebant: atque vt quisque donatiuum acceperat, ita dein-

deinceps eius nomen expungebatur. Tertul lianus de corona militis. Proximè facta est liberalitas præstantissimorum Imperatorum expungebantur in castris milites laureati. Et mox. Laurea melius coronatus donatitum Christi in carcere exspectat. Et infrà. Eadem laurea in donatiui dispensatione denunciatur. Sulpitius de vita sancti Martini. Iulianus Cæsar, coacto in vnum exercitu, apud Vangionum ciuitatem, donatiuum cœpit erogare militibus, vt est consuetudinis: singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. cap. 1. ibid. cap. 12. cap. 4.

Illud postremò scire in hoc genere operæ precium est, quod scribit Vegetius, coactos milites eius pecuniæ, quam ex donatiuo, vel præda, aut alia ratione bello acquisiuissent, dimidiam partem apud signa deponere, cum, vt ne per luxum ludumq; perderent, tum verò, vt ea obsidis vice pignorisque Imperatori esset, quo milites magis fidos haberet, acriusque animos ad tuenda signa publicæ priuatæque rei amor accenderet. Itaq; singuli sacci per cohortes singulas exponebantur, in quibus hæc pecunia condebatur, præter quos alius addebatur saccus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, ad curanda contubernalium funera, si qui prœlio aut morbo essent extincti: eiusq; pecuniæ depositæ omnis ratio apud signiferos seruabatur, qui eam dominis, militia peracta, redderent. Hinc Liuius libr. III. Romam ferri protinus Sicinium placebat, ni Xuiri funus militare l. 15. c. 12.

ei pu-

ei publica expensa facere maturassent. Et Tacitus li. 1. Annal. de seditione legionum Germanicarum. Cum fisci de Imperatore rapti inter signa, interq; aquilas veherentur. Domitianus tamen, vt Suetonius in vita scribit, prohibuit, plusquam mille nummos à quoquã apud signa deponi, quod L. Antonius res nouas molien-, fiduciam cæpisse ex depositorum summa videbatur.

cap. 7.

CAP. IV.

De donis militaribus.

Ac prædam quidem ac donatiuum omnes milites strenui ignauiq; promiscuè consequebantur: alia verò fuêre præmia, quibus non nisi viri fortes ab Imperatoribus virtutis causa donabantur. ea autem fuêre Coronæ, Torques, Armillæ, Hastæ puræ, Phaleræ, cæteraque huiusmodi non tam precio quam gloria ab omnibus expetita. Igitur prœlio commisso, ac victoria de hostibus reportata, Imperator concionem aduocabat, atq; pro tribunali gratijs Deo actis, militumque virtute communiter collaudata, præcipiebat ijs, quorũ id erat munus, vt iudicarent, qui nam aliquid in prœlio fortiter feciſſent; eosque nomine euocatos in mediũ produci iubebat: ac primum quidquid nõ in eo solum prœlio, sed etiam in reliqua vita fortiter gessissent, honorifica oratione exponebat: tum eos, vniuerso exercitu inspectante, donis quæ diximus ornabat. Polybius lib. v. Iosephus li. vii. Plutarchus in Coriolano, Zonaras & alij.

Liuius

Liuius lib. XXVI. Postero die militibus nauali-busq; socijs cõuocatis, primùm dijs immortalibus laudes gratiasq; egit: militum deinde virtutem collaudauit. Itaq; quamquam omnibus omnia deberet; præcipuum tamen mũralis coronæ decus eius esse, qui primus murũ adscendisset. Et libro XXXVIII. Laudati quoque pro concione omnes sunt donatiq; pro merito quisq;. Hirt. de bell. Hispan. Postero die, re diuina facta, concione aduocata, in conspectu oppidanorum, milites collaudat, totumq; exercitum veteranum donauit præmijs, ac fortissimo cuiq; ac bene merenti pro suggestu tribuit.

Coronarum varia genera fuêre, Obsidionalis, Ciuica, Muralis, Castrẽsis, Naualis, Aurea.

Obsidionalis dicta est, quæ liberatis obsidione, abominandoque exitio totis castris daretur. Graminea hæc fuit, vt omnes tradunt, & quidem ex gramine viridi decerpto inde, vbi obsessos seruasset aliquis. Namque, vt scribit cum Plinio Festus, summum apud antiquos signum victoriæ fuit, herbam victos porrigere, quod ea re significare viderentur, se terra, & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere. Addit Festus sumptum id ex vita pastoricia: nam qui in prato cursu aut viribus contendebant, cùm superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbã aduersario tradebant. Hinc herbam dare, significat, victum se fateri. de quo Varro in Aetijs, id est, causis, vt citat Seruius, ad libr. 8. & vitta comptos, &c.

Plin. li. 22 c. 3. 4. 5.

Festus v. obsidionalis.

v Herbam do.

Cùm

Cùm in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, cum quo contendere non conatur, ac fatetur esse meliorem. Nonius quoq; herbam à veteribus palmam vel victoriam appellatam scribit. Quamuis autem hæc corona Graminea dicta sit; tamen, vt Plinius ait, non ex solo gramine fuit, sed ex herbis etiã quibuslibet ignotis ignobilibusq; quæ quidem in periculi sede fuissent. De hac corona Liu. li. vii. secũdùm Consulis donationem legiones gramineam coronã obsidionalem clamore donũ approbantes, P. Decio imponunt: altera corona eiusdem honoris index à præsidio suo imposita est.

Li. 22. c. 6.

Festus v. Gradiuus.

Corona quidem graminea, Plinio auctore, nulla fuit nobilior in maiestate pop. Ro. præmijsque gloriæ. Cæteras enim coronas omnes singuli & duces ipsi, Imperatoresq; militibus, aut aliquando collegis dedere; decreuit etiam in triumphis senatus, & populus otiosus: graminea numquam, nisi in desperatione suprema contigit, nulli nisi ab vniuerso exercitu seruato decreta. Cæteras Imperatores dedêre, hanc solam miles Imperatori. Quòd si ciuicæ honos vno aliquo, ac vel humilimo ciue seruato præclarus facerq; habetur, quid tandẽ existimari debet, vnius virtute seruatus vniuersus exercitus?

Primus ea donatus est L. Sicinius Dentatus, Postremus Augustus Consul cum M. Cicerone filio à Senatu Idibus Septembribus, vt Plinius auctor est. Eadem præter cæteros à S. P. Q. R. donatus est Fabius ille, qui rem Romanam

nam cunctando restituit, Hannibale ex Italia pulso, vt Plinius ac Gellius scribunt: quæ corona sola ipsius imperij manibus imposita est: & quod peculiare ei est, sola à tota Italia data. *Li. 5. c. 6.*

Proxima gloria Ciuicæ coronæ fuit, quam consequebatur is, qui ciuem seruasset in prœlio. Iligna hæc prima fuit, teste Plinio; postea magis placuit ex esculo Ioui sacra: deinde etiam ex quercu; postremò ex omni arbore glãdifera data: siue quia is cibus antiquissimus fuerit, vt ait Gellius: siue quia, vt scribit Plutarchus, in omnibus locis eius arboris, copia reperitur; vel quia Iunoni & Ioui sacra erat arbor illa, quibus dijs vrbium tutelam assignabant: aut etiam ab Arcadibus id sumptum est, quibus aliqua esse cum quercu cognatio existimabatur: primi enim hominum è terra nati credebãtur, sicut querc' inter stirpes: datũ quoq; id videri potest ipsi arbori, q̃ inter syluestres arbores pulcherrima est, inter domesticas robustissima; præbet præterea, cibũ quidem glandes. potum verò μελίπονα; nec nõ obsonium pecorum ac volucrum: fert enim viscum, quod magnum venationis instrumentum est. Hæc Plutarchus. *Li. 16. c. 4. Plutarch. Probl. 92 & in Coriolan.*

Ciuica corona longè omnibus alijs aureis argenteisque honoratior fuit, licèt illę pretio antecederent; quod, vt ait Plinius, tanto operi nullum aliud premium conuenientius, nisi honor reperiri posse videretur: salutem enim ciuis in pretio esse noluerũt, clara professione seruari hominem nefas esse lucri causa. Pro- *Li. 16. c. 4. Zonaras.*

pte

pterea additæ sunt leges arctæ ac seueræ, quas Plinius commemorat, ne vulgatus honos vilescceret. Ciuem seruare, hostem occidere: Vtque eum locum in quo sit actum, hostis obtineat eo die: vtq; seruatus fateatur; aliàs testes nihil proderant: nam vt ait Ennius apud Seruium in fragmentis.

Qui vicit non est victor, nisi victu' fatetur.

citat Scalig. in Festum. v. Herbam dō.

Vt ciuis fuerit, auxilia, quamuis rege seruato, decus id non dabant, nec crescit honos idem, Imperatore conseruato, quoniam conditores in quocunque ciue summum esse voluerunt: Accepta licebat vti perpetuo: Ludos ineunti semper assurgi etiam ab senatu in more fuit: Sedendi ius in proximo senatui datum: & vacatio munerum omnium ipsi, patrique & auo paterno.

Lib. 5. c. 6.

Massurius autem Sabinus in XI. librorum mirabilium, vt citat Gellius, coronam Ciuicam tum demum dari solitam dicit, cum ijs qui fidem seruassent, eodem tempore hostem etiam occidissent, sic tamen vt locum in ea pugna non reliquissent: aliter ius Ciuicæ concessum negat. Tiberius tamen Cæsar consultus an ciuicam coronam capere posset, qui ciuem in prœlio seruasset, & hostes ibidem duos interfecisset; sed locum in quo pugnabat, non retinuisset, eoque loco hostes potiti essent: rescripsit, eum quoque Ciuica dignum videri, quod appareret è tam iniquo loco ciuem ab eo seruatum, vt etiam à fortiter pugnantibus retineri non quiuerit.

Hanc

Hanc coronam is, qui seruatus fuisset, seruatoris sui capiti, suis ipse manibus imponebat, vt scribit Polybius, eumq; in omni vita veluti parentem colebat, eiq; necessaria ministrabat: quod ni sponte faceret, à Tribunis compellebatur. Hinc illa Ciceronis pro Plancio. At id etiam gregarij milites faciunt inuiti, vt coronam dent ciuicam, & se ab aliquo seruatos esse fateantur: non quod turpe sit protectũ in acie hostium manibus eripi (nam id accidere nisi forti viro & pugnanti cominus non potest) sed onus beneficij reformidant, quod per magnum est alieno debere idem quod parenti. Interdum tamen etiam ciuicam coronam Imperatoris manu impositam Tacitus indicat. lib. XV. Si singulis manipularibus præcipua seruati ciuis corona, imperatoria manu tribueretur: quod illud & quantum decus, vbi par eorum numerus adipisceretur, & qui attulissent salutem, & qui accepissent?

Festus. v. Ciuica.

Atq; initio quidem Ciuica militum virtutis dumtaxat insigne clarissimum fuit; postea etiam clementiæ Imperatorũ, vt ait Plinius, cum ciuilium bellorum odio meritum videri cœpisset ciuem non occidere. Hinc in nummis Augusti videmus coronam ex quercu cũ inscriptione. OB CIVIS SERVATOS.

Murales & Vallares coronæ aureæ vel argenteæ fuêre, quibus donabantur ij, qui primi in hostium muros, vel castra irrupissent: quare Vallaris eadem Castrensis dicta est. erant autem murorum pinnis, & castrorum vallo

insignes, adscripto etiã nomine eius, qui coronã meruisset, vt Polybius, Festus, Gellius, Zonaras alij q; scribunt. Muralis corona priscis temporib. frondea videtur fuisse, qua primus omnium, quorum quidem exstat memoria, à
li.16. c.4. Romulo coronatus est Hostus Hostilius, quod Fidenam primus irrupisset, vt scribit Plinius.
li 7. c.28. Idem alibi Manliũ Capitolinũ primũ omniũ equitem coronam muralem accepisse narrat.

Naualis corona siue classica, aurea itẽ fuit; nauium rostris distincta, quare & Rostrata dicta, quã is cõsequebatur, qui maritimo prœlio primus in hostiũ nauim insiluisset. Olim corona Naualis nemini dabatur, sed rostra nauium tribunali præfixa fori decus erant, veluti populo Roman. ipsi corona imposita: postea subière in capita ciuium rostra, vt ait Plin. lib. xvi. c. iv. Ea corona primum M. Vipsanium Agrippam eo bello, quo Sex. Pompeius victus est, ab Augusto donatũ Velleius,
Dio. l. 49. *epit. 129.* Dio, epitome Liuij, ac pleriq; alij narrant. Plinius tamẽ nauali corona ante Agrippã do-
l. 7. c. 30. & li. 16. cap. 4. natum significat M. Varronem à Pompeio Magno piratico bello.

Aurea corona non ideo est appellata, quod sola fuerit ex auro (nam vallares, murales, rostratas, ex auro item fuisse supra ostensum est) sed quod nulla præterea alia re esset insignis non murorum pinnis, non vallo castrorum, non rostris nauium, nomine tantũ inscripto eius cui donabatur: itaq; ex materia appel-
lib. 33. c. 2. lationem inuenit. Quis ea primus donatus sit negat inueniri Plinius: L. verò Piso A. Postumium

mium Dictatorem apud lacum Regillum, castris Latinorum expugnatis, ei cuius maximè opera capta essent, auream coronam primum dedisse ex præda scripsit. Liu. lib. III. Exercitus coronam auream Dictatori libræ pondo decreuit: & proficiscentem eum patronum salutauit. Et l. VII. Consul, cõcione aduocata, laudatum Tribunum decem bobus aureaq; corona donat. Et l. XXX. Lælium deinde & ipsum collaudatum aurcâ corona donat. Atq; hæc quidem de coronis militaribus.

Torques aurei argenteiq; fuêre, aureis auxiliares & externi: ciues non nisi argenteis donati, Plinio auctore. Cæsar tamen aureos torques duos Præfecto turmæ Cassianæ donauit, vt Hirtius scribit de bel. Hisp. Sueton. de Augusto. Dona militaria aliquanto facilius phaleras, & torques, & quidquid auro argentove constaret, quam vallares & murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat. Tacitus lib. III. Rufus Heluius seruati ciuis decus retulit: donatusq; est ab Apronio torquibus & hasta: Cæsar addidit ciuicam coronam. Milites qui torquem essent consecuti, Torquati dicebantur: quorum duo genera tradit Vegetius. Torquati, inquit, duplares, Torquati simplares erant, quibus torques aureus solidus, virtutis præmium fuit: quem qui meruisset, præter laudem interdum duas consequebatur annonas. Torques ipsi minores Catellæ vocantur. Isidorus libro XIX. capite trigesimoprimo. Catellæ, inquit, sunt catenulę colli inuicem se cõprehendentes in *lib. 2. c. 7.*

modum catenæ. Atq; hi interdum dati militibus, Liu. lib. xxxix. Quinctius suos equites catellis ac fibulis donauit.

Armillæ fuêre ex auro, vel argento, vt ait Festus, sic dictę, quod antiqui humeros cũbrachijs, armos vocabant: gestabantur enim brachio læuo, vt Liuius significat li. 1. Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo habuerunt. Et Plin. lib. xxxix. c. 1v. Pueri qui primus ceciderit dens, vt terram non attingat, inclusus in armillam, & assiduè brachio habitus, &c. Hæ solis ciuibus virtutis causa donabantur, vt ait Plinius. Hinc Isidorus lib. xix cap. xxxi. Armillæ propriè virorum sunt, collatæ victoriæ causa militibus ob armorum virtutem: vnde & quondam vulgo Viriliæ dicebantur. Galbeos quoq; dictas armillas, quibus triumphantes vterentur, & quibus ob virtutem milites donarentur scribit Festus. Liuius lib. x. Papirius Sp. Nautium Sp. Papirium fratris filium, & quatuor centuriones, manipulumque hastatorum armillis aureisque coronis donauit. Ex mox: Equites omnes, ob insigne multis locis operam, corniculis, armillisque argenteis donat. Armillæ formam vtcumq; exprimit idem Isidorus. Ab intellectu, inquit, circuli armilla non discrepat, quia ipsa quoq; hoc vbi ponitur, ambigendo constringit: sed quando armilla latius extenditur, circulus rotundus fit.

lib. 33. c. 2.

Hasta pura, id est, sine ferro donabatur is, qui primum in bello vicisset, vt ex Varrone tradit Seruius. Hæc à Polybio γαίσου vocari vi-

ri videtur, quod ei donatam scribit, qui hostē vulneraſſet. Ioſeph. libr. VII. in donis militaribus numerat δόρατα μακρὰ χρυσᾶ, vnde colligere poſſumus haſtas huiuſmodi deauratas fuiſſe. M. Cato in oratione ad equites, vt citat Feſtus, Donaticas appellauit, Maiores, inquit, ſeorſum, ac diuerſum pretium parauêre bonis atq; ſtrenuis, decurionatus, optionatus, haſtas donaticas, aliaſq; honores. Idem Feſt°, fortes viros propterea haſta donatos ſcribit, quod ea ſignum imperij prælijque ſit.

ad li. 6. Ille vides pura iuuenis q. n. 5

v. Optionat°.

v Calibari haſta, & Haſtæ.

Plutarchus quoq; ab hac conſuetudine donandi haſtas viris fortibus, Romulum Quirinum eſſe dicit appellatum, tanquam Martium & haſtigerum Deum. Suetonius in Claudio Poſidem Spadonem Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donauit.

In vita in extremo.

Vexilla donata oſtendunt illa Salluſtij in oratione Marij. Haſtas, vexillum, phaleras, aliaque militaria dona oſtentare poſſum. Et Sueton. in Auguſto. M. Agrippā in Sicilia poſt naualem victoriam cæruleo vexillo donauit.

De bell. Iug.

Ad maiores quoque ordines dignitateſque in exercitu virtutis honoriſque cauſa promouebantur. Cæſar. lib. VI. bel. Gal. Centuriones nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum, cauſa virtutis, in ſuperiores erant ordines huius legionis traducti. Et lib. I. ciuil. Q. Fulginius propter eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus ad primum haſtatum peruenerat. Et lib. III. eiuſdem. Cęſar Scæuam ab octauis ordinibus ad primipilum ſe traducere pronunciauit. Ioſeph. quo-

que libr. 3. de donis militaribus loquens, quibus à Tito milites donati sunt, καὶ τοῦτο, inquit, ἑκάστου τάξιν ἠλλαττεν εἰς τὸ κρεῖττον: & singulos ad meliorem promouebat ordinem. Stipendium & annona duplicabatur, quæ qui essent consecuti, Duplicarij dicti. Varro libr. IV de ling. lat. Duplicarij dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur, institutũ. Vetus item glossa Duplicarium, διμοίρατον interpretatur. Vegetius quoque Torquatos duplares præter laudem, duas consecutos dicit annonas. Liu. lib. II. Inermes milites, signo amisso signiferos, ad hoc centuriones Duplicariosq; , qui reliquerunt ordines, virgis cæsos, securi percussit. Et lib. VII. Milites qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum donati. Cæsar. l. III. ciu. cohortem duplici stipendio, frumentoque & speciarijs militaribusq; donis amplissimè donauit.

Atque hæc quidem præmia, quæ hactenus sunt commemorata, omnibus, qui in exercitu militarunt, fuêre communia: alia præterea equitum, peditumque, necnon etiam magistratuum propria fuisse traduntur.

Pediti, qui hostem prostrauisset, spoliassetque Phialam præcipuè datam scribit Polyb.

Equitibusque quæ darentur munera, ea aliquid equestre expressum habuisse narrat Zonaras. Equitum propria dona ex argento Phaleræ corniculique ornamenta equorum fuisse traduntur. Phaleras pro phiala equiti do-

na-

natas, qui hostem deiecisset ac spoliasset tradit Polybius. Liu. li. x. Equites omnes, ob insignem multis locis operam, corniculis, armillisque argenteis donat. Et lib. xxix. Pro cõcione postero die laudati, donatique à C. Calpurnio equites phaleris: pronunciauitq; eorũ maximè opera hostes fusos, castra capta & expugnata esse. Suetonius in Augusto. Dona militaria aliquantò facilius phaleras & torques, & quidquid auro argentoue constaret, quàm vallares & murales coronas dabat.

Magistratus autẽ ex inferioribus ordinibus ad superiores promouebantur, vti diximus.

Imperator quoq; ipse à suo exercitu interdum donatus est. Plinius solam coronam obsidionalem Imperatori à militibus dari potuisse scribit. Exercitus tamen obsidione liberatus Quinctio Dictatori ac liberatori auream coronam libræ pondo dedit, vt Liu. narrat li. III. Sæpè etiam noua & honorifica appellatione affectos ab exercitu Imperatores legimus. Sic Quinctus Dictator ab exercitu Patronus salutatus est. Fabius autem Maximus item Dictator, etiam Pater appellatus.

Liu. l. 22. c. 4

Liu. l 3.

Pli. l. 22. c 4.

Præter hæc dona quæ diximus alia fuêre militibus virtutis causa data, vt Pecunia de fisco, Agri de publico, Vestes, Boues, & reliqua huiusmodi pro voluntate Imperatorum donata, quæ singula persequi velle nimis putidum videretur. Hæc tamen omnia militaria dona, aut pleraq; in vno Sicinio Dentato congesta legimus, de quo est illa inscriptio, ex Plinio Gellioque, vt videtur, collecta.

Pli. l. 7. c. 28

Gell. l. 2. c. 11

L. Sicinius Dentatus Trib. pleb. centies vicies præliatus. Octies ex prouocatiõe victor, XLV. *cicatricibus aduerso corpore insignis, nulla in tergo spolia cepit* XXIV. *donatus hastis puris duodeviginti; phaleris* XXV. *torquibus tribus & LXXX. armillis,* CLX. *coronis,* XXV. *Ciuicis,* XIII. *Aureis,* VIII. *Muralibus,* III. *obsidionali.* I. *Fisco æris* X. *captiuis* XX. *Imperatores* IX. *ipsius maximè opera triũphantes secutus.*

Eadem ferè narrat de Aureliano Vopiscus, quem à Valeriano donatum dicit coronis muralibus quatuor, vallaribus quinque, nauali-bus duabus, ciuicis duabus, hastis puris decẽ, vexillis bicoloribus quatuor, tunicis ducalibus rusis quatuor, pallijs proconsularibus duobus, toga prætexta, tunica palmata, toga picta, subarmali profundo, sella eborata. Idẽ de Probo ita scribit. Publicè in concione donatus est hastis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo vno, patera sacrificali quinque libri.

Hæc præmia non solum singuli milites cõsequebantur, sed ordines vniuersi, vt ait Zonaras. Hinc Liuius libro decimo. In conspectu duorum exercituum, & Caruilius suos pro cuiusque merito laudauit, donauitque, & Papirius Spur. Nautium, Spurium Papirium fratris filium, & quatuor centuriones, manipulumque hastatorum armillis aureisq; coronis donauit. Et mox: Equites omnes, ob insignem multis locis operam corniculis armil-

milliſque argenteis donat. Hirt. de bell. Hiſp. Cæſar ob virtutem turmæ Caſsianæ donauit millia XIII. & Præfecto torques aureos duos, & leui armaturæ millia X.

Porrò his præmijs nō ij modò donati ſunt, qui in acie aut oppidi expugnatione fortiter ſe geſsiſſent, ſed etiam, auctore Polybio, qui in priuatis leuibuſq; certaminibus, nulla publica vrgente neceſsitate, aliquod facinus edidiſſent. Qui verò hoſtem ſingulari certamine occidiſſet, is præter alia præmia, hoſtis etiā ſpolia referebat, eaq; domi locis celebrioribus, vt Polibius ait, defigebat. Hinc Liuius li. VI. de Manlio Capitolino. Ad hęc decora belli dicitur non commemoraſſe tantùm, ſed protuliſſe etiam cōſpicienda, ſpolia hoſtium cæſorum ad XXX. dona Imperatorum ad XL. in quibus inſignes duas coronas murales, ciuicas octo. Et libr. X. Cui deorum hominumve indignum videri poteſt, eis viris, quorum domos ſpolijs hoſtium affixis, inſignes inter alios feceritis; pontificialia & auguralia inſignia adijcere?

Quæ quidē ſpolia domibus affixa, vel mutato domino reuelli nō licuiſſe docet Plinius. Li. 35. c. 2. Aliæ, inquit, foris, & circa limina animorum ingentium imagines erāt, affixis hoſtium ſpolijs, quæ nec emptori refigere liceret: triumphabantq; etiam dominis mutatis ipſæ domᵒ: eratque hæc ſtimulatio ſumma & ingens, exprobrātibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.

Quoniam autem difficillimum fuit, vt omnes

pterea additæ sunt leges arctæ ac seueræ, quas Plinius commemorat, ne vulgatus honos vilescceret. Ciuem seruare, hostem occidere: Vtque eum locum in quo sit actum, hostis obtineat eo die: vtq; seruatus fateatur; aliàs testes nihil proderant: nam vt ait Ennius apud Seruium in fragmentis.

Qui vicit non est victor, nisi victu' fatetur.

citat Scalig. in Festum. v. Herbam dã.

Vt ciuis fuerit, auxilia, quamuis rege seruato, decus id non dabant, nec crescit honos idem, Imperatore conseruato, quoniam conditores in quocunque ciue summum esse voluerunt: Accepta licebat vti perpetuo: Ludos ineunti semper assurgi etiam ab senatu in more fuit: Sedendi ius in proximo senatui datum: & vacatio munerum omnium ipsi, patriq; & auo paterno.

Lib. 5. c. 6.

Massurius autem Sabinus in XI. librorum mirabilium, vt citat Gellius, coronam Ciuicam tum demum dari solitam dicit, cum ijs qui fidem seruassent, eodem tempore hostem etiam occidissent, sic tamen vt locum in ea pugna non reliquissent: aliter ius Ciuicæ concessum negat. Tiberius tamen Cæsar consultus an ciuicam coronam capere posset, qui ciuem in prœlio seruasset, & hostes ibidem duos interfecisset; sed locum in quo pugnabat, non retinuisset, eoque loco hostes potiti essent: rescripsit, eum quoque Ciuica dignum videri, quod appareret è tam iniquo loco ciuem ab eo seruatum, vt etiam à fortiter pugnantibus retineri non quiuerit.

Hanc

Hanc coronam is, qui seruatus fuisset, seruatoris sui capiti, suis ipse manibus imponebat, vt scribit Polybius, eumq; in omni vita veluti parentem colebat, eiq; necessaria ministrabat: quod ni sponte faceret, à Tribunis compellebatur. Hinc illa Ciceronis pro Plancio. At id etiam gregarij milites faciunt inuiti, vt coronam dent ciuicam, & se ab aliquo seruatos esse fateantur: non quod turpe sit protectũ in acie hostium manibus eripi (nam id accidere nisi forti viro & pugnanti cominus non potest) sed onus beneficij reformidant, quod per magnum est alieno debere idem quod parenti. Interdum tamen etiam ciuicam coronam Imperatoris manu impositam Tacitus indicat. lib. XV. Si singulis manipularibus præcipua seruati ciuis corona, imperatoria manu tribueretur: quod illud & quantum decus, vbi par eorum numerus adipisceretur, & qui attulissent salutem, & qui accepissent? *Festus. V. Ciuica.*

Atq; initio quidem Ciuica militum virtutis dumtaxat insigne clarissimum fuit; postea etiam clementiæ Imperatorũ, vt ait Plinius, cum ciuilium bellorum odio meritum videri cœpisset ciuem non occidere. Hinc in nummis Augusti videmus coronam ex quercu cũ inscriptione. OB CIVIS SERVATOS.

Murales & Vallares coronæ aureæ vel argenteæ fuêre, quibus donabantur ij, qui primi in hostium muros, vel castra irrupissent: quare Vallaris eadem Castrensis dicta est. erant autem murorum pinnis, & castrorum vallo

insignes, adscripto etiã nomine eius, qui coronã meruisset, vt Polybius, Festus, Gellius, Zonaras alijq; scribunt. Muralis corona priscis temporib. frondea videtur fuisse, qua primus omnium, quorum quidem exstat memoria, à Romulo coronatus est Hostus Hostilius, quod Fidenam primus irrupisset, vt scribit Plinius. Idem alibi Manliũ Capitolinũ primũ omniũ equitem coronam muralem accepisse narrat.

li.16. c.4.

li 7. c.28.

Naualis corona siue classica, aurea itẽ fuit; nauium rostris distincta, quare & Rostrata dicta, quã is cõsequebatur, qui maritimo prœlio primus in hostiũ nauim insiluisset. Olim corona Naualis nemini dabatur, sed rostra nauium tribunali præfixa fori decus erant, veluti populo Roman. ipsi corona imposita: postea subiêre in capita ciuium rostra, vt ait Plin. lib. xvi. c. iv. Ea corona primum M. Vipsanium Agrippam eo bello, quo Sex. Pompeius victus est, ab Augusto donatũ Velleius, Dio, epitome Liuij, ac pleriq; alij narrant. Plinius tamẽ nauali corona ante Agrippã donatum significat M. Varronem à Pompeio Magno piratico bello.

Dio. l. 49.

epit. 129.

l. 7. c. 30. & li. 16. cap. 4.

Aurea corona non ideo est appellata, quod sola fuerit ex auro (nam vallares, murales, rostratas, ex auro item fuisse supra ostensum est) sed quod nulla præterea alia re esset insignis non murorum pinnis, non vallo castrorum, non rostris nauium, nomine tantũ inscripto eius cui donabatur: itaq; ex materia appellationem inuenit. Quis ea primus donatus sit negat inueniri Plinius: L. verò Piso A. Postumium

lib. 33. c. 2.

mium Dictatorem apud lacum Regillum, castris Latinorum expugnatis, ei cuius maximè opera capta essent, auream coronam primum dedisse ex præda scripsit. Liu. lib. III. Exercitus coronam auream Dictatori libræ pondo decreuit: & proficiscentem eum patronum salutauit. Et l. VII. Consul, cõcione aduocata, laudatum Tribunum decem bobus aureaq; corona donat. Et l. XXX. Lælium deinde & ipsum collaudatum aurea corona donat. Atq; hæc quidem de coronis militaribus.

Torques aurei argenteiq; fuêre, aureis auxiliares & externi: ciues non nisi argenteis donati, Plinio auctore. Cæsar tamen aureos torques duos Præfecto turmæ Cassianæ donauit, vt Hirtius scribit de bel. Hisp. Sueton. de Augusto. Dona militaria aliquanto facilius phaleras, & torques, & quidquid auro argentove constaret, quam vallares & murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat. Tacitus lib. III. Rufus Heluius seruati ciuis decus retulit: donatusq; est ab Apronio torquibus & hasta: Cæsar addidit ciuicam coronam. Milites qui torquem essent consecuti, Torquati dicebantur: quorum duo genera tradit Vegetius. Torquati, inquit, duplares, Torquati simplares erant, quibus torques aureus solidus, virtutis præmium fuit: quem qui meruisset, præter laudem interdum duas consequebatur annonas. Torques ipsi minores Catellæ vocantur. Isidorus libro XIX. capite trigesimoprimo. Catellæ, inquit, sunt catenulę colli inuicem se cõprehendentes in *lib. 2. c. 7.*

modum catenæ. Atq; hi interdum dati militibus, Liu. lib. xxxix. Quinctius suos equites catellis ac fibulis donauit.

Armillæ fuêre ex auro, vel argento, vt ait Festus, sic dictę, quod antiqui humeros cũ brachijs, armos vocabant: gestabantur enim brachio læuo, vt Liuius significat li. 1. Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo habuerunt. Et Plin. lib. xxiix. c. 1v. Pueri qui primus ceciderit dens, vt terram non attingat, inclusus in armillam, & assiduè brachio habitus, &c. Hæ solis ciuibus virtutis causa donabantur, vt ait Plinius. Hinc Isidorus lib. xix cap. xxxi. Armillæ propriè virorum sunt, collatæ victoriæ causa militibus ob armorum virtutem: vnde & quondam vulgo Viriliæ dicebantur. Galbeos quoq; dictas armillas, quibus triumphantes vterentur, & quibus ob virtutem milites donarentur scribit Festus. Liuius lib. x. Papirius Sp. Nautium Sp. Papirium fratris filium, & quatuor centuriones, manipulumq́ue hastatorum armillis aureisq́ue coronis donauit. Ex mox: Equites omnes, ob insigne multis locis operam, corniculis, armillisq́ue argenteis donat. Armillæ formam vtcumq; exprimit idem Isidorus. Ab intellectu, inquit, circuli armilla non discrepat, quia ipsa quoq; hoc vbi ponitur, ambigendo constringit: sed quando armilla latius extenditur, circulus rotundus fit.

lib. 33. *c.* 2.

Hasta pura, id est, sine ferro donabatur is, qui primum in bello viciſſet, vt ex Varrone tradit Seruius. Hæc à Polybio γαίσον vocari vi-

ri videtur, quod ei donatam scribit, qui hostē vulneraſſet. Ioſeph. libr. VII. in donis militaribus numerat δόρατα μακρὰ χρυσᾶ, vnde colligere poſſumus hastas huiuſmodi deauratas fuiſſe. M. Cato in oratione ad equites, vt citat Feſtus, Donaticas appellauit, Maiores, inquit, ſeorſum, ac aliorſum pretium parauêre bonis atq; ſtrenuis, decurionatus, optionatus, haſtas donaticas, altoſq; honores. Idem Feſt°, fortes viros propterea haſta donatos ſcribit, quod ea ſignum imperij prælijque ſit.

ad li. 6. Iliades pura iuuenis q. n. 5

v. Optionat°.

v Calibari haſta, & Haſtæ.

Plutarchus quoq; ab hac conſuetudine donandi haſtas viris fortibus, Romulum Quirinum eſſe dicit appellatum, tanquam Martium & haſtigerum Deum. Suetonius in Claudio Poſidem Spadonem Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donauit.

In vita in extremo.

Vexilla donata oſtendunt illa Salluſtij in oratione Marij. Haſtas, vexillum, phaleras, aliaque militaria dona oſtentare poſſum. Et Sueton. in Auguſto. M. Agrippā in Sicilia poſt naualem victoriam cæruleo vexillo donauit.

De bell. Iug.

Ad maiores quoque ordines dignitateſque in exercitu virtutis honoriſque cauſa promouebantur. Cæſar. lib. VI. bel. Gal. Centuriones nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum, cauſa virtutis, in ſuperiores erant ordines huius legionis traducti. Et lib. I. ciuil. Q. Fulginius propter eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus ad primum haſtatum peruenerat. Et lib. III. eiuſdem. Cęſar Scæuam ab octauis ordinibus ad primipilum ſe traducere pronunciauit. Ioſeph. quo-

que libr. 3. de donis militaribus loquens, quibus à Tito milites donati sunt, κρὸς τὸν, inquit, ἑκάστου τάξιν ἤλλαττεν εἰς τὸ χρεῖττον: & singulos ad meliorem promouebat ordinem. Stipendium & annona duplicabatur, quæ qui essent consecuti, Duplicarij dicti. Varro libr. IV de ling. lat. Duplicarij dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur, institutũ. Vetus item glossa Duplicarium, διμοίρων interpretatur. Vegetius quoque Torquatos duplares præter laudem, duas consecutos dicit annonas. Liu. lib. II. Inermes milites, signo amisso signiferos, ad hoc centuriones Duplicariosq́; , qui reliquerunt ordines, virgis cæsos, securi percussit. Et lib. VII. Milites qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum donati. Cæsar. l. III. ciu. cohortem duplici stipendio, frumentoque & speciarijs militaribusq́; donis amplissimè donauit.

Atque hæc quidem præmia, quæ hactenus sunt commemorata, omnibus, qui in exercitu militarunt, fuêre communia: alia præterea equitum, peditumque, necnon etiam magistratuum propria fuisse traduntur.

Pediti, qui hostem prostrauisset, spoliassetque Phialam præcipuè datam scribit Polyb.

Equitibusque quæ darentur munera, ea aliquid equestre expressum habuisse narrat Zonaras. Equitum propria dona ex argento Phaleræ corniculique ornamenta equorum fuisse traduntur. Phaleras pro phiala equiti do-

na-

natas, qui hostem deiecisset ac spoliasset tradit Polybius. Liu. li. x. Equites omnes, ob insignem multis locis operam, corniculis, armillisque argenteis donat. Et lib. xxix. Pro cõcione postero die laudati, donatique à C. Calpurnio equites phaleris: pronunciauitq; eorũ maximè opera hostes fusos, castra capta & expugnata esse. Suetonius in Augusto. Dona militaria aliquantò facilius phaleras & torques, & quidquid auro argentoue constaret, quàm vallares & murales coronas dabat.

Magistratus autẽ ex inferioribus ordinibus ad superiores promouebantur, vti diximus.

Imperator quoq; ipse à suo exercitu interdum donatus est. Plinius solam coronam obsidionalem Imperatori à militibus dari potuisse scribit. Exercitus tamen obsidione liberatus Quinctio Dictatori ac liberatori auream coronam libræ pondo dedit, vt Liu. narrat li. III. Sæpè etiam noua & honorifica appellatione affectos ab exercitu Imperatores legimus. Sic Quinctus Dictator ab exercitu Patronus salutatus est. Fabius autem Maximus item Dictator, etiam Pater appellatus. *Li. 22. c. 46* *Liu. l 3.* *Pli. l. 22. c 3.*

Præter hæc dona quæ diximus alia fuêre militibus virtutis causa data, vt Pecunia de fisco, Agri de publico, Vestes, Boues, & reliqua huiusmodi pro voluntate Imperatorum donata, quæ singula persequi velle nimis putidum videretur. Hæc tamen omnia militaria dona, aut pleraq; in vno Sicinio Dentato congesta legimus, de quo est illa inscriptio, ex Plinio Gellioque, vt videtur, collecta. *Pli. l. 7. c. 28* *Gell. l. 2. c. 11*

milliſque argenteis donat. Hirt. de bell. Hiſp. Cæſar ob virtutem turmæ Caſsianæ donauit millia XIII. & Præfecto torques aureos duos, & leui armaturæ millia X.

Porrò his præmijs nō ij modò donati ſunt, qui in acie aut oppidi expugnatione fortiter ſe geſsiſſent, ſed etiam, auctore Polybio, qui in priuatis leuibuſq; certaminibus, nulla publica vrgente neceſsitate, aliquod facinus edidiſſent. Qui verò hoſtem ſingulari certamine occidiſſet, is præter alia præmia, hoſtis etiā ſpolia referebat, eaq; domi locis celebrioribus, vt Polibius ait, defigebat. Hinc Liuius li. VI. de Manlio Capitolino. Ad hęc decora belli dicitur non commemoraſſe tantùm, ſed protuliſſe etiam cōſpicienda, ſpolia hoſtium cæſorum ad XXX. dona Imperatorum ad XL. in quibus inſignes duas coronas murales, ciuicas octo. Et libr. X. Cui deorum hominumve indignum videri poteſt, eis viris, quorum domos ſpolijs hoſtium affixis, inſignes inter alios feceritis; pontificialia & auguralia inſignia adijcere?

Quæ quidē ſpolia domibus affixa, vel mutato domino reuelli nō licuiſſe docet Plinius. *Li. 35. c. 2.* Aliæ, inquit, foris, & circa limina animorum ingentium imagines erāt, affixis hoſtium ſpolijs, quæ nec emptori refigere liceret: triumphabantq; etiam dominis mutatis ipſæ dom⁹: eratque hæc ſtimulatio ſumma & ingens, exprobrātibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.

Quoniam autem difficillimum fuit, vt omnes

mnes qui se fortiter in prælio gesserant, ab Imperatore notarentur, idcirco pro concione Imperator iubebat eos, qui alicuius facinoris conscij sibi essent, nomen suum profiteri. Liu. lib. xxvi. Postero die militibus naualibusq; socijs conuocatis, primùm dijs immortalibus laudes gratiasq; egit, militum deinde virtutē collaudauit: itaq; quanquam omnibus omnia deberet, præcipuum tamen muralis coronæ decus eius esse, qui primus murum adscendisset: profiteretur qui sē dignum eo duceret dono; duo professi sunt. Profitebantur autem apud Tribunos, vt scribit Polybius: interdum etiam per libellos, vt Suetonius in Vitellio, Plutarchus in Galba tradunt. Hinc Tacit. li. i. hist. Plures quàm c x x. libellos prēmia exposcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius postea inuenit. Addit Polybius probro datum esse militi, qui se falsò apud Tribunos iactasse conuinceretur.

Porro militibus, qui virtutis caussa fuerant à suis Imperatoribus donati, licuit, Polybio auctore, in pompis donis illis ornatos incedere. Neque solùm viui ea gloria fruebantur, sed eadem mortuos etiam prosequebatur: nam ad sepulchrum cùm efferebantur, omnia illa dona præcedebant, vt ait Polibius. Lex quoq; fuit xxii. tabularum. Qui coronam virtute peperisset, vt ipsi mortuo parentibusq; eius, dum intus positus esset, foriſve ferretur, sine fraude esset imposita. Quæ licet Plinius de coronis ludicris interpretetur, multò certè æquius de bellicis etiam intelligi videntur posse.

Cic. lib. 2. de leg. Pli. li. 21. c. 3.

De

De Missione honesta.

CAPVT V.

INter dona militaria numeratur missio honesta (fuit enim alia ignominiosa) quam qui esset consecutus, simul à militia vacationem habebat. Hæc autem duplex fuit, Iusta, & Honoraria siue Gratiosa. Iusta data est ijs, qui legitimæ militiæ annos omnes confeciſſent: Gratiosa vel honoraria extra ordinem gratiæ honorisq; causſa tributa. Vlpianus li. 3. D. de ijs qui notantur infamia. Missio honesta est, quæ emeritis stipendijs, vel ante, ab Imperatore indulgetur. Et Macer lib. XLIX. D. de re militari. Missio honesta est, quæ tempore militiæ impleto datur. Liu. lib. XLIIII. Et quorum ante emerita stipendia, gratiosa missio sibi visa esset. Iustam missionem adepti Veterani Emeritiq́ue nominantur. Isid. lib. IX. Emeriti dicuntur veterani solutiq; milites, qui iam in vsu prœlij non sunt, quia mereri militare dicitur, à stipendijs scilicet quæ merẽtur. Ijdem & Veterani dicuntur, quia iam in vsu prœlij non sunt, sed post multos militiæ labores, quietis suffragium consequuntur. Suidas Βετερᾶνος ὁ ἀπολυθεὶς τ στρατείας. Vnde Emerita stipendia. Gratiosam missionem consecuti, Beneficiarij videntur appellati. Festus. Beneficiarij, milites qui vacant munerisbeneficio. Cæs. lib. III. bel. ciu. Euocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiarijs superiorum exercituum ad eum confluxerant.

Quænam autem fuerint apud Romanos legi-

gitima militiæ stipendia haud facilè dictu videtur. Antiquissimis temporibus legitima stipendia Equiti decem annorum fuêre, vt Polybius scribit, Pediti verò sex: quòd si hic honores in Repub. petere vellet, item vt Equiti decimus annus militiæ finitus. vetabat enim lex Romæ magistratum capere aliquem, qui decem minimum annorum stipendia non haberet, vt alibi ostensum est. De Equitum stipendijs idem colligitur ex Liuio li. xxvii. Illis omnibus adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant: addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent ijs, qui equo publico meruerant; sed dena stipendia equis priuatis facerent. Hoc autem non sic est accipiendum, vt militiæ assignatos annos continenter in castris milites fuerint, præsertim nondum perpetuis legionibus institutis: sed, vt vno aliquo bello functi milites, dimitterentur; cum eo tamen, vt nouo aliquo exoriente bello, Sacramento rursus rogari possent, ac militare cogerentur; donec legitimos militiæ annos explessent: Ita tamen vt stipendia omnia, intra annum decimumseptimum, & quadragesimum sextum (quibus quasi terminis ætas militaris finita est) cõficerentur, quibus emeritis milites sacramento legibusque soluti missionem, ac reliqua veteranorum commoda consequerentur. Liuius lib. xxiii. Placuit in Siciliam ex Dictatoris legionibus reijci militem minimi quemque roboris, nullo præstituto militiæ tempore, nisi quod stipen-

pendiorum legitimorum esset. Et libr. XXIV. Censores nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent, quibus neq; vacatio iusta militiæ, neq; morbus caussa fuisset. Et lib. VII. Exercitum purgare missionibus instituit, alijs emerita dicendo stipendia esse, alios graues iam ætate, aut viribus parum validos.

Atq; in Equitibus quidem nihil variatum puto: in peditum militia posterior ætas aliquid immutauit. Cũ enim, alijs ex alijs bellis nascentibus, Resp. militibus indigeret, neq; omnibus missio, missionisq; præmia dari possent; militiæ anni conniuente senatu, producti sunt; ac diutius milites quam lex permittebat, sub signis retenti. Hinc sæpè militum querelæ, legitimis stipendijs confectis, aut militiam detrectantium, aut missionem postulantium. Liuius lib. XXXII. Atrox seditio militum, qui ex Africa post deuictum Hannibalem in Siciliam, inde anno ferè post in Macedoniam pro voluntarijs transportati erãt: id voluntate factum negabant. Sed vtcumque seu inuita, seu suscepta foret militia, eam exhaustam, & finem aliquem militandi fieri æquum esse. Et libr. XXXIV. Cum milites frequentes Tribunos pl. adissent, vti caussas cognoscerent eorum, quibus emerita stipendia essent. Huc spectans Sallustius Cæsarem Dictatorẽ admonet, vt videat, ne vti adhuc militia iniusta & inæqualis sit; cum alij triginta, pars nullum stipendium faciat. Tib. Gracchus, teste Plutarcho, cogitauit lege lata militiæ an-

de Repu. ordinanda.

litiæ annos imminuere: sed eam legem non perlatã ostendunt illa verba C. Gracchi, quibus post fratris mortem aduersarijs respondit, se annos duodecim militasse, cum decem duntaxat lege definiti essent, vt refert Plutarchus.

Cum igitur frequentes ob eam rem militum seditiones exsisterent, missionem, missionisq; commoda stipendijs emeritis postulantium; Augustus, vt in vita scribit Suetonius, militiam ad certam stipendiorum præmiorumq; formulam adstrinxit, definitis pro gradu cuiusq; & temporibus militiæ, & commodis missionum. Ac Prætorianorum quidẽ cohortium, auctore Dione, stipendia duodecim annorum esse iussit; cæterorum autem sexdecim: quibus confectis ab armis dimitterentur, & præmia missionis acciperent.

Cum autem nihilo minùs Augusta lex, quã olim Tullia custodiretur; ac Tiberio imperante, pleriq; tricena & quadragena stipendia haberent, ortis ob eam rem in Pannonia & Germania militum seditionibus, Tiberius constituit, vt vicena stipendia emeritis missio daretur, vt scribit Dio lib. LVII. De quare Tacitus lib. 1. Annal. in extremo. Edixit Tiberius, imparem oneri Rempubl. nisi vigesimo militiæ anno veterani dimitterentur: ita proxima seditionis malè consulta, quibus sexdecim stipendia expresserant, abolita in posterum. Atq; hinc vigesimus annus militiæ legitimus deinceps videtur fuisse, post quem milites ab exercitu dimitterent. Codic. lib. x.

de ijs

de ijs qui non impleuerunt stipendia. Veteranis ita demum onerum ac munerum personalium vacatio iure conceditur, si post vigesimũ annum militiæ in legione vel vexillatione militauerint, honestam vel caussariã missionem consecuti esse ostendantur. Et li. xxii. de re milit. Viginti stipendia si impletis, sordida munera vobis non indicentur. Et li. v. de Excusationib. veteranorũ: Qui caussaria missione, Sacramento post viginti annorũ stipẽdia soluuntur, & integram famam retinent; ad publica priuilegia veteranis concessa pertinent. Suidas Βετερανὸς· ὁ δὲ ῥωμαίοις ὁ ὁπλυθεὶς τῆς στρατείας· ἐπὶ ἔτη εἰκοσαετίαν ἅπτοι ἐδιδόσαν. Seruius tamen, eumq; imitatus Isidorus, militiæ tempus annis quinq; & viginti definit, nisi forte mendũ sit. Sacramẽto, inquit, rogati, qui post electionẽ in Remp. iurant: & hi sunt qui habent plenam militiã; nam & viginti quinq; annis tenentur. Missionem videntur cognouisse Tribuni. Tacitus lib. 1. An. Misio per Tribunos maturatur.

Seru. l. 9. Aen. Sacrata resoluere iura.

Isidor. lib. 9. cap. 3.

CAP. VI.

De Exauctoratione.

ATq; olim quidem stante Repub. Romana, vna simplexq; fuit Missio honesta, quam adepti milites, commoda & priuilegia illa simul consequebantur, de quibus mox dicemus. Ab Augusti tempore duplex facta. Is enim cum Prætorijs cohortib. duodecim annorum militiam, reliquis sexdecim definisset, post

set, post quos missionem præmiaq; adipiscerentur: ex altera autem parte videret milites, missione præmiisq; semel impetratis, non fere in bellum retrahi posse: instituit, vt Prætorijs cohortibus post decimum sextum militiæ annum, quinq; drachmarum millia soluerentur: reliquis verò qui annua viginti stipendia haberent, tria drachmarum millia tribuerentur; qua præmij spe milites, quatuor annis amplius in castris continebantur, vt scribit Dio lib. L v. Hinc Tacitus lib. 1. Annal. An Prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, quæ post sedecim annos patribus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Eam pecuniæ summam Caligula videtur imminuisse, quem scribit Suetonius commoda emeritæ militiæ ad sex millium nummorum (sic enim legendum videtur) summam recidisse: vt ex tribus drachmarum millibus, quod Augustus militibus pollicitus fuerat, ipse dimidium detraxerit; drachma enim sicut denarius quattuor continet nummos, siue sextertios.

Hæc igitur Semiplena missio proprio nomine Exauctorario dicta est, militesque exauctorati (quamquam etiam hoc nomine interdum & plena, & ignominiosa missio significari solet) Sacramento enim soluti milites, aquila signisque ademptis, seorsum in exercitu sub vno aliquo vexillo habebantur, donec præmia persoluerentur: interea immunes erant à labore, vigilijs, & munere omni castrensi, excepta pugna in hostem. Tacitus lib. III.

lib.iii. An. Placitum vt epistolæ nomine Principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia emeritis: exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo, cererorum immunes nisi propulsandi hostis. Hinc illæ apud eŭdem querelæ militum. Ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos, alio vocabulo eosdem labores perferre. Et mox. Nec aliud leuamentum, quam ne vltra sub vexillis tenerentur; sed ijsdem in castris pecunia solueretur. Et alibi: Veterani nuper missi sub vexillo hyemabant. Et li.3. Vexillum veteranorum non plus quingenti numero. Ex quo etiam Vexillarij dicti videntur. Tacitus li.1. Annal. Vexillarij discordium legionum, Et alibi: Vexillarij XIV. XV. legionum. Dicti etiam ijdem Emeriti. Gloss. vet. Emeritus, ἔνπμ@ χ ςρατιωτικὸς καμάτος. Et Emeritum, pecunia quæ præmij nomine soluebatur. Modestin. Dig. de re milit. Qui militiæ tempus in desertione impleuit, Emerito priuatur. Et Menander ibid. si expleto tempore militiæ redeat, vt veteranus restituetur, & Emeritum capiet.

Lib.1. Ann.

Ibid.

De Præmijs ac Priuilegijs Veteranorum.

CAPVT VII.

VT autem milites præmiorum spe labores fortius ferrent; neq;, quod iniquissimum videbatur, attrita bellis iuuentute, senectute demùm egere cogerentur; vbi legitimi tẽporis stipendijs confectis missionem impetrassent, ijs agri diuidebantur, quorum cultura

vitam reliquam sustinerent: aut quod Augustum instituisse Dio scribit, pro agris ratam pecuniæ summam accipiebant. Hinc Diuus Ambrosius de viduis. Confectis & miles stipendijs arma deponit, & relicto officio quod gerebat, ad propria Veteranus dimittitur: vt & ipse exercitæ laboribus vitæ requiem consequatur, & alios spes futuræ quietis faciat operibus quietiores. Seruius interpretans versum illum Ex libro XII. En agros, & quam bello Troiane petisti Hesperiam: Consuetudo, inquit, erat, vt victores Imperatores agros militibus suis darent. Higinus. Multis legionbus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tyrocinij gradu peruenire: nam cum signis & aquila & primis ordinibus ac tribunis deducebantur: modus agri pro portione officij dabatur. Ferunt quidam indictum postea modum belli, & expleta centesima hostium congressione ad colendum reductos terrarum agros.

Li. 54.

Agrorum autem diuidendorum ratio duplex fuit. nam aut sine vlla Coloniæ mentione milites in agris constituti sunt: aut ijsdem ita sunt agri assignati, vt in Coloniam etiam aliquam conscriberentur. Liuius libr. VI. Ad militiam, quò paratior plebs esset, quinque viros Pompeiano agro diuidendo, & triumuiros Ne pet Colonię deducendę creauerunt. Et Epitoma Liuij LXXXIX. Silla septem & quadraginta legiones in agros captos deduxit, & eos

& eos ijs diuisit. Appianus oppida duodeuiginti cum agris ab Augusto Veteranis assignata scribit libr. IV. Hinc Higinus refert finitis ampliorum bellorum operibus, augendæ Reipubl. caussa, illustres Romanos viros vrbes constituisse, quas aut victoribus populi Romani ciuibus, aut emeritis militibus assignarent.

Quacumque verò ratione agrorum diuisio fieret, omnino aut Senatus consulto, aut populi rogatione aliqua siue lege opus fuit, quæ agrum, qui esset diuidendus, definiret, quamquam Velleius, extremis Reipublicæ temporibus milites in agros & Colonias militares, ab Imperatoribus sine auctoritate Senatus deductos videtur significare, quæ Coloniç militares dictæ sunt, quarum auctor Silla Dictator fertur. Hinc Liuius lib. XXXII. initio, decretum dicit à Senatu, vt omnes milites exauctorati domum dimitterentur: Cn. Sergio, vt militibus, qui in Hispania stipendia, per multos annos feciſſent, agrum assignandum curarent. Et libro trigesimo quinto. Vibonem Colonia deducta est ex S. C. plebisque scito, tria millia & septingenti pedites ierunt, trecenti equites: quina dena iugera agri data in singulos pedites, duplex equitibus. Frontinus de Veijs Colonia; Ager eius, inquit, militibus est assignatus lege Iulia. & alibi. Suessula lege Sillana deducta: ager eius veteranis militibus Sillanis in iugeribus est assignatus.

Hi autem agri fuêre vel de hostibus capti

neque dum in publicum redacti, aut publici & à populo Rom. possessi, ære publico diuidendi gratia empti: hoc enim docet Brutus apud Appianum libro secundo. Vos, inquit, pro rebus gestis præmia, quæ olim dabat populus, referetis: qui nec suis nec innocentibus hominibus agros adimebat, neque illis aliena donabat, neque iniuria facienda, gratiam referri oportere putabat: idemque hostes victos non omni agro, sed parte multabat; in eamque emeritos deducebat, vt essent quasi hostium quos deuicissent, custodes: cūque sæpè agri armis parti non essent satis, publicos quoque diuisit; aut alios emit: hoc pacto deducere populus solebat sine cuiusquam sollicitudine ac molestia. Hæc quidem Brutus: Cicero tamen secunda Agraria negat à maioribus traditum, vt agri diuidendi caussa, publicè emerentur: Hic iam illud, inquit, ne disputo quidem non esse hanc vobis à maioribus relictam consuetudinem, vt emantur agri à priuatis, quo plebs publicè deducatur.

Neque verò solùm ager lege definitus est, qui diuidi deberet, sed numerus etiam eorum quibus diuidendus erat, modusque iugerum agri singulis assignandorum, limitesque præscripti. Modus autem agri pro concione officij dabatur, vt scribit Higinus. Hinc Liuius lib. xxxv. Eodem anno Coloniam Latinam in agrum Gerentinum Triumuiri deduxerūt, tria millia peditum ferè, trecentos equites: numerus exiguus pro copia agri; dari potuêre tri-

tricena iugera in pedites, sexagena in equites: Apustio auctore tertia pars agri dempta est, quo postea, si vellent, nouos colonos adscribere possent. vicena iugera pedites, quadragena equites acceperunt. Et lib. XL. Aquileia Colonia Latina, eodē anno in agro Gallorum est deducta: tria millia peditum quinquagena iugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt.

Hæc porrò agrorum diuisio per curatores agrorum fiebat, qui plures paucioresve ex S. C. modò per Consulem, modò per Prætorem vrbanum tributis comitijs sunt creati. Cicero II. Agraria. Toties legibus agrarijs curatores constituti sunt, triumuiri, quinqueuiri, decemuiri: quæro à populari tribuno plebis, ecquando nisi per xxx. tribus creati sunt? Liuius libr. xxxi. Decreuerunt Patres, vt M. Iunius Prætor vrbanus, X viros agro metiendo diuidendoq; crearet. Et libr. xxxii. narrat L. Cornelium Cons. iussum creare III. viros purgandis supplendisq; Harnienſibus Colonis.

Curatoribus igitur creatis legiones vniuersæ sub vexillo integris ordinibus deducebantur. Higinus: Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primò tirocinij gradu peruenire: nam cum signis, & aquila, & primis ordinibus, ac Tribunis deducebantur. Antonius quoq; Consul apud Appianum ait, Milites à Cæsare vnà cum armis quibus meruerant, atq; ijsdem ordinibus in agros

esse deductos. Hinc illa Taciti veterem morem in Tarentina & Antiana Colonijs requirentis: Non vt olim vniuersæ legiones deducebantur cum Tribunis, & Centurionibus, & sui cuiusq; ordinis militibus, vt consensu & caritate Rempubl. efficerent, sed ignoti & inter se, diuersis manipulis sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium, repente in vnum collecti, numerus magis quam Colonia.

Vbi autem in agros peruentum erat, si Colonia esset constituenda, auspicijs ritè captatis, vrbem & agrum circumscribebant. Varro libro quarto, de ling. lat. Oppida quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & vrbo vrbes: & ideo Coloniæ nostræ in libris antiquis scribuntur vrbes, quod item conditæ vt Roma: & ideo Coloniæ vt vrbes conduntur, quod intra pomœrium ponuntur. Romulum porrò tauro & vacca iunctis, vrbi condendæ, locum circumaratse ac designasse tradit Dionysius. Et Cicero in Antonium: Casilinum Coloniam deduxisti, vt vexillum tolleres, & aratrum circumduceres: cuius quidem vomere portam Capuæ pænè perstrinxisti.

Vrbe agroq; circumscripto ac dimenso, curatores suam cuiq; agri partem assignabant: vnde agri diuisi & assignati, teste Frontino, dicuntur. Qua in re scitum est illud quod Flaccus Siculus ait, siluas & loca aspera in assignationem non venisse, si quid amari, vel incerti soli

ti soli esset, id assignatione non datum: sed militi veteranoq; culturam assignatam. Ex quo Lepidus Consul præmia agrorum à Silla militibus data in concione sic illusit, quemadmodum refert Sallustius: Maximam, inquit, mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera ac labores nihil præter tyrannum quæsitum est: egregia scilicet mercede, cum relegati in paludes & siluas contumeliam atq; inuidiam suam, præmia penes paucos intelligerent.

Hinc illæ apud Tacitum Pannonicarum querelæ legionum: Ne demissis quidem finem esse militiæ; sed apud vexillum retentos, alio vocabulo eosdem perferre labores: ac si quis tot casus vita superauerit, trahi adhuc diuersas in terras, vbi per nomen agrorum vligines paludum vel inculta montium accipiant.

Agri, oppidaq; quæ militibus assignabantur, ea lege videntur data, vt ijs sese dum viuerent sustentarent; hæredibus autem ne relinquerent: Constantinus autem Imperat. statuit vt eadem ad filios atque hæredes transirent. Coloniarum tamen alia ratio fuit: nam ciuitatem noui Coloni constituere. *Pompon. lat in Constantino.*

Veterani igitur in agris collocati, aut in oppida Coloniasq; adscripti vxores ducebant, liberis suscipiendis, agrisq; colendis operam dabant: quod vtrumq; ijs dum stipendia facerent, posterioribus temporibus, fuit inter-

dictum. Milites enim, perpetua militia instituta, cælibes fuisse supra ostensum est: vnde Tacitus lib. xiv. Veterani, inquit, Tarentum & Antium adscripti, non tamen infrequentiæ locorum subuenere, dilapsis pluribus in prouincias, in quibus stipendia expleuerant; neque coniugijs suscipiendis, neq; alendis liberis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant. Sed neq; agros colere potuisse leges ostendunt, quæ milites in ea prouincia in qua militant agros emere prohibent, emptumque fisco vindicant, ne studio culturæ à militia auocentur.

Dig. de re milit.

Præter hæc autem multis alijs priuilegijs veterani ornabantur. Ij enim pœnis ac tormentis plebeiorum eximebantur, vt habetur in Pandectis de priuilegijs veteranorũ: quod non ipsis tantum veteranis, sed eorum etiam liberis concessum est: itaq; nec in metallum damnabantur, nec in opus publicum, vel ad bestias, nec fustibus cædebantur. Id autem ad primum duntaxat gradum pertinuisse lex Codicis de pœnis ostendit. Sed neq; in causis criminum tormentis, plebeiorumq; pœnis subijci poterant, lege Codic. de Quæstionib. Seuerus quoque Imper. ijsdem ius gestandi annuli aurei tribuit, vt scribit Herodianus. Omitto iura testamenti militaris, aliaque multa, quæ in Pandectis, & Codice leguntur.

Lib. 3.

Cum igitur missionẽ tot commoda sequerentur, ea nõ nisi maxima diligentia ab Impp. concedebatur. Suetonius in Tiberio. Missiones ve-

pes veteranorũ rariſſimas fecit, ex ſenio mortem, ex morte compendiũ captans, nimirum quia mortuis, aut cũ ignominia dimiſſis præmia non debebantur. Huc ſpectaſſe legem ſacratam militarem puto, quam per ſeceſſionẽ latam ſcribit Liuius, Ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente, deleretur: videlicet vt confectis legitimis ſtipendijs, miſſionis præmia poſſet accipere.

De Pœnis militaribus. CAP. VIII.

NEC verò minus ſeueri Romani fuêre in militum delictis puniendis, quam in virtute honoranda liberales. Itaq; vt præmia, ſic animaduerſiones multæ ſunt in militem conſtitutæ, quarum metu inter armorum licentiã militaris diſciplina cuſtodiretur. Porrò in militaribus delictis, non proditiones modo, tranſfugiaq; ponebantur, ſed etiã, auctore Polybio, qui furto aliquid ſurripuiſſet, loco ceſſiſſet, arma aut amiſiſſet, aut alienaſſet, falſum dixit teſtimoniũ, prẽmij cõſequẽdi cauſa mentitus eſſet, impudicè viueret, quodq; admirabilius etiam eſt, ſi Imperatoris iniuſſu, cum hoſte pugnaſſet, aut tardius de prœlio exceſſiſſet. Hinc illa apud Salluſtium. *De Coniurat. Catil.* In bello ſæpius vindicatum eſt in eos, qui cõtra imperium in hoſtem pugnauerant, quiq; tardius reuocati prœlio exceſſerant: quã qui ſigna relinquere, aut pulſi loco cedere auſi erant.

Cum igitur militaria delicta alia leuia, alia grauiora eſſent: pœnæ quoq; aliæ leuiores,

aliæ acerbiores sunt constitutæ: quamquam qui in leue delictum tertiò incidisset, in eum grauiore pœna animaduersum fuisse Polybius scribit. Lenis autem animaduersio fuit, quæ ignominiam duntaxat inusſit. Grauior quæ in ipso corpore exercebatur, & vel caput, vel libertatem petebat: neq; enim in castris locum habuêre Porciæ, Semproniæve leges, quæ à tergo & capite ciuium virgas fasçesq; remouerunt. Et quamuis omnis pœna grauior haberet ignominiam coniunctam, tamen in alijs ipsa pœna, in alijs ignominia ipsa acerbior videbatur. Festus. Deprehensa dicitur genus militaris animaduersionis castigatione maior, ignominia minor.

Atq; vt à pœnis grauioribus ordiamur: Verberatio duplex fuit, altera virgarũ, fustis altera. Virgis milites in delictis leuioribus castigabantur, & castigatio dicta est; nam licet inureret dolorem, tamen vitam non adimebat. Valerius lib. II. c. II. C. Cotta P. Valerium sanguine sibi iunctum, virgis cæsum militiæ munere inter pedites fungi coêgit, quod eius culpa agger incensus, & pœnè castra erant capta.

Fustigatio in atrocioribus criminibus adhibita est, quæ mortem afferebat ignominiosam, cuius exsequendæ ratio hæc fuit, auctore Polybio. Accepto fustè Tribunus, vix tamen attingebat damnatum, quòd vbi factum erat, omnes qui erant in castris, cædêtes fustibus lapidibusq;, plerosq; in ipsis castris conficiebant. Ac si qui euasissent, nec sic quidem ser-

uari

uari poterant: quippe quibus neq; in primam redire liceret, neq; à propinquis domum recipi. Causæ autē cur quis fuste percuteretur, ex subiectis auctoritatib. colligi possunt. Cicero Philip. 3: Si Consul ille, fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reliquerunt. Li. l. v. Fustuariū meretur qui signa relinquit, aut præsidio decedit. Velleius lib. posteriore Caluinus, Domitius, cum ex consulatu obtineret Hispaniam, grauissimi comparandique antiquis exempli auctor fuit: quippe primipili centurionem nomine Vibiliū, ob turpem ex acie fugam, fuste percussit. Hirtius de bell. Hispan. Miles qui fratrem suum in castris iugulasset, interceptus est à nostris, & fuste percussus.

In communib. autem & ordinarijs militum delictis, in Ciues vitę, in Socios fuste Romani animaduertebāt; cū videlicet vno aut altero ictu contenti peccantes milites admonebant. Tacitus lib. 1. Annal. Centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetijs vocabulum, Cedo alteram inclamarant: quia fracta vitæ in tergo militis, alteram clara voce, & rursus aliam poscebat. Iuuenalis Satyra VIII.

Nodosam post hæc frangebat verticè vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Et epitoma LVII. Si quem militem extra ordinem deprehendisset: Si Romanus esset, vitibus, si extraneus, fustibus cecidit. Quare cum honestius esset vite cedi, quam fuste; ideo dixit Plinius Centurionum in manu vitis optimo precio tardos ordines ad

lentas

lentas perducit aquilas: atq; etiam in delictis pœnam ipsam honorat. Liuius tamen. Drusus in tribunatu legem promulgauit, ne Latini in exercitu virgis cæderentur, auctor Plutarchus in C. Graccho.

Sequitur securis percussio. Cum igitur aliquis capite plectendus erat, fossa extra vallū fodiebatur, quē ad vsum ignoro: certè hunc morem significat Tacitus lib. 1. Annal. Cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi referebant, quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captiuis, quæ scrobes, &c. Scrobes nominant, in quas demissi fuerant captiui, vt securi ferirentur, quod etiam clarius docet idem lib. XV. sub finem, Pœna Flauij, Vejanio, Nigro, Tribuno mandata. is proximo in agro Scrobem effodi iussit: quem Flauius, vt humilem & angustum increpans, circumstantibus militibus: Nec hoc quidem, inquit, ex disciplina admonitus fortiter protendere ceruicem, vtinam, ait, tu tam fortiter ferires, &c.

Ac primis quidem temporibus ferè securi percutiebantur, post gladij vsus increbuit; artisq; putebatur, collum vno ictu amputare. Hinc Lucanus lib. VIII.

Collaq; in obliquo ponit languentia transtro.
Tunc neruos venasq; secat, nodosaq; frangit
Ossa diu, nondū artus erat caput ense rotare.

Suetonius in Caligula, cap. XXXII. Miles decollandi artifex quibuscunq; è custodia capita amputabat.

Habi-

Habitum autem eorum, qui gladio feriendi erant, describit Theodosij laudator; Poplitem, inquit, flectere, ceruicem extendere, ad plagam fortasse non vnam. Et Seneca lib. 1. de Ira, cap. xvi. Damnatus extra vallum deductus est, & iam ceruicem porrigebat, &c. Nam ijs qui securi percutiebantur, cippus ceruici supponebatur, vt veteres imagines in marmoribus expressæ declarant.

Vtra autem pœna honestior fuerit, gladijne an securis, nondum constituere possum. Nam quod securi percusso Papiniano, Basianum, qui postea Antoninus Caracalla dictus est, improbasse refert Spartianus, quod nó gladio peracta res esset, in vtramque partem accipi potest, aut quod vel in morte exhibitum honorem inuiderit, aut quod supremo illo honore inuidiæ flammam aliqua ex parte restinguere optauerit. *In Antonino Geta.*

Interdum legitur prægressa verberatio, quę noxijs ad palum deligatis, virgis adhibebatur. Liu. li. xxviii. Audita vox citantis nomina damnatorum in cõcilio, nudi in medium pertrahebantur, & simul omnis apparatus supplicij expromebatur, deligati ad palum, virgisque cæsi, & securi percusi. Et lib. xxvi. de Campanis. Producti omnes, virgisque cæsi, & securi percusi.

Hoc autem maximè modo in singulos milites Romani animaduertebant. Quòd si delictũ ad totã legionem vel cohortẽ pertineret, cùm interficere vniuersos nimiæ crudelitatis videretur, concione, vt ait Polybius, aduocata

Plut. in Crasso Zonaras. cata, Tribunus noxiam legionem vel cohortem in mediũ producebat in decades siue decarias distributam: & acerba oratione in eam inuectus, sorte decimum quemq; ad supplicium eximebat: quod supplicium Decimatio dicta est: Sic enim, vt ait Cic. metus ad omnes, pœna paucos perueniebat; nam ne in bello miles delinqueret, amplior ei mortis & supplicij metus est à maioribus constitutus; ne aut nimium multi pœnam capitis subirent, idcircò sortitio illa comparata est. In eam verò sortitionem, non modò ignaui ac seditiosi milites, sed boni etiam forteſque venerunt; vt ex Tacito colligimus lib. 14. Ex fuso exercitu cùm decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur.

Pro Cluentio

Antiquissimum porrò decimationis exemplum extat apud Liuium lib. 11. ab App. Claudio Cos. editũ, non multis post Reges exactos annis. Consul, inquit, aduocata concione, inuectus haud falso in proditorem exercitum militaris disciplinæ, desertorem signorum; inermes milites, signo amisso signiferos, ad hoc centuriones duplicariosque, qui reliquerunt ordines, virgis cæsos securi percussit; cætera multitudo, sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Et Tacitus lib. 111. L. Apronius rarò eà tempestate, & è vetere memoria facinore, decimum quemq; ignominiosæ cohortis, sorte ductos fuste necat. Quamquam aũt in cõmunibus totius legionis vel cohortis delictis decimatos milites scripsi, tamẽ interdum plures aut pauciores ad supplicium le-

lecti sunt Appianus in Illyrico ex cohorte, q̃ custodiã reliquerat, sorte iacta decimũ quemque morte mulctauit: ex turmarũ aũt ducibus binos ex singulis decurijs imminuit. Frontinus li.4.c.1. Aquirius ternos ex centurijs, quorum statio ab hoste perrupta erat, securi percussit. Seditio autem illa exercit⁹ P. Scipionis apud Sueronem triginta quinque hominum supplicio vindicata est. Liu.l.28. Nonnũquam de tota legione supplicium sumptũ. Liu.l.28. Tota legio, millia hominum quatuor in foro Romano securi percussi sunt.

In crucem quoq; acti sunt. Liu.l.39. De perfugis grauius quàm de fugitiuis consultum: nominis latini q̃ erãt, securi percussi, Romani in crucem sublati. Venierunt, & in exilium deportati sunt. Liu.l.25. de reliquis Cannensis cladis. Is exercitus, inquit, erat relegatus in Siciliam, ne ante Punici belli finem in Italiam reportaretur. Epitoma LV. P. Cornelio Nasica, D. Iunio Bruto Coss. delectum habentibus, res saluberrimi exempli in conspectu tyronũ facta est. Nam C. Matienus accusatus est apud Tribunos, quòd exercitum in Hispan. deseruisset, damnatusq; sub furca, diu virgis cęsus est & sextertio nummo venijt. Cęterùm illustriss. decimationis exemplum est in actis SS. Mart. Mauricij & Sociorum.

Hæc igitur de pœnis grauioribꝰ, quę ob maiora delicta infligebantur: cuiusmodi numerantur à Iuris consultis. Qui in exploratione emanet hostibus insistentibus, aut à fossato recedit: Capite punitur. *Libr. 49. de re milit.*

Mi-

Miles qui arma amisit aut alienauit, vel eorum partem, vt loricam, scutum, gladium, galeam: Capite item plectitur; humanè militiam mutat. Si autem tibiale vel humerale, verberibus castigatur.

Qui vallum transcendit, aut per murum ingreditur. Item:

Qui ducem suum non defenderit.

Quique manum præposito intulerit; & augetur petulantiæ crimen dignitate præpositi; omnis denique contumelia aduersus ducem capite punitur.

Qui commilitonem gladio vulnerauit; caput amittit: si lapide, militia reijcitur.

Qui agmen excesserit, vel fuste cæditur, vel militiam mutat.

Qui in acie fugam prior fecit spectantibus militibus.

Exploratores qui secreta hostibus nunciant.

Calligatus qui metu hostium languorem simulauit.

Qui stationis munus reliquit.

Qui ad diem commeatus non venit.

Frontin. lib. 2. c. 4. strat.

His omnibus alijsque huiusce generis criminibus pœna capitis proposita est. Addit autem Cato in furto deprehensis inter commilitones dextras esse præcisas. Modestinus eum, qui aliena arma surripuisset, gradu militiæ pellendum esse dicit.

Videntur autem milites priusquam capitali supplicio afficerentur, sacramento soluti fuisse: sic enim scribit Marcellinus lib. XXIV.

De-

Decem milites ex his qui fugerant, exauctoratos capitali addixit supplicio, secutus veteres leges.

Graues animaduersiones per lictores exercebantur. Hinc Festus. Lictores dicuntur, qui fasces virgarum ligatos ferunt: hi parentes magistratibus, plagas ingerunt delinquentibus. Et Nonius. Lictoris propriatem à ligando vetustas putat: isti enim antiquitus carnificis officium fungebantur. Quod quidem præter citata testimonia, illud etiam Liuij ostendit lib. IX. Quem cum inambulans ante tabernaculum vocari iussisset, lictorem expedire securim iussit: ad quam vocem exanimi stante Prænestino, Agedum lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus: perfusumq; vltimi supplicij metu, multa dicta, dimisit.

Animaduersio autem hoc modo exercebatur: Dux pro tribunali residens, iubebat per præconem reorum nomina citari, vbi illi adducti essent, lictorem iubebat reum ad palū deligare; inde præconi imperabat, vt lictorem lege agere iuberet, vt imperij seueritatem miti vocabulo temperaret: tum lictor reum vestibus exutum, ac virgis cæsum securi percutiebat, aut etiam in crucem agebat: vnde erant illa solemnia. Lictor, colligamus, verberato, caput obnubito, arbori infelici suspendito.

Liuius lib. XXVI. Cum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum, præconi imperauit, vt lictorem lege

agere iuberet: ita de ijs quoq; sumptum supplicium. Seneca l. x. contr. uer. III. Illi quoq; quibus animaduertere in damnatos necesse est, non dicunt Morere, sed Age lege; crudelitatem imperij verbo mitiore subducunt.

Ius porrò plectendi milites olim ad eũ pertinebat, qui exercitui cum imperio præerat. Postea Augustus, vt scribit Dio l. 53. cum prouinciarũ administrationem cum Senatu cõmunicasset, instituit vt soli Proprætores, siue Legati ipsius Augusti, quos etiam gladio succingebat, id ius haberent: tandem ad omnes rectores prouinciarũ extensa potestas est, saltem in milites manipularios. Hinc Vlpianus l. 1. D de officio Præsidis. Qui vniuersas prouincias regunt, ius gladij habent. Et Venuleius lib. 48. de custodia reorum. Qui exercitum accepit, etiam ius animaduertendi in milites caligatos habet.

Militum supplicijs centuriones ferè præficiebantur. Hirtius de bel. Africa. cum ducerentur ad necem, petijsse dicitur maior Titius à Centurionibus, vt se priorem quam fratrem interficerent. Et infrà. Annuit centurionibus, quid fieri vellet, atq; ante pedes centurionem interfecit. Seneca lib. 1. de ira, cap. XVI. Centurio supplicio præpositus condere gladium spiculatorem iubet, damnatum ad Pisonem reducit.

Illud postremo loco addam graues animaduersiones, vt in vrbe extra muros, ita in castris extra vallum exerceri solitas, à tergo castrorum, vbi erat porta Decumana. Vegetius

getius libro primo, capite vigesimotertio. Decumana porta quæ appellatur, post Prætorium est, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam. Hirtius de bello Africano. Extra vallum deducti sunt & cruciabiliter interfecti. Seneca libro primo de ira, cap. XVI. Damnatus, extra vallum deductus est. Hinc fortasse Vallescere deductū, quod perire significat, à vallo militari, quod qui eo ejiciuntur, pro perditis habentur, vt ait Paulus compilator Festi.

Leues item pœnæ variæ fuerunt, vt legitimo stipendio, vel prædæ parte spoliari: hastam dare: tendendi locum mutare: extra oppidum hibernare: cibum stantes capere: fossam fodere: discinctos destitui: hordeo vesci: sanguinem mittere: exauctorari: & alia id generis. Modest. Dig. lib. 49. de re milit. has numerat. Castigationem; multam pecuniariam; munerum interdictionem; militiæ mutationem; gradus deiectionem; missionem ignominiosam. Quæ singula sunt explicanda, & veterum testimonijs confirmanda.

Fraudatio stipendij fuit, cum propter ignominiam militi aut totum stipendiū, aut pars subtrahebatur. Cui aūt stipendium propter hanc causam negatū esset, Aere dirutus dicebatur. Nonius. Aere diruti appellabantur milites, quibus propter ignominiā stipendium, id est, merces menstrualis, aut annua quæ esset in nūmis æreis, subtrahebatur: Varro de vita pop. Rom. Stipendium appellabatur, quod æs militi semestre, aut annuū dabāt; cui datū non

sit propter ignominiam, ære dirutus esset. Festus. Dirutum ære militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiæ causa non erat datum; quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. Idem alibi. Resignatum æs dicitur militi, cum ob delictum aliquod iussu Tribuni militum, ne stipendium ei detur, in tabulas refertur: Resignare enim antiqui proscribere interdum dicebant. Hæc Festus. Liuius lib. XL. Caussa ignominiæ, vti semestre stipendium in eum annum esset ei legioni, decretum. Valerius libro II. Senatus legioni, neq; stipendium anni procedere, neq; æra dari voluit, quia Q. Petilium Consulem fortissimè aduersus Ligures pugnātem occidere milites passi essent. Hac pœna maximè infrequentes afficiebantur. Cicero lib. VI. in Verrē. Dij faciant, vt rei militaris mentionem facere audeat: aleatoris Placentini castra commemorabuntur, in quibus cū frequens fuisset, tamen ære dirutus est. Vnde illud Ausonij. Et quia sub Imperatore tum merui procedere, mihi inter frequentes stipendium iubebis: Sin aliter ære dirutum facies, vt cumulo carminis in fiscum redacto, redeant versus vnde venerunt.

De Præda item negata satis est illud Liuij libro tertio. Prædam omnem suo tantum militi dedit: consularem exercitum ipsumque Consulem increpans. Carebis, inquit, prædæ parte miles ex eo hoste, cui propè prædæ fuisti.

De Hasta danda meminit Festus. Censio

Hasta-

Hastaria dicitur, cùm militi multæ nomine ob delictum militare indicebatur, quod Hastas daret. Fortasse quia hoc signabatur illum omni armorum iure cedere: Hasta enim summa armorum & Imperij fuit, quam etiam ob causam viri fortes ea donabantur, & captiui sub ea venibant, vt scribit idem Festus in Cælibari hasta.

Mutanditentorij ratio fuit, auctore Polybio, cum extra vallum milites tendere cogebantur. De qua re etiam Liuius libro decimo. Cohortes quæ signa amiserant, extra vallum sine tentorijs destitutas inuenit. Frontinus libro quarto. Octacilius Crassus Cons. eos qui ab Hannibale sub iugum missi redierant, tendere extra vallum iussit, vt imminuti assuescerent periculis, & aduersus hostes audentiores fierent.

Tacitus libr. XIII. Quod grauiter Corbulo accepit, increpitumque Pactium & Præfectos, militesque tendere omnes extra vallum iussit, in eaque contumelia detenti, nec nisi precibus vniuersi exercitus exsoluti sunt. Similis huic est illa pœna, qua Cannensis cladis superstites milites affecti sunt, ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius vllam vrbem decem millibus passuum ædificarent. Liuius lib. XXVI. initio.

Hordeum item pro tritico ignominiæ causa datum Polybius narrat. Addit Vegetius libr. I. cap. XIII. non ante ijs in tritico reddi solitam annonam, quàm sub præsentia Præfecti, Tribunorũ, vel Principum, experimentis

datis ostendissent, se omnia quæ erant in militari arte complesse : quanquam Vegetius loquitur de ijs, qui parum in exercitatione & prolusione armorum profecissent: sed tamen alijs quoque de causis eadem pœna affectos milites veterum testimonia declarant. Liu. li. vigesimoseptimo. Cohortibus quæ signa amiserant hordeum dari iussit. Suetonius in August. cap. xxiv. Cohortes si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pauit. Frontinus M. Antonius cùm agger ab hostibus incensus esset, ex ijs qui in opere fuerant, duarum cohortium milites decimauit, & in singulos ex his centuriones animaduertit; legatum cum ignominia dimisit: reliquis ex legione hordeum dari iussit.

Cibum quoque pœnæ loco stantes capere iussos memoriæ proditum est. Liuius libro vigesimoquarto. Nomina eorum qui detrectatæ pugnæ memores secessionem paulò ante fecerunt, referri ad me iubebo: citatosque singulos iureiurādo adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter quàm stantes cibum potumque, quoad stipendia facient, capturos esse.

Cinctus etiam togæ vel tunicæ præcidebatur, discinctique destituebantur. Valerius libro II. Piso Consul cùm in Sicilia bellum aduersus fugitiuos gereret, & Titius equitum Præfectus fugitiuorum multitudine hostium circumuectus arma his tradidisset: his Præfectum ignominiæ generibus affici iussit, eum toga lacinijs abscisis amictum, discinctaque tu-

tunica indutum, nudis pedibus à mane, noctẽ vsque ad principia per omne tempus militiæ adesse: interdixit etiam ei conuictum hominum vsumque balnearum. Liuius lib. xxvii. Centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladijs discinctos destituit. Frontinus li. iv. Silla cohortem & centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos & discinctos perstare in principijs iussit.

Addita quoque est huic ignominiæ interdum molestia laboris, vt verbi causa, discincti fossam foderent, cespitem ferrent, fœnum secarent. Plutarchus in Lucullo. Milites interioribus tunicis solutis, in conspectu exercitus fossam pedum duodecim fodere iussit. Suetonius in August. cap. vigesimoquarto. Centuriones, statione deserta, itidem vt manipulares capitali animaduersione punijt, pro cætero delictorum genere, varijs ignominijs affecit, vt stare per totum diem iuberet ante prætorium, interdum tunicatos discinctosque nonnumquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes. Frontinus libro quarto. C. Curio Cons. seditiosam legionem inermem procedere, discinctamque in conspectu armati exercitus stramenta coegit secare: postero autem die similiter fossam discinctos milites facere.

Sanguinis mittendi consuetudinem inde ortã puto, quòd in subito pauore medici sanguinem mitti iubeant: vt ergo pauoris ac timiditatis ignauos milites arguerẽt, sanguĩnẽ

mittebant. Postea vsus obtinuit, vt in quocunque delicto sanguis mitteretur. Frontinus libro IV. M. Cato memoriæ prodidit in furto deprehensis inter commilitones dextras esse præcisas; aut si lenius animaduertere voluissent, in principijs sanguinem missum. Gellius libro X. cap. VIII. opinatur id factum primitùs in militibus stupentis animi, atque à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna quàm medicina videretur: postea ob pleraque alia delicta idem factitatum per consuetudinem, quasi minus sani viderentur omnes qui delinquerent. Alij id factum putant, vt sanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluissent, cum ignominia amitterent.

Maret. lib. 3. Var. c. 20.

Gradus deiectio fuit; cum magistratu, vel honoris aliquo gradu ignominiæ causa quispiam deijciebatur: quo pœnæ genere vsus est Cincinnatus Dictator in L. Minucium Cons. quem abdicato consulatu legatum ad exercitum manere iussit, vt refert Liuius lib. III.

Equites quoque gradu deijci dicuntur, cùm ademptis equis in peditum ordinem rediguntur. Hinc Menander Dig. de re milit. Qui in pace deseruit, eques gradu pellendus est; pedes militiam mutat.

Militiæ autem mutatio fuit cùm verbi gratia legionarij pedites ad leuem armaturam redigebantur, vel in aliarum legionum suplementa transcribebantur. Macer Dig. de re milit. Desertorem qui à patre suo fuerat ob-

oblatus, in deteriorem militiam D. Pius dari iussit. Modestinus Dig. de custodia reorum vel capite punitur, vel in extremum gradum militiæ datur. Livius libro XXV. Nunc deteriore conditione sumus, quàm apud patres nostros fuerunt captiui: quippè illis arma tantùm atque ordo militandi, locusque in quo tenderent in castris, est mutatus: quæ tamen semel nauata Reip. opera, & vno felici prælio recuperarunt. Valerius l. II. C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam sanguine sibi iunctum obsidioni Liparitanæ præfecerat, virgis cæsum militiæ munere inter pedites fungi coegit, quod eius culpa agger incensus & pænè castra erant capta. Idem Valerius. Piso Cons. turmas equitum, qui arma fugitiuis tradidissent, ademptis equis in funditorum alas transcripsit. Et alibi, Romani, inquit, *Lib. 2.* cùm magnum captiuorum ciuium suorum numerum à Pyrrho Rege vltrò missum recepissent; decreuerunt, vt ex ijs qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur. Marcellinus libro XXIV. Reliquos ex ea cohorte equites qui abiectè sustinuerant impetum grassatorum, ad pedestrem compegit militiam, quæ onerosior est dignitatibus imminutis. Et libr. XXV. initio. Imperator ademptis signis hastisque diffractis omnes eos qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captiuos agere iter imposuit.

Similis huic videtur esse pœna illa, cum

ipsius legionis nominis aboleretur ; de qua Frontinus lib. IV. Nullis, inquit, precibus impetrari à C. Curione potuit, ne signa seditiosæ legionis submitteret, nomenque aboleret; milites autem in supplementum ceterarum legionum distribueret. Dio etiam libro LIV. scribit Agrippam ignominiæ causa edixisse, ne legio quæ Augusta dicebatur, eo nomine deinceps vteretur.

Munerum interdictio fuit, cùm alicui aditus ad honores & magistratus militares præcludebatur. Qua pœna Cannensis cladis reliquiæ milites affecti, quos Liuius hac conditione scribit in milites fuisse receptos, dum ne quis eorum dono militari virtutis ergo donaretur.

Dig. de re mil.

Missio ignominiosa, teste Macro, fuit, cùm quis ob delictum Sacramento soluebatur. Duplex autem videtur fuisse, altera quæ proprio nomine Missio ignominiosa dicta est, altera Exauctoratio : quamquam hæc nomina plerumque apud Scriptores confunduntur. Missio ignominiosa, vt ait Vlpianus, totiesest, quoties is qui mittit, addit nominatim ignominiæ caussa se mittere : de qua Hirtius de bel. Afric. Ob negligentiam, ignominiæ caussa dimittendos ab exercitu, grauissimumque in eos edictum proponendum curauit.

Dig De ijs qui notantur infamia.

Ritum ignominiosæ missionis ostendit ibidem Hirtius idem. Cæsar de suggestu, conuocatis omnium legionum Tribunis Centurionibusque, C. Auiene, inquit, quod in Italia po-

populi Romani milites contra Rempubl. instigasti, rapinasque per municipia fecisti : ignominiæ causa ab exercitu meo te remoueo. Hæc ille: & rectè quidem, quia, vt ait Vlpianus, semper addi causam oportet, cur miles cum ignominia dimittatur.

Exauctoratio fuit, eodem Vlpiano teste, cùm detractis insignibus militaribus Imperator inter infames aliquem efficiebat; neque necesse fuit addere se ignominiæ causa exauctorare. Exauctorationis exemplum fortasse fuit, quod Marcellinus narrat libr. xxv. initio. Imperator ademptis signis hastisque diffractis, omnes eos qui diffugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas, & captiuos agere iter imposuit.

Porrò dimissi cum ignominia, neque Emeritorum præmia consequebantur; neque iterum in militiam recipiebantur; neque Romæ, aut alibi vbi Imperator esset, agere poterant, vt Menander, & Macer de re milit. Vlpianus. De ijs qui notantur infamia, tradidêre.

De Animaduersione in hostes.

CAPVT IX.

VIctoria parta Romani, in hostes victos iure belli animaduertêre: qua tamen in re maximè clementiæ, & placabilitatis gloria cæteris gentibus præstitêre. Quare verè dixit Flauius Lucanus apud Liuium libro vigesimoquinto. Nullam vnquam gen-

gentem magis exorabilem promptioremque veniæ dandæ fuisse. Hinc L. Camillus in oratione pro Latinis ad Senatum Roman. quam refert Liu. l. viii. vultis exemplo maiorum augere rem Romanam victos in ciuitatem accipiendo? materia crescendi per summam suppeditat gloriam.

Animaduersionis autem in hostes varia genera fuêre: nam supremo supplicio affecti sunt, missi sub iugum, sub corona venditi; impensas belli præstare, stipendium & frumentum conferre iussi, agro multati, vrbibus ac libertate spoliati, vectigales facti. Quæ omnia veterum exemplis & auctoritate confirmanda sunt.

Liu. lib. ii. Aurunci passim principes securi percussi; sub corona venierunt alij coloni oppidum dirutum; ager venijt. Idem: Volscis induciæ in annos quadraginta petentibus datæ, frumento stipendioque imperato. Idem: Actū est de pace, impetrataque foret, si quod impēsæ factum in bellum erat, præstare Sabini (id enim postulatum erat) in animum induxisset. Et libr. v. Falisci s in stipendium militum eius anni, pecunia imperata.

Primi sub iugū AEqui à Dictatore L. Quinctio missi leguntur: qua de cùm alij ferè omnes tum Liu. l. iii. Tribus, inquit, hastis iugum fit, humi defixis duabus, superq; eas transuersa vna deligata: sub hoc iugo Dictator AEquos misit. Mittebantur autem sub iugum hostes discincti ereptis omnibus armis teliscque vestitis. Festus.

v. Iugum, & v. sub iugū.

Sub

Sub corona venire hostes dicuntur auctore Festo, quia captiui coronati solent venire, vt ait Cato in libro de re milit. Vt populus suus sua opera potiùs ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re malè gesta coronatus veniat. Hæc Festus. Eadem Gellius lib. v II. c. 1 v. qui tamen aliam addit caussam, cur captiui sub corona vendi dicantur; quod videlicet milites custodiæ caussa, captiuorum venalium greges circumstarent; eaq; circumstatio militum, corona appellata sit. Hastam quoq; adhibitam idem Festus docet, ac sub ea captiuos venisse, quos Græci δορυαλώτους vocant: nimirum quia hasta summa armorum & imperij est, quam ob causam viri fortes ea donantur. *ii. Celibari hasta.*

Vrbes hostium ad classicum euersas incensasq; esse docet Seruius ad lib. 2. AEneid. qui in hanc sententiam accipit illud:

Exoritur clamorq́, virûm, clangorq́, tubarũ.

Certè hoc modo Albam euersam narrat Liu.

Agro hostes vel vniuerso, vel parte multabantur. Liu. libr. 1. Subacti Vejentes pacem petitum oratores Romam mittunt: agri parte multatis in centum annos indutiæ datæ. Et libr. 2. Eletranis ex S. C. data pax: agri ademptus. Ibidem. Cum Hernicis fœdus ictum; agri partes duæ ademptæ. Et libr. decimo. Frusinates tertia parte agri damnati.

Ager verò de hostibus captus aut venibat, & pecunia in ærarium redigebatur; aut publicus populi Rom. fiebat; aut colonis diuidebatur.

debatur. Liuius libro secundo de Auruncis; Opoidum diruitum; ager venijt. Et ibidem. Volscis Velitternus ager ademptus. Velitras Coloni, ab vrbe missi, & Colonia deducta.

CAP. X.

De Pace ac Fœderum generibus.

BEllo confecto, sequitur Pax, quæ vel in perpetuum, vel in certum temporis spatium data est aut dierum, aut mensium, aut annorum illa sponsio, vel Fœdus, hæc Indutiæ appellantur. M. Varro in libro Humanarum, qui est de bello & pace, Indutias definit pacem castrensem paucorum dierum, vel belli ferias, quas tamen definitiones Gellius lib. 1. c. 25. lepidas magis & iucundas, quam plenas aut probas esse arbitratur. Pactum enim indutiarum eiusmodi esse ait, vt in diem certum non pugnetur, nihilq; incommodi detur: sed ex eo die vti iam omnia belli iure agantur: atque hinc dictas Indutias, quasi inde vti iam. Aurelius autem Opilius in primo libro Musarum, indutias dicit esse, cum hostes inter se vtrinque vtroque, alteri ad alteros, impunè & sine pugna ineunt: inde factum nomen, quasi initum & introitum. Indutias Virgilius pacem sequestrem appellat libro vndecimo. Donatus in Eunuch. sc. prima. Inducię sunt pax, in paucos dies, vel quod in diem dentur, vel quod in dies otium præbeant.

Indu-

Indutijs igitur pax in certũ temporis spatium dabatur, quare sæpè factum legimus, vt populus Roman. hostibus pacem perpetuam fœdusq; petentibus indutias dederit. Liuius libr. 1. Subacti Vejentes pacem petitum oratores Romam mittunt: agri parte multatis in centum annos indutiæ datæ. Et libro 9. A Perusia, Cortona. & Aretio, quæ fermè capita Hetruriæ populorum erant, legati pacem petentes, indutias in XXX. annos impetrarunt.

Tempore porrò indutiarum, summa à bello quies fuit, atq; etiam aliqua cum ijs, quibuscum pactæ erant, societatis species & imago: vt qui eas violassent, ius gentium violasse existimarentur. Vnde illud est apud Liuium lib. 40. Omnes portas concionabundus ipse Imperator circumijt, & quibuscumque irritamentis poterat, iras militum acuebat, nunc fraudem hostium incusans, qui pace petita, indutijs datis, per ipsum indutiarum tempus, contra ius gentium ad castra oppugnanda veniissent. Itaq; à Cicerone iure vituperatur, is tamquam nimis callidus & malitiosus iuris interpres, qui cum triginta dierum essent cum hoste pactæ indutiæ, noctu populabatur agros; quod dierum essent pactæ, non noctium indutiæ. *lib. 1. de Of-fic.*

Pax perpetua, vti superius diximus, fœdere, vel sponsione dabatur. Sponsio neque populi iussu, neq; Senatus auctoritate, sed arbitrio magistratuum, & Imperatorum

ratorum fiebat, atq; eorundem deditione, per quos facta esset, infirmabatur. Sponsionis ritum, & quid à fœdere differret, docet planissimè Liu. libr. 9. Consules profecti ad Pontium in colloquium, cum de fœdere victor cogitaret, negarũt iniussu populi fœdus fieri posse, nec sine fetialib. cæremoniaq; alia sollemni. Itaq; non vt vulgò credunt, Claudiusq; etiam scribit, fœdere pax Caudina, sed per spousionem facta est. quid enim aut sponsorib. in fœdere opus esset, aut obsidibus, vbi precatione res transigitur. Per quem populum fiat, quo minus legibus dictis stetur, vt eum ita Iuppiter feriat, quemadmodum à fetialibus porcus feriatur? spoponderunt Consules, legati, quæstores, tribuni militum: nominaq; omnium, qui spoponderunt, exstant: vbi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fetialium non exstarent. Hæc Liuius, qui deinceps pacem eam à populo Roman. Consulibus & cæteris, qui spoponderant, deditis, irritam esse iussam addit.

Quare illud ab Imperatoribus semper obseruatum vidimus, vt cum sponsione res trãsigeretur, exciperent, si S. P. Q. R. censuisset. Itaq; Princeps quidam Carthaginiensis apud Liuium libro 21. ad Romanos legatos secum de fœderis ratione agentes ita verba fecit. Vos, quod C. Luctatius Cos. primo nobiscum fœdus icit, quia neque auctoritate Patrum, nec populi iussu ictum erat, negastis vos eo tenere: itaque aliud de integro fœdus publico consilio ictum est. Cui mox ita respon-

respondet Romanus, Cum in Lutatij fœdere diserte additum esset, ita id ratum fore, si populus censuisset, hinc etiam apud eundem T. Quinctius Imperat. Neque sine auctoritate Senatus quidquam eorum ratum fore, quæ cum rege ipsi pepigissent. Quamquam autem sponsio fœdere diuersa sit: sæpe tamen euenit, vt quod Imperat. iniussu populi, & sine auctoritate Senatus pepigerit, id etiam fœdus sit appellatum, sic Lutatij fœdus vocatũ proxime ostendimus; tale etiam fuit Numantinum, quod auctoris deditione dissolutum est. *Lib 32.*

Fœdus autem non ex Imperatoris arbitrio, sed iussu populi, aut Senatus auctoritate; neque per sponsores datis obsidibus, sed per fetialem publicum populi Romani nuncium, sollemni precatione adhibita fiebat. Fœderum tria genera fuisse docetur apud Liuium libro trigesimo quarto, Menippus Antiochi legatus vnum, cum bello victis dicerentur leges: vbi enim omnia ei qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex ijs habere victos, quibus multari eos velit, ipsius ius atque arbitrium esse. alterum, cum pares bello, æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent: tunc enim repeti reddique per conuentionem res; & si quarum turbata bello possessio sit. Eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriusque commodo componi. tertium esse genus, cum qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere *Liu. li. 9.*

inter se iungendam coeant: eos neque dicere, neque accepere leges; id enim victoris, & victi esse. Quibus verbis nihil profecto docetur aliud, nisi fœdera alia alijs æquiora fuisse.

Aequissimum fœdus dicebatur, cuius formula fuit, cum ab vtraque parte cauebatur, & pari iure societas vtrinque, & amicitia stabiliebatur. Quale illud fœdus fuit, quod cum Latinis, teste Dionysio, Romani hisce legibus fecerunt, vt inter Romanos, Latinosque populos omnes perpetua pax esset; neutri alteris bellum inferrent, aut aliunde hostes inducerent; bellum inferentibus infestum iter redderent; belloque lacessitis opem totis viribus ferrent; prædamque ac spolia ex æquo diuiderent; de priuatis contractibus lites iudicio diiimerentur intra decem dies in foro eius populi, vbi contractus ille factus esset; conditionibus fœderis nihil adderetur detraherenturve, nisi ex consensu Romanorum & Latinorum populorum omnium, quo etiam in genere fœdera fuerunt, quæ populus Romanus cum Carthaginiensi, antequam armis inter se decertarent, fecit, quorum meminit Polybius libro tertio.

lib. 6. extremo.

Iterum illud Hannibalis cum Locrensibus, de quo scribit Liuius libro vigesimo quarto initio. Locrensibus, inquit, iussu Hannibalis data pax, vt liberi suis legibus viuerent, vrbs pariter & portus in potestate Locrensium essent;

sent: societas eo iure staret, vt Pœnus Locrensem, Locrensis Pœnum bello ac pace iuuaret.

Alterum fœderis genus minus æquum fuit, cui hæc verba erant adiuncta; Maiestatem populi Romani comiter conseruanto: quæ verba, vt ait Cicero pro Balbo, imperantis sunt, non precantis: cum enim alterius populi Maiestas conseruari iubetur, de altero siletur, certe ille populus in superiore conditione causséque ponitur, cuius Maiestas fœderis sanctione defenditur. Quod autem in hoc genere dixit Cicero; Comiter, id videtur dixisse Liuius, sine dolo malo, in exponendis conditionibus pacis Aetolis datæ. sic enim scribit. Imperium Maiestatemque populi Romani gens Aetolorum conseruato sine dolo malo. Et quamuis Liuius hoc fœdere bello pares in pacem atque amicitiam venisse dicat: id non sic est accipiendum, vt pares omnino esse debuerint, vix enim fieri solet, vt nisi clade aliqua accepta, pars altera ad petendas accipiendasque pacis conditiones induceretur: sed vt non penitus accisis alterius partis opibus pax & amicitia firmaretur. Itaque bello superioris victis pacis conditiones ferebant obsides, & tributum imperabant, agri parte multabant; suis legibus magistratibusque vti permittebant. Ita Hieronymus teste Polybio, talentis centum pacem à Romanis impetrauit. Pisidæ etiam, legatis missis, pacti, quinquaginta talentis, & viginti lib. 38.

Moagetes tyrannus centum talentis. & x. millibus modimnum frumenti à Cn Mallio Cos. pacem mereatus est. Liu. lib. 38.

millibus medimnum tritici, & x x. hordei pacem à Consule impetrauerunt, vt scribit Liuius libro trigesimo octauo. Carthaginenses item bello Punico secundo victos, naues omnes, elephantos, perfugas, fugitiuosque & captiuos omnes tradere, insuper tributum pendere quotannis iussos idem Liuius scribit lib. x x x. cum hoc tamen vt liberi legibus eius viuerent: quas vrbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent.

Tertium fœderis genus iniquissimum deditionum fuit: de quo antequam dicam, explicandæ sunt cærimoniæ, quibus hæc fœdera ferirentur.

De cærimonijs siue ritu fœderum.

CAP. XI.

lib. 1.

FOedera igitur alia alijs legibus, ceterum, teste Liuio, eodem modo omnia facta sunt. Vbi enim petentibus hostibus Imperat. pacem dedisset, mox Romam ad Senatum mittebat, vt eius auctoritate confirmaretur, quod si Senatus pacem probasset: ad populum ferebatur, vellet iuberétne pacem fœdusque cum ea gente esse: neque enim vt ostendimus sine auctoritate Senatus, iussuque populi quidquam eorum ratum erat, quæ cum hostibus ipsi duces pepigissent. Id vel vno Liuij testimonio li. xxxvii. comprobatur. Post Rhodios, inquit. Antiochi legati vocati sunt, ij obtestati sunt P. C. vt pacem datam à L. Scipione impe-

imperatore, quibus legibus dedisset, confirmarent auctoritate sua. Et. Senatus eam pacem seruandam censuit, & paucos post dies populus iussit. Vt autem bellum comitijs centuriatis susceptum est, ita pax tributis comitijs iussa. idem Liuius libro vigesimo nono. Hæc conscripta consignataque sunt, & in duos menses inducię factæ, donec Romam mitterentur legati, vt populus in has conditiones pacem iuberet. iusseruntque omnes tribus, quia verso in Africam bello, omnibus alijs in præsentia leuari bellis volebant, lib. 30. Inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus Cons. cui classis prouincia erat, S.C. intercessit. Tum Man. Acilius & Q. Minucius tribuni pleb. ad populum tulerunt, vellent iuberéntne Senatum decernere, vt cum Carthaginiensibus pax fieret? Et quem ea pacem dare, quemque ex Africa exercitus deportare iuberent? De pace. Vti rogas omnes tribus iusserunt: pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare. Et libro trigesimo tertio. Q. Martius Rex & C. Atinius Labeo tribuni pleb. se intercessuros dixissent, ni prius ipsi ad plebem tulissent, vellétne iuberéntne cum rege Philippo pacem esse? Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est, omnes quinque & triginta tribus vti rogas iusserunt.

Vbi igitur ratam pacem populus fecisset, senatus x. legatos eligebat, quorum ex consilio Imperator res melius constitueret, legesque daret: de rerum autem summa vel Senatus ipse ante constituebat, vel liberam pote-

ſtatem Imperatori permittebat. Cicero libr
xiii.epiſt.vi.ad Att.negat legatos eſſe potuiſ
Imperatori propinquitate coniunctos. He
etiam accepi non ſolitos maiores noſtros l
gare in decem, qui eſſent imperatorum nece
ſarij, vt nos ignari pulcherrimorum inſtit
torum aut negligentes potius M. Lucullu
& L. Murenam & ceteros ad Lucullum mi
mus. Liuius libro trigeſimo. Ex hac rogati
ne Senatus decreuit, vt P. Scipio ex legat
rum ſententia pacem cum populo Carth
ginienſi, quibus legibus ei videretur, facere
Et libro xxxiii. Decem legati more maiorut
quorum ex conſilio T. Quintius Imperat. leg
pacis Philippo daret, decreti. Et libro trig
ſimo ſeptimo. Quibus omnibus datum eſt r
ſponſum, decem legatos, more maiorum, S
natum miſſurum ad res Aſiæ diſceptandas. d
cem legatos hos decreuerunt, his quæ præſe
tis diſceptationis eſſent, libera mandata:
ſumma rerum Senatus conſtituit. Et libro
ita loquitur. Manlijs ex x. legatis, ſi dijs plac
quod conſilium diſpenſandæ, cohoneſta
dæque victoriæ Imperatoribus maiores c
derunt noſtri, aduerſarios habeo. Et libr.
Legatos deinde, quorum de ſententia Impp.
Paulus, & L. Anitius componerẽt res, decreu
runt, decem in Macedoniam, quinque in Illy
cum.

Ceterum quamquam tales viri mitterent
quorum de conſilio ſeparari poſſent Imp
nihil indignum, nec clementia, nec graui
te p

te pop. Roman. decreturos esse: tamen in Senatu quoque agitata est summa consiliorum, vt inchoata omnia legati ab domo ferre ad Impp. possent.

Post pacem iussam, fœdus feriebatur vel Romæ si legati populi illius adessent, vel in prouincia missis eo Fecialibus. Liuius libro trigesimo. Feciales cum in Africam ad fœdus feriendum ire iuberentur. Et libro trigesimo septimo. Senatus eam pacem seruandam censuit, & paucos post dies populus iussit. Fœdus in Capitolio cum Antipatro principe legationis, & eodem fratris filio regis Antiochi est ictum. De tempore autem Plutarchi præceptum est in quæstionibus Roman. nullum fœdus aut pactionem post meridiem fieri licuisse. *quæst. 48.*

Fœdus porro per Feciales duos percuti solitum, videtur indicare Liuius libro nono, cum in fœdere nullius nomen præterquam duorum Fecialium exstitisse negat. Liuius libro trigesimo octauo. Consul iurauit in hoc fœdus: ab rege, qui exigerent iusiurandum profecti Q. Minutius & L. Manlius. Ex his vnus Paterpatratus appellabatur, quod ad patrandum, id est, sanciandum iusiurandum diceretur.

His Fecialibus olim Rex, postea Cõsul Prætor ve ex S.C. imperabat, vt fœdus cum ea gente ferirent: illi vicissim magistratum sagmina aut verbenas, id est, herbas puras sacrasque poscebant, quibus coronati fœdus ferirent

iubenteque magistratu, herbæ id genus de loc
sacro capitolij sumptum Fecialibus dabatu
simul ex Iouis Feretrij templo lapides silice
quibus porcum ferirent, & Iouis sceptrum, pe
quod iurarent, secum ferebant. Cur autem sce
ptrum in fœderibus adhiberetur, hanc causa
tradit Seruius ad lib. XII. Virgilij, quod cum c
lim Iouis simulachrum adhiberetur, idq; m
lestum esset, præcipue cum fœdera fiebant
longe positis gentibus, institutum est, vt sce
trum tenentes, quasi imaginem simulach
redderent Iouis. sceptrum enim Iouis est pr
prium, idque Paterpatratus, qui iusiurandu
sanciebat, gestare solitus est. Ignem quoq
& aquam ad facienda fœdera adhibita ide
Seruius auctor est, eoque Virgilium resp
xisse, cum in fœdere Latini Regis & Aeneæ
xit:

ibi Dextra sceptrū nam forte gerebat. & Iuppiter hac stat.

Fontemq; ignemq; ferebant,

Atque hinc factum, vt quos vellent à s
arcere consortio, ijs aqua & igni interdi
rent, id est, rebus, quibus consortia copula
tur. Rebus igitur omnibus comparatis, F
cialis Patrisparati caput capillosque v
bena tangens, fœdus peragit. Legibus de
de pacis fœderisque recitatis, precati
rem concludit, per quem populum fiat, c
minus legibus dictis stetur, vt eum ita Iu
ter feriat, quemadmodum ab ipso porcus
riatur: id vbi dixit, porcum saxo silice p
cutit, atque à feriendo porco fœderis nom

or

ortum Festus tradit. v. Fœdus, Fecialis, Porci, & Seruius lib. 1.

Qui fœdere certo.
Et libr. 8.
Cæsa iungebant fœdera porca.

Hunc ritum fœderis feriendi describit Liuius libro 1. Fœdera, inquit, alia alijs legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt, tum ita factum accepimus: nec vllius vetustior fœderis memoria est. Fecialis Regem Tullum ita rogauit: Iubes ne me, Rex cum Patre patrato populi Albani fœdus ferire? iubente rege, Sagmina, inquit, te, Rex, posco. Rex ait: Puram tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea regem ita rogauit: Rex, facisne me tu regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa, comitesque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fecialis erat M. Valerius is Patrem patratum Sp. Fusium fecit, verbena caput capillosque tangens (Pater patratus ad iusiurandum patrandum, id est, sanciendum fit) fœdus, multisque id verbis, quæ longo affata carmine non operæ est referre, peragit. Legibus deinde recitatis. Audi, inquit, Iuppiter, audi Paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus: vt illa palam prima postremave ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, vtique ea hic hodie rectissime intellecta sunt; illis legibus populus Romanus prior non deficiet.

Si prior defecerit publico consilio, dolo m
Iouem me Diespiter popul. Roman. sic ferit
vt ego hunc porcum feriam: tantoque mag
ferito, quanto magis potes polleseque. Id v
dixit, porcum saxo silice percussit. Hæc L
uius libro primo. Idem libro nono. Quid
nim aut sponsoribus in fœdere opus esset, a
obsidibus, vbi precatione res transigitur. P
quem populum fiat, quominus legibus dic
stetur, vt eum ita Iupiter feriat, quemadmod
à fecialibus porcus feriatur? & libro 30. Feci
les cum in Africam ad fœdus feriendum ire i
bentur, ipsis postulantibus, S.C. in hæc verb
factum est. Vt priuos lapides silices, priuasqu
verbenas secum ferrent: vti Prætor Roma
nus his imperaret, vt fœdus ferirent, illi Pra
torem sagmina poscerent. Herbæ, id genus e
arce sumptum dari fecialibus solet. Festus. Sag
mina vocantur verbenę, id est, herbę purę, qui
ex loco sancto arcebantur à Consule, Prætore
que legatis proficiscentibus ad fœdus facien
dum, bellumque indicendum: vel à sanciendo
id est, confirmando. Idem. Feretrius Iuppite
dictus à ferendo, quod pacem ferre putaretu
ex cuius templo sumebant sceptrum, per quo
iurarent, & lapidem silicem, quo fœdus feri
rent.

Seruius ad libr. xii. Vigilij. Verbena pro
priè est herba sacra, sumpta de loco sacro Ca
pitolij, qua coronabantur Feciales, & Pater
patratus fœdera facturi, vel bella indicturi
abusiue tamen iam verbenas vocamus omne
fronles sacratas, vt est laurus, oliua, & myr
tus

tus. Terentius. Ex ara hinc sume verbenas: nam myrtum fuisse testatur Menander, de quo transtulit Terentius. Donatus ibid. Acron ad Horatium, libro primo.

Morem autem feriendi porci in fœderibus antiquissimum fuisse docet Varro libr. 2. de re rustic. cap. 4. Ab Suillo genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur: cuius vestigia, quod initijs Cereris porci immolantur, & quod initijs pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur. Ad eundem morem allusit Virg lib. VIII.

Et cæsa iungebant fœdera porca.

Ad quem locum Seruius in hunc modum scribit: Fœdera dicta sunt à porca fœdè & crudeliter occisa, cuius mors optabatur ei, qui à pace resiliisset. falso autem ait Porca: nam ad hoc genus sacrificij porcus adhibebatur, ergo aut vsurpauit genus pro genere, vt Timidi veniēt ad pocula damę, cum has damas dicamus; item supra lupam cum artis sit hic & hæc lupus: aut certe illud ostendit, quia in omnibus sacris, feminei generis plus valent victimæ, denique si per marem litare non possent, succidanea dabatur fœmina: si autem per fœminam non litassent, succidanea adhiberi nō poterat. vide Quinctili. lib. 8. cap. 3. Suet. tamen in Claudio cap. 25. etiam porcam adhibitam significat.

Hanc tamen porci feriendi rationem immutatam docet Pol. lib. 3. vt non porcus feriretur, sed lapis abijceretur. is enim cum Pœnis hoc modo ictū fœd' exponit. Fecialis lapidē tenēs

ita

ita ait: Si sine dolo malo ago, Dij me fortunent: Si sciens fallo, cæteris omnibus saluis in suis ciuitatibus, legibus, laribus, delubris, sepulchris, solus ego concidam, vt hic lapis è manibus meis decidat, nec plura locutus manu lapidem abijcit. Quare Suetonius scribit Imperat. Claudium antiquum morem seruasse, vt cum regibus in foro fœdus iceret, cæsa porca, ac veteri fecialium precatione adhibita. Posterioris tamen iurisiurandi consuetudinis meminit in Silla Plutarchus: Festus etiam antiquam formulam adscribit. Lapidem, inquit, silicem tenebant iuraturi per Iouem, hæc verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter salua vrbe, arceque bonis eijciat, vti ego hunc lapidē. Meminit & Cicero ad Trebatium epistol. 12. Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare cum scias Iouem iratum esse nemini posse?

cap. 25.

ibi. tupit. hac stat. Liu. li. 8. initio.

Dij fœderum præsides multos fuisse tradit Seruius ad lib. XII. Liuius li. XXX. Cum flecti misericordia parentes appareret, senatorum vnū infestum perfidię Carthaginiēsium, succlamasse ferunt: per quos Deos fœdus icturi essent, cum eos, per quos ictum esset, fefellissent? Per eosdem, inquit, Asdrubal, qui tam infesti sunt fœdera violantibus. Maxime autem Iupiter in fœderibus colebatur, quem in solemni precatione inuocabant: per cuius sceptrum iurabant: cuius denique fulmine fœdera confirmari & sanciri putabant. Hinc Virgilius lib. 12.

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.

Coruf-

Coruscatio enim si interueniſſet, fœdera confirmari ſcribit ibidem Seruius. Ianum quoque fœderi interfuiſſe idem Seruius docet: itaque poſtquam Romulus & Tacitus in fœdera conuenerunt, Iano ſimulachrum duplicis frõtis effectum eſt, quaſi ad imaginem duorum populorum: vnde etiam Latinus Rex in fœdere Ianum cæteroſque deos inuocat.

Fœdera autem in tabulis æreis, columniſque inſculpta in Capitolio adſeruabãtur, vt ait Appianus in Syriaca. Liuius li. II. Tantumque ſua laude obſtitit famæ conſulis Marcius, vt niſi fœdus cum Latinis columna ænea inſculptum monumento eſſet ab Sp. Caſſio vno, quia collega abfuerat ictum poſtumium, Cominium bellum geſſiſſe cum Volſcis memoria ceſſiſſet. Et l. XXVI. de fœdere Aetolico. Hæc conuenerunt, conſcriptaque biennio poſt Olympię, Aetolis, in Capitolio ab Romanis, vt teſtata ſacratis monumẽtis eſſent, ſunt poſita. Fœdus verò inter Triumuiros initum Romam miſſum, vt in Veſtæ templo cuſtodiretur ſcribit Dio li. 48. & Appianus lib. v.

De hoſtium deditione.

CAP. XII.

EExplicatis duobus fœderum generibus, ſequitur tertium eorum, qui bello victi, in victorum poteſtatem ita veniebant, vt ea tantum hærerent, quæ victoris arbitrium & volũtas reliquiſſet. Itaque inter omnes qui amicitia & ſocietate iuncti erant cum Romanis iniquiſ-

quissima conditione vsi sunt dedititij, adeo vt non in fœdere, sed in ditione esse dicerentur. hinc Liu. libr. 8. Sidicinos cum nec vt Samnites in pace amicitiam, nec vt Campani auxilium in bello petissent, nec in fide pop. Roman. nec in ditione esse, & ibi. Campanos non fœdere, sed per ditionem in fidem venisse. libr. enim 7. ita locuti erant Campani. Quandoquidem nostra tueri aduersus vim atque iniuriam iusta vi non vultis, vestra certe defendetis. Itaque populum Campanum, vrbemque Capuam, agros, delubra Deum, diuina humanaque omnia in vestram P.C. populique Roman. ditionem dedimus: quidquid deinde patiemur, dedititij vestri passuri & libro 9. Teates quoque Apuli ad nouos Coss. fœdus petitum venerunt, pacis per omnem Apuleam præstandæ populo Rom. auctores id audacter spondendo impetrauerunt, vt fœdus daretur, neque vt æquo tamen fœdere, sed vt in ditione popul. Rom. essent. Et lib. 28. Mos vetustus erat Romanis, cum quo nec fœdere, nec æquis legibus iungerentur amicitia, non prius imperio in eum tãquam pacatum vti, quam omnia diuina humanaque dedisset; obsides accepti, arma adempta, præsidia vrbibus imposita forent. Scribit Appianus lib. 11. Milites in prælio cum se deditionem facere significare vellent, capita sub clypeos inclinasse. Ammian. lib. 22. Eumque secuti complures iam gladios quatientes & pila, ad Imperatorem transeunt, cum vexillis scuta peruersa gestantes: quod defectionis signum est apertissimum. Cum vero transfugam aliquam reciperet

ret Imperator. hæc teste Seruio dicebat. Quisquis es, noster eris. quo respexit Virgil. libro 2. Aen.

Quisquis es amissos hinc iam obliuiscere Graios:
Noster eris.

Cæterum cum se recipi supplicabant, ferre solebant oliuæ ramum lana obuolutum, Liuius libro vigesimo quarto. Ramos oleæ, ac velamenta alia supplicum porrigentes orare, vt reciperent sese. Et alibi. Oratores ad Romanos cum infulis & velamentis miserunt. Et lib. vigesimo nono. Decem legati Locrensium obsiti squallore & sordibus, velamenta supplicum ramos oleæ, vt Græcis mos est, porrigentes. lib. trigesimo. Velata infulis ramisque oleæ Carthaginiensium occurrit nauis, &c. Tacitus libro tertio histor. Mox velamenta & infulas pro muris ostentans. Virg. lib. 8.

Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ,
Cui me fortuna precari,
Et victa compos voluit prætendere ramos.

Ad quem locum Seruius ait, id sumptum ex certamine Neptuni & Palladis, cum enim Pallas prolata oliua vicisset, propterea factum, vt cum alicui ramus oliuæ offertur, melior esse indicetur: Vittas autem idcirco addi solere ramo, vt inertia & imbecillitas offerentis ostendatur, oues enim ex quarum lana vittæ fiunt, alieno auxilio semper egent.

Porro deditionis ritum ac formulam exponit Liuius libro primo. Deditos Collatinos ita acci-

accipio, eamque deditionis formulam esse, Rex interrogauit. Estisne vos legati oratoresque missi à populo Collatino, vt vos populum Collatinum dederetis? Sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditisne vos populum Collatinum vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtensilia, diuina, humanaque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio. Et libr. XXVI. L. Atilius trib. pleb. ex auctoritate senatus plebem in hæc verba rogauit. Omnes Campani, Attellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitriũ ditionemq; populi Romani Fuluio proconsuli quæq; vna secum dediderũt, agrum vrbemque, diuina, humanaque, vtensiliaque, siue quid aliud dediderunt: de his rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites. Plebs sic iussit. Quod Senatus maxima pars censeat, qui adsidetis, id volumus, iubemusque.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

Qui est de ijs, quæ Ducibus victoribus honoris causſa decernerentur.

De Imperatoris nomine.

CAPVT I.

REbene gesta iustaque victoria parta, vt ait Zonaras, dux statim eo ipso in loco in quo hostes profligarat, gaudio & impetu victoris exercitus, Imperator salutabatur. Etenim nomen Imperatoris à veterib. dupliciter vsurpatum est: Vno modo pro quocumq; exercitus duce, qui suis auſpicijs rem gereret, atq; imperium, id est, i⁹ belli gerendi haberet, quemadmodum supra demonſtratũ est. Altero modo accipitur Imperatoris nomen pro eo duce præcipuè, qui hostes prœlio iusto viciſſet; quo nomine, vti diximus, militum ſtudio & acclamatione afficiebatur. Cicero lib. v. ep. xx. ad Atticum, Magnum numerum hoſtium cecidimus; caſtella munitiſſima cepimus, incendimus; Imperatores appellati ſumus. Tacit. lib. III. Annal. Tiberius id quoque Blæſo tribuit, vt Imperator à Legionibus ſalutaretur, priſco erga duces honore, qui bene geſta repub. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabatur. *De Camill. triumpho, tom. 2.*

Atq; hæc nomina sic fuêre inter se comparata, vt numquam Imperatoris appellatio militibus daretur, nisi ei, qui haberet Imperium, & suis auspicijs rem gessisset.

Quamuis enim Legati, aut Quæstores secundùm prœlium, absente exercitus Duce, confeciſſent; tamen non ipsi, sed Dux, cuius auspicijs pugnarant, Imperator ab exercitu conclamabatur. Cicero in Pisonem. L. Flaccus, & Q. Marcius, quorum tu Legatorum prœlio Imperator appellatus eras, cùm longè abfuisses. Varro de re rustica libro II. cap. IV.

Trebellius, cùm esset Quęstor Licinio Neruæ Prætori, in Macedonia prouincia relictus, qui præesset exercitui, dum Prætor rediret; prœlio hostes ita fudit, ac fugauit, vt eo Nerua Prætor, Imperator appellatus sit. Hinc etiam cæsis à Germanico hostibus, tamen, vt ait Tacitus libro secundo Annal. Miles in loco prœlij Tiberium Imperatorem salutauit. Dio etiam quinquagesimo primo scribit, victis à Crasso Dacis ac Bastarnis, eorumque Rege Deldone occiso: tamen non Crassum, sed Augustum, cuius auspicijs gesta res esset, Imperatorem appellatum.

De Curione. Hæc appellatio, vt scribit libro secundo Appianus, ducibus maximè fuit honorifica; quod ea acclamatione testari milites videbantur, suum ducem eo nomine indignum nō esse, quo cæteri olim duces ob rem præclarè in bello gestam ornari consuessent. Addit

Dio

Dio libro sexagesimo, non nisi semel de vno bello aliquem Imperatorem appellari licuisse: at verò ex diuersis bellis nomen Imperatoris sæpius reportatum, scribit idem Dio lib. XLIII.

Hinc etiam in antiquis inscriptionibus legitur IMPER. V. IMPER. X. &c. Significatur enim ea re, quoties ille, victoria parta, Imperator appellatus sit. Atque ipsi etiam Cæsares, licèt Imperatores vsurparentur (quo nomina summa rerum potestas declaratur) tamen cum noua aliqua victoria esset nunciata, veteri more Imperatores appellabantur. Augustum certè rerum dominum vicies Imperatorem conclamatum, vnà cum Dione testatur vetus inscriptio. *Lib. 52.*

Imp. Cæsar D. F. Augusti. Pont. Max. Cos. XIIII. Imp. XX. Trib. pot. XXXVII. P. P.

Augustus enim cæteriqúe deinceps Principes, vt Imperij auspicia, si honorem omnem rerum à cæteris ducibus gestarum sibi reseruarunt: quare ex aliorum secundis prœliis ipsi Imperatores salutabantur. Illud autem in huiusmodi inscriptionibus animaduertendum est, Imperatoris nomen, cùm est Principis, præponi, hoc modo: Imper. Cæsar Aug. quamobrem Suetonius nomen Imperatorij, Prænomen vocat; Tiberius, inquit, prænomen Imperatoris recusauit. Cũ verò Impe-

ratoris nomen, est victoris ducis, sequitur, hoc modo, C. Cæsar Imperator.

Neque tamen ex quacumque victoria nomen Imperatoris duci delatum est: certum enim hostium numerum esse oportuit, quo cæso, Imperator is appellaretur. Sed ea consuetudine paulatim depravata, multi, vt ait Cicer. paucis hostium cæsis, Imperatoris tamen nomen consequebantur. *Phil.14.*

Quis autem cæsorum hostium numerus obtinendo Imperatoris nomini sufficeret, incertum est. Appianus libro secundo, obseruatum esse priscis temporibus tradit, vt non nisi magnis rebus gestis, nomen Imperatoris acclamaretur: at verò sua ætate, decem millibus hostium vno prœlio cæsis, acclamatum esse. Cicero autem, si mille duove millia hostium cæsa essent, satis fuisse videtur significare, vt Imperator quis appellaretur: Sic enim ait Philippica XIV. An si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum, mille aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine quæ increbuit, Imperatorem appellaret Senatus.

Ego autem sic existimo ad Imperatoris nomen obtinendum, non eundem ex omnibus hostibus cæsorum numerum, lege fuisse decretum; sed in ea re hostium generis, virtutisque habitam fuisse rationem: Neque enim puto Ciceronem de omnibus hostibus vniuersè, sed de certo hostium genere locutum esse, neque enim hostium simpliciter; sed Gallorum, aut Hispanorum, aut Thracum,

(quę

(quæ nationes bellicosissimæ habebantur) mille aut duobus millibus cæsis, Imperatores à Senatu appellatos dixit.

Qui enim, verbi causa, cum bellicosis hostibus rem gereret, huic minorem cæsorum numerum ad Imperatoris nomen consequendum sufficisse verisimile est: qui autem cum imbelli aliqua natione bellum faceret, ei pluribus fortasse cæsorum millibus opus fuit, vt Imperator conclamaretur.

Nam Dio libro trigesimoseptimo cæsis à C. Antonio Cos. millibus hostium tribus, tamen eum numerũ minorem esse dicit, quam vt ex eo nomen Imperatoris legitimè referri posset. Neq; tamen tantam cæsorum multitudinem, quantam scribit Appianus, postulatam credo: sed quinq; hostium millium cæde, aut non multo secus, Imperatoris appellationem constitisse, mihi admodum credibile fit. Vt qui numerus ad triumphum impetrandũ, Valerio & Orosio auctoribus, requireretur; idem etiam obtinendo Imperatoris nomini satis esset. *Val. li. 2. ca. 3. Oros. l. ca. 4.*

Quoquo autem modo se res habeat, illud constat, non nisi certò hostium numero cæso, Imperatoris nomen fuisse conclamatum. Itaque Cicero ad Cælium scribens, libro secundo, epistola nona, dicit se iusta victoria Imperatorem appellatum apud Issum. Hinc illud Cælij ad Ciceronem libro VIII. epist. XI. Sed cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si, vt numeraretur postularet, tacuit.

Hunc igitur primum quasi honoris gradum Duces adepti, Lictorum fasces lauro lætitiæ causa, ornabant, vt ait Zonaras. Et Dio libro quadragesimoprimo. Pompeius ea victoria nomen Imperatoris accepit: quâquam neq; orationem vllam inflatam habuit, neque laurum fascibus addidit. Tacitus libro XIII. Nero quo componeret diuersos, sic euulgari iussit, ob res à Quadrato & Corbulone gestas, laurum fascibus Imperatorijs addi.

Inde publicas de victoria litteras ipsi Duces ad S. P. Q. R. mittebant, vt Imperatoris nomen studijs militaribus partum, Senatus auctoritate confirmaretur: nec quemquam nisi ante de rebus à se gestis publicè ad Senatum litteras dedisset, de triumpho postea in vrbe egisse scribit Dio libro quinquagesimoquarto.

Hinc Cicero in Pisonem. Torquatus magnis rebus gestis me referente absens Imperator est appellatus. Et Dio libro quadragesimosexto. Cæsar, Hirtius, & Pansa à militibus & Senatu Imperatores nominati sunt. Idem quoq; Dio lib. quinquagesimoquarto narrat Augustum obstitisse, ne Imperatoris nomen, quod Drusus & Tiberius apud exercitum militari fuerant acclamatione consecuti: Romæ ab Senatu confirmaretur. Zonaras tamen, impetrato triumpho, nomen Imperatoris confirmatum scribit: quamquam id potest intelligi de imperio, quod ingredienti-

entibus vrbem triumphantibus dabatur, vt infra dicetur.

Ex eodem Dione scribit in Hadriano Xiphilinus, Imperatores in litteris, quas ad Senatum scriberent, illo solemni initio vsos. Si vos, liberiq; vestri valetis, bene est: ego quidem, & exercitus valemus. quo tamen principio Hadrianum abstinuisse narrat, cum illi victoria multorum militum cæde constitisset.

Hisce litteris, quæ bene gestæ rei nunciæ erant, lauri ramum addi mos fuit: ex quo litteræ Laureatæ dictæ sunt. Plinius libro XV. cap. XXX. Laurus Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumq; nuncia additur litteris. Cicero in Pisonem. Appellatus est hic illius Prouinciæ Imperator: ne tum quidem tabulas Romam cum Laurea mittere audebas? Liuius libro quinto. Tristem ab Tusculo nuncium, nequidquam exterrita ciuitate, litteræ à Postumio Laureatæ sequuntur; victoriam populi Romani, AEquorum exercitum deletum. Cicero has litteras Victrices appellat in epist. I. lib. V. ad Atticum, quod victoriæ nunciæ essent.

Neq; solum ipsæ litteræ, sed etiam hastarum cuspides, quas tabellarij gestabant, lauro coronabantur, vt procul lætarum rerum nuncij esse cognoscerentur, vt scribit in Pompeio Plutarchus. Quod si naui nuncius veheretur, nauis ipsa lauro similiter ornabatur, quemadmodum narrat in Mithridatico Appianus.

Suetonius in Iulio, capit. LVI. auctor est Duces olim mittere solitos fuisse litteras ad Senatum transuersa charta; primumque C. Cæsarem eas ad formam memoralis libelli conuertisse.

Has litteras Consul siue Prætor in Senatu primum, deinde ex eiusdem Senatus auctoritate ad populum recitabat. Suetonius in Caligula cap. XLIV. Quasi vniuersa tradita insula, magnificas Romam literas misit; monitis sæpè latoribus, vt vehiculo ad forum vsque & curiam pertenderent: nec nisi in æde Martis, ac frequenti Senatu, Consulibus traderent. Liuius libro trigesimosecundo. Literæ Consulum Romam allatæ: M. Sergius Prætor vrbis in Senatu eas, deinde ex auctoritate Patrum ad populum recitauit.

Solebant quoq; Reges, & amicæ ciuitates victoriam gratulantes ad Imperatorem, legationis aeq; etiam honoris causa coronas aureas, aurumq; in triumphum mittere, quod Coronarium vocabant. Dio libro quadragesimo secundo, & libro quadragesimo octauo, de Cn. Domitio Caluino. Aurum quod in triumphum conferri ab vrbibus solet, à solis Hispaniæ ciuitatibus accepit. Hirtius de bello Alexandrino. Si fecisset, iam tunc sibi remitteret munera & dona, quæ bene rebus gestis Imperatores ab amicis accipere consueuerunt: miserat enim Pharnaces coronam auream, &c. Seruius interpretans illud ex libro octauo: Dona recognoscit

gnoscit populorum Aurum, inquit, Coronarium dicit; quod hodieq; à victis gentibus datur: imponebant autem hoc Imperatores ob concessam vitam.

Festus, & Gellius lib. v. cap. vi. coronas quę à ciuitatibus conferrentur, è lauro olim fuisse scribunt, postea verò ex auro fieri cœptas, dictumq; aurum Coronarium. Cicero in Pisonem, interdictum dicit fuisse lege Iulia, ne Imperatoribus aurum Coronarium à ciuitatibus decerneretur; neve ipsi Imperatores acciperent, nisi decreto iam triumpho.

De Supplicatione. CAP. II.

CVM Imperatoris nomine Senatus etiam Supplicationis honorem Imperatori victori decernebat: in qua impetranda maximè studium, & ambitio ipsorum Ducum versabatur; non ideo solum quod præclarum esset, ipsorum nomine Deorũ templa aperiri, summoq; populi concursu & gratulatione Dijs ob victoriam gratias agi; sed etiam quod supplicationem ferè sequebatur Triumphus, quo nihil apud Romanos honorificentius fuit. Cicero ad Atticum lib. VII. epist. I. Tu autem de Triumpho cogitabis, quem video nisi Reipubl. tempora impediant ἀπόρισον: iudico autem cum ex literis amicorum, tum ex supplicatione. Hinc eiusdem Ciceronis in epistolis ad Catonem de supplicatione obtinenda sollicita & anxia cogitatio. Quare ipsa Supplicatio à Catone Triumphi prærogatiua nominatur; quod cui decreta esset, præiu-

l. 15. fam.

ibid. in epistol. ad Ciceronem.

dicium quoddam factum videretur, eundem etiam Triumphum consecuturum. Liuius lib. XXVI. Cum multis verbis actum esset, vtrum minus conuenire, cuius nomine absentis, ob res prosperè eius ductu gestas, supplicatio decreta foret, & Dijs immortalibus habitus honos; ei præsenti negare Triumphum. Et li. XXXI. Non homines tantum ea victoria lætatos, sed Dijs quoq; immortalibus per triduum supplicationes habitas, quod bene ac feliciter, non quod malè ac temere Respub. à L. Furio Prætore gesta esset.

Dicebatur autem Supplicatio, cum populus Romanus vniuersus ad omnia Deorum templa cæsis victimis, de victoria parta gratulabatur: eamq; supplicationem Magistratus aliquis pro concione edicebat. Singula veterum testimonijs confirmemus. Liuius li. XXVII. in extremo Senatus, quod M. Liuius & C. Claudius Coss. incolumi exercitu ducem hostium legionesq; occidissent, supplicationem in triduum decreuit: eam supplicationem C. Hostilius Prætor pro concione edixit, celebrataq; à viris feminisq;, omniaq; templa per totum triduum æqualem turbam habuêre. Et lib. XXXVI. Supplicatio eius victoriæ causa, decreta ab Senatu, victimæque majores cæsæ. Et libro XXXVII. Supplicatio in triduum decreta est, & XL. maiores hostiæ immolatæ. Cicero Philippica XIV. disputans de supplicatione quæ ob cæsum Antonij exercitum, Hirtij Pansæque nomine decernebatur: supplicationem, inquit, decernitis, hostem

stem non appellatis: gratæ verò nostræ Dijs immortalibus supplicationes, gratæ victimæ, cum interfecta sit ciuium multitudo.

Videtur autem populus Rom. coronatus, atq; in veste candida supplicasse: Cato enim in libro de re militari, vt citat Festus; Vt populus suus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat; quam re malè gesta coronatus veneat. De veste candida significat Liuius lib. XLV. loquens de Perseo victo nunciato; Nam cum, inquit, primo in veste candida visi essent, quod & gratulantes decebat, &c. *u. Sub corona venire.*

Supplicationum diebus nihil agere cum populo licuit, quod Cicero docet epist. v. l. 2. ad Q. Fratrē. Consul, inquit, est egregius Lentulus; dies Comitiales exemit omnes: nam & iam Latinæ instaurantur, nec tamen supplicationes deerant; sic legibus perniciosissimis resistitur. Et Cælius lib. VIII. epist. XI. Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus Comitiales eripiebantur; negabat se vllo modo pati posse decerni supplicationes.

A principio vnum diem supplicatum verisimile videtur. Liuius enim lib. III. Gemina, inquit, victoria duobus bifariam prælijs parta, malignè Senatus in vnum diem, Consulum nomine supplicationes decreuit: populus iniussus, altero die frequens ijt supplicatum: & hæc vaga populariq; supplicatio studijs propè celebratior fuit. Post ea numerus dierum paullatim ambitione auctus. Ante Camilli victoriam de Veijs, nemini quatuor dierum supplica-

Supplicatio decreta est, teste Liuio lib. v. Aliquot post annis L. Papirio, Sp. Caruilio Coss. quia Samnites vicissent, item quatridui supplicatione publicum gaudium celebratum fuisse idem Liuius narrat lib. x. Additum deinde supplicationibus diem ex eodem Liuio cognoscitur, qui l. xxx. ita scribit. Decretum, vt quinq; dies circa omnia puluinaria supplicaretur. Atq; ea deinceps ordinaria videtur fuisse supplicatio, quæ Cōsulibus decerneretur. Liu. lib. xxxiii. Ob res prosperè gestas in quinq; dies supplicationes decretæ. Et lib. xlv. Senatus supplicationes ob rem egregiè gestam ab L. AEmilio Cos. in quinq; dies circa omnia puluinaria decreuit, hostiisque maioribus sacrificari iussit.

Extra ordinem Cn. Pompejo duplicata supplicatio est, confecto bello Mithridatico, vt esset dierum decem: idq; se re ferente factum dicit Cicero in oratione de Prouincijs Consularibus. Quamquam in ea oratione modò decem, modò duodecim legitur: magis tamē probatur decem, vt Consularis supplicatio duplicetur, quam dierum quinq; fuisse ostendimus. Cæsari verò ob res in Gallia gestas, primum quindecim; deinde alijs rebus gestis, viginti dierum supplicatio decreta est: quod præter eandem orationem, ostendit ipse Cæsar lib. 2. & 4. belli Gallici. Ita vt tot dierum accessio facta sit in supplicatione Cæsaris, quot dierum facta fuerat in supplicatione Pompeij, quinis vtriq; extra ordinem, honoris caussa concessis.

Verùm

Verùm vt hæc tandem disputatio concludatur; cum Neroni & Salinatori in multo maiore quàm Papirij Caruilijque victoria, nempè ob Asdrubalem, Annibalis fratrem cum exercitu cæsum, trium duntaxat dierum decretam supplicationem narrat Liuius: probabile est in supplicatione numerum dierum pro Senatus voluntate vel auctum vel imminutum. Vni M. Tullio, oppressa Catilinæ coniuratione, Senatus togato supplicationem decreuit. non vt multis Rep. bene gesta, sed vt nemini Rep. conseruata: qua de re ipse sæpè gloriatur.

Li. 27. extr.

3. Cat. in Pis. Dio libr. 27. Quint. l. 2. 6. 16.

Porrò cùm de supplicatione agebatur, Senatores deesse non solebant, non quidem pignoribus coacti, sed eorum, quorum de honore agebatur, gratia adducti, vt docet Cic. Philipp. 1. Quòd si quis etiam scribendo S. C. affuisset, is verò maximum in eum, cuius de honore agebatur, amorem præ se tulisse videbatur. Itaq; Cic. in ep. ad Catonem. Res, inquit, ipsa declarat tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse iucundum, quod scribendo affuisti: hæc enim Senatusconsulta, non ignoro ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, scribi solere.

Lib. 15. fam.

Præterea in supplicatione decernenda rogari singulorum sententias mos fuit, quod ostendit Cœlius epistol. xi. Quare Cicero illud quasi contra legem factum queritur. Philipp. iii. S. C. de supplicatione per discessionem fecit, cùm id factum esset antea nunquam. Formula autem, qua in supplicatione decernenda

da Senatus vtebatur, fuit. Quod bene ac feliciter Remp. administrasset, vt ait Liuius libr. XXXVIII. in oratione Cn. Manlij Procos. & alibi.

De aduentu Imperatoris ad vrbem, & Triumphi postulatione.

CAPVT III.

IMperatores grauissimis militum Senatusque iudicijs ornati, suas mox ipsi de victoria litteras cum exercitu sequebantur. Quibus ad vrbem aduentantibus omnis ciuium multitudo gratulabunda obuiam effundebatur, per ordines ætatum distincta, vt primò iuuenes, deinde cæteri, postremò Senatus omnis procederet, quemadmodum scribunt Appianus in Mithridatico de Pompeij Triumpho. Valerius l. IX. ca. III. de iuuenibus. Liuius l. V. Ac si maior in vrbe Magistratus esset, ab eo Imperatoribus Senatus extra vrbem dabatur: sin minus, ipsi Imperatores præmisso edicto Senatum extra vrbem in certum diem euocabant. Liuius l. III. Consules ex composito, eodem biduo ad vrbem accessere, Senatumque in Martium campum euocauêre. Et lib. XXVI. M. Marcellus ex Sicilia cum ad vrbem veniisset, à C. Calpurnio Prætore Senatus ei ad ædem Bellonæ datus est. Et l. XXVIII. Fortè euenit, vt eodem die ambo Consules Præneste venirent: inde præmisso edicto, vt triduo post frequens Senatus ad ædem Bellonæ adesset, omni multitudine obuiam effusa prodiêre.

Dabatur autem Senatus extra vrbem, quoniam

niam Imperatores cum imperio erant, & cum eodem imperio triumphabant; statim autem vt vrbem ingrediebantur, imperium amittebant, vt in Cæsaris ac Pompeij vitis Plutarchus narrat. Hinc Seneca li.v. de Beneficijs, cap.xv. Qui ne triumphaturi quidem intrare vrbem iussu Senatus deberetis, quibusque exercitum victorem reducentibus curia extra muros præberetur. &c. Liuius l.xxvi. Q. Fuluium Procos. profectum cum exercitu à Capua affertur; cui ne minueretur imperium, si in vrbem veniisset, decreuit Senatus, vt Q. Fuluio par cum Consulibus imperium esset. Vlpianus l.vlt. de officio Procos. Proconsul, inquit, portam Romæ ingressus deponit imperium. Tradit insuper Appianus lib.2. non licuisse ad Triumphum redire ei, qui semel vrbem iniisset. Quare Dio l.LIII. extremo scribit Augusto perpetuum consulare imperium decretum; sic vt illud neque vrbem ingressus amittere, neque ad renouandum egredi vrbe necesse haberet. Quod ideò dicit Dio, quia id interdum gratiæ aliquorum datum est, vt cùm ante Triumphum ingressi vrbem, imperium amisissent, iterum ad sumendum, vel, vt ait Dio, ad renouandum imperium vrbe egrederentur. Tacitus li.III. Annal. Drusus vrbe egressus, repetendis auspicijs, mox ouans introijt.

Hoc autem tempore quo Duces cum imperio extra vrbem erant, Ad vrbem esse dicebantur, vt ait Asconius in Verrinas Ciceronis. Dabatur autem Senatus extra vrbem ferè

in

in æde Bellonæ aut Apollinis, quæ auctore Asconio oratione in toga candida, extra portam Carmentalem fuit, inter Forum Olitorium & Circum Flaminium. Augustus tamen exstructa æde Marti vltori, quam bello Philippensi vouerat, sanxit, vt de bellis ac Triumphis, in ea deinceps consuleretur, vt est auctor in vita Suetonius cap. XXIX. In ijs igitur templis Imperatores, ea quæ iam antè literis publicè scripserant, coram exponebant, quot hostium millia cæsa, quæ præda ex hostibus capta, quæ Prouinciæ ad Imperium populi Romani adiunctæ, atque pro ijs rebus gestis Triumphum postulabant. Eo die quo Imperatori dabatur Senatus, nullus Senator deesse solebat: quemadmodum ait Cicer. Philipp. 1. Velleius libro priore: de L. Paulo. Is cùm in concione extra vrbem, more maiorum, ante Triumphi diem ordinem actorum suorum commemoraret. Liu. l. XXXVIII. Cn. Manlius Procos. Romam venit, cui cùm ab Ser. Sulpicio Prætore Senatus ad ædem Bellonæ datus esset; & ipse commemoratis rebus ab se gestis postulasset, vt ob eas Dijs immortalibus honos haberetur, sibique triumphanti vrbem inuehi liceret. Et lib. XXXIX. M. Fuluius Procos. ex AEtolia redijt: isque ad ædem Apollinis in Senatu, cùm de rebus in AEtolia gestis differuisset, petijt à Patribus, vt æquum censerent, ob Remp. bene ac feliciter gestam, & Dijs immortalibus honorem haberi iubere, & sibi Triumphum decernere.

Dies porrò lege constitutus, quo die opor-

te-

tebat Imperatores de rebus ab se gestis differre, videtur summus fuisse decimus: sic enim scribit Cicero epist. 2. li. III. ad Q. Fr. Cum Gabinius quacumq; veniebat, Triumphum se postulare dixisset, subitoq; bonus Imperator noctu vrbem hostium planè inuasisset, in Senatum se non committebat. interim ipso decimo die, quo ipsum oportebat hostium numerum & militum renunciare, in re hæsit summa in frequentia. Hunc tamen diem, Triumphi cupiditate Imperat. sæpissimè prætulerunt, vt ex Liuio constat.

CAP. IV.

De Triumphi nomine & Inuentore.

TRiumphus in vrbe Roma honorum maximus fuit, quem is qui suis auspicijs, populi Rom. hostes, signis collatis prœlio deuicisset, Prouinciamq; Imperio pop. Rom. adiunxisset, cum exercitu rediens, Senatus primum iudicio, deinde populi iussu consequebatur. Nominatum Triumphum Varro & Plutarchus scribũt à θριάμβω Græco Liberi patris cognomento, quod milites inter pompã vsurpabant, dum Imperatori per vrbem in Capitolium ascendenti, festis vocibus acclamarent Io. Triumphe, Io. Zonaras autem dum Triumphum Diocletiani describit, item Nicãdri Scholiastes & Suidas Triumphi nomen deductũ putant ἀπὸ τῶν θρίων, id est, ficubus; quod ante inuentum personarum vsum, vulgo homines eius arboris frondibus contecti, scenica procacitate dicta in obuios

Varro lib. 5. de ling. lat. Plutarh in Marcello.

conijcerent: quam dictorum licentiam cum milites in pompa imitarentur, ex eo triumphi nomen ortum esse volunt. Suetonius vero, vt citat Isidorus libr. XVIII. cap. 2. dictum existimauit Triumphum, quod is qui Triumpharet, triplici iudicio cohonestaretur, exercitus, Senatus, & populi. Alij, vt eodem loco ait Zonaras, quod Triumphus tribus ordinibus Senatus, populi, militumq; constaret: tot enim ordines Triumphantem sequebantur.

Primus ex externis nationibus Bacchus deuicta India Triumphauit, vt ait Plinius libr. VII. cap. LVI. Ex Romanis vero Romulus, Acrone Cæninensium Rege interfecto, si Dionysio, Messalæ, & Plutarcho credimus: nam Florus & Eutropius, Tarquinium Priscum Triumphi auctorem faciunt. Qui scriptores inter se dissidentes, ita ex Plutarchi sententia videntur conciliari posse, vt Romulus quidem Triumphandi morem Romanis ostenderit; Priscus vero ornauerit atque auxerit.

Triumphorum porro duo genera fuere, vnus maior, qui præcipue Triumphus; minor alter, quæ Ouatio nominata est. Ex his autem alij terrestres, alij nauales; item alij in vrbe, alij in monte Albano acti sunt. De quibus omnibus singillatim ordine dicemus.

Quibus de causis concederetur vel negaretur Triumphus.

CAP. V.

QVoniam autem Triumphus, vti diximus, honorum omnium qui suffragio aut studio ci-

dio ciuium deferrentur, maximus semper est habitus, ne vnquam Triumphantium indignitate obso lesceret, leges multæ latæ sunt, quibus triumphi splendor ac dignitas custodiretur. Quarum illa antiquissima fuit, quæ numquam seruata non est, vt qui triumphum ducturi essent, sua in Prouincia suisque auspicijs rem gessissent. Liuius libro xxxviii. de Nerone & Salinatore. Inter ipsos, ne cum bellum communi animo gessissent, Triumphum separarent, ita conuenit: quoniam in Prouincia M. Liuij res gesta esset, & eo die quo pugnatum foret, eius forte auspicium fuisset; exercitus Liuianus deductus Romam veniisset, Neronis de prouincia deduci non potuisset; vt M. Liuium quadrigis vrbem ineuntem milites sequerentur; C. Claudius equo sine militibus inueheretur. Et lib. xxxiv. de M. Eluio; Causa triumphi negandi Senatui fuit, quod alieno auspicio, & in aliena prouincia pugnasset. Velleius libro secundo de Lepido, qui Tiberij Cæsaris auspicio res gesserat; Ob ea, inquit, quæ si proprijs gessisset auspicijs, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum iudicio Principum, voluntate Senatus, donatus est. Itaque Dio li. xliii. id contra consuetudinem Fabio Pedioque Legatis à Cæsare concessum scribit, vt cum suis auspicijs nihil gessissent, nihilominus tamen triumpharent.

Altera lex fuit, vt pro aucto imperio, non pro recuperatis quæ populi Romani fuissent, Triumphus decerneretur. Quam ob causam

neq; P. Scipioni ob Hispanias recuperatas, neq; Q. Fuluio qui Capuam, neq; L. Opimio qui Fregellas receperunt, permisit Senatus vt triumpharent, quemadmodum Valerius lib. 2. Marcellinus lib. xxv. scribunt. Eadem fuit conditio eorum, qui ad res gerendas sine magistratu missi essent, vt quamuis res Triumpho dignas gessissent, Triumphare tamen lege vetarentur. Atq; ob hanc vnam caussam neq; Scipioni neq; Marcello Triumphum decretum scribit Valerius lib. 2. Ac de Scipione quidem ita scribit Liuius li. xxviii. Ob has res gestas magis tentata est Triumphi spes, quam petita pertinaciter; quia neminem ad eam diem Triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Et libr. xxxi. de L. Lentulo Hispaniæ Procos. Res Triumpho dignas esse censebat Senatus, sed exemplum à maioribus non accepisse, vt qui neq; Dictator, neq; Consul, neq; Prætor res gessisset, Triumpharet: Proconsulem illum Hispaniam prouinciam, non Consulem aut Prætorem obtinuisse.

Vnus tamen Cn. Pompeius, Sulla Dictatore concedente, contra legem sine magistratu eques Rom. Triumphauit. Vetus etiam lex illa traditur, vt ij tantum vrbem Triumphantes inirent, qui hostes acie vicissent: quare Cethegi, M. Tamphili, Sp. Cassij, Q. Minutij Triumphos tanquá contra legem raptos notant Liuius & Dionysius, in quibus neq; hostes ducti ante currum essent, neq; alia præda, qua cohonestari Triumphi solerent, transuecta.

Post

Post vt Imperatorum ambitioni obuiam iretur, qui leuibus prœlijs prosperè factis, Triumphum petebant; lege cautum est, vt ne quis triumpharet, nisi & quinque millia hostium vno prœlio cecidisset, & de suo exercitu multò pauciores amisisset. Quo in vtroque ne falsus Senatui numerus ederetur, altera lex à L. Mario & M. Catone Tribb. pleb. lata est, quæ iubebat Imperatores cùm primùm ad vrbem venissent, apud Quæstores vrbanos iurare de vtroque numero verè ab ipsis Senatui esse scriptum, pœna proposita ijs, qui aut hostium occisorum, aut ciuium amissorum in numero mentiti essent, vt scibit Valerius libro 2. Hinc Liuius libro IV. Cùm trepidam tantùm ostendissent aciem AEqui, turpi fuga funduntur, haud magno Consulis decore, itaque Triumphus negatus: ceterùm ob Semproniæ cædis leuatam ignominiam, vt ouans vrbem introiret concessum est. Et l. x. M. Attilio Cos. de Triumpho agenti negatus honos & ob amissa tot millia militum, & quod captiuos sine pactione sub iugum misisset. Dionysius lib. v. de Postumio Cos. Causa negandi Triumphi fuit clades paullo ante cum ignominia accepta, cùm multis desideratis, parum abfuit, quin ipse in fuga veniret in potestatem hostium.

Illud quoque lege sancitum, vt non nisi exercitu è prouincia deportato Triumphus decerneretur, cùm vt testis esset virtutum Imperatoris, tum etiam vt debellatum esse in prouincia appareret. Atque hoc ipsum Mar-

cello quominus triumpharet, obstitisse significat Liuius l. xxvi. Et li. xxviii. In ijs causis cur Nero, quemadmodum Salinator, non triumphauerit, hunc etiam numerat. Quòd exercitus Liuianus deductus Romam venisset, Neronis deduci de prouincia non potuisset. Et l. xxxix. L. Manlio, inquit, Proconsuli postulanti ab Senatu in æde Bellonæ triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat; exemplum obstabat, quod ita comparatum more maiorum erat, ne quis qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi per domitam pacatamq; prouinciam tradidisset successori. Hinc illa apud eundem Liuium libro trigesimoprimo, extremo. C. Aurelij Cos. de Senatu conquerentis, quod absente exercitu, Furio Prætor i triumphum decreuisset: Ita, inquit, triumphum decreuisse Senatum, vt nullius nisi eius qui triumphaturus esset, aut eorum qui in bello interfuissent, verba audiret: maiores ideò instituisse, vt Legati, Tribuni militum, Centuriones, milites denique triumpho adessent, vt virtutes rerum gestarum eius cuius tantus honos haberetur, pubicè viderentur. Dio etiam libro xxxvii. nulli triumphum absque partæ victoriæ socijs decerni solitum scribit: idque Pompeio contra morem datum notat.

Impediendi quoque triumphi illa ratio fuit, cùm Tribunus plebis aliquis Imperatori ob res in bello gestas diem diceret, sicuti C. Memmius L. Lucullo, qui duobus potentissimis regibus Mithridate & Tigrane deuictis,

ctis, tamen non nisi triennio post, Memmio accusationem remittente, triumphauit Cicerone Cos. Vnde illa eiusdem Ciceronis in Lucullo. Nos Consules introduximus penè in vrbem currum clarissimi viri. Et Sallustius in Catilinaria; Q. Marcius Rex, Q. Metellus Creticus ad vrbem Imperatores erant, impediti ne triumpharent, calumnia paucorum.

Postremò illud more maiorum obseruatum est, vt quamuis aliquis præclaras res maximèque vtiles Reipublic. ciuili bello gessisset, Imperator tamen non appellaretur; neque ei supplicatio aut triumphus decerneretur: quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper æstimatæ victoriæ sunt, vtpotè non externo sed domestico partæ cruore. Quare neq; Catulus de Lepido, neq; C. Antonius de Catilina, quamquam improbis ac seditiosis ciuibus; neque Sulla de Mario, neque Cæsar de Pompeio triumphum duxerunt, vt est auctor Valerius li. 2. Dio autem li. XLI. scribit Pompeium, victo ad Dyrachium Cæsare, Imperatoris quidem nomen accepisse; fasces tamen lauro non ornasse, neque orationem vllam gloriosam habuisse.

De Ordine, ad quem spectabat Triumphum decernere.

CAPVT VI.

HAsce causas impediendi Triumphi Senatus cognoscebat, quarum si nulla obstitisset, Patrum consensu Triumphus his ver-

bis decernebatur. Quòd bene ac feliciter Remp. administrasset, vt scribit Liuius libro XXXVIII.

Initio enim æstimatio & arbitrium eius honoris penes ordinem Senatorium fuit. P. Seruilius Priscus Cos. viam à Senatu auctoritate recedendi primus ostendit: qui re bene cum Volscis gesta, cùm Triumphum à Senatu, Ap. Claudio collega intercedente, non impetrasset; cum lictoribus coronatis coronatus ipse, & triumphali veste ornatus vrbem iniit, atque in Capitolio vota persoluit, plebe vniuersa; cui erat carissimus, prosequẽte; anno V.C.CCLVIII. Et quamquam Dionysius libro VI. hunc Triumphum nominet. Eum tamen neque Liuius, neque fasti Capitolini habent; credo, quia inuito Senatu, sine populi iussu actus esset. Primi L. Valerius Potitus, M. Horatius Barbatus Consules cùm à Senatu Triumphum non impetrassent, ad populum conuersi, sine auctoritate Senatus, iussu populi triumpharunt, anno V.C.CCCIV. vti Liuius libr. III. Dionysius libro XI. narrant. Vnde illa apud Liuium C. Claudij indignantis; Numquam ante de triumpho per populum actum, semper æstimationem arbitriumque eius honoris penes Senatum fuisse; ne Reges quidem maiestatem summi ordinis imminuisse. Horum exemplũ secuti deinceps multi, omisso Senatu, Triumphum à populo impetrarunt. Liuius libro VII. C. Marcius Rutilus Dictator, sine auctoritate Patrum, populi iussu triumphauit. Et libro X.

Po-

Postumi° Cos. auxilio Tribunorum pl. trium, aduersus intercessionem septem Tribunorum & consensum Senatus, celebrante populo, triumphauit. Inuito autem populo, nemo vnquam triumphasse legitur, præter vnum Ap. Claudium, quem triumphantem, ne à Tribuno pl. de curru detraheretur, Claudia virgo Vestalis, filiane, an soror (vtrumque enim traditur) curru consc enso, vsque in Capitolium prosecuta est, vt Cicero in Cæliana, Valerius lib. v. ca. iv. Suetonius in Tiberio cap. ii. narrant.

Vnà cum triumpho pecuniam etiam ad triumphi sumptus ex ærario Senatus decernebat, vt ait Polyb. lib. vi. Primusq; priuatis sumptibus triumphauit Q. Minucius Rufus Cos. anno V.C. DLVI. qua de re ita Liuius lib. xxxiii. Q. Minucius Cos. de Ligurib. Boijsque Gallis in monte Albano triumphauit: is triumphus, vt loco, & fama rerum gestarum, & quod sumptum non erogatum ex ærario omnes sciebãt, inhonoratior fuit; ita signis carpentisque, & spolijs fermè æquabat.

Romæ autem Ap. Claudius Pulcher Cos. primus priuato sumptu de Salassis Gallis triumphauit anno V.C. DCX. qua de re sic Orosius lib. v. ca. iv. Ap. Claudius aduersus Salassos Gallos conuersus & victus, decem millia peditum amisit; reparata pugna, quinque hostiũ millia cecidit: triumphum propter damna superiora, cũ non impetrasset, infami impudentia atque ambitione vsus priuatis sumptibus triumphauit.

Huius exemplum secuti reliqui Imperatores, priuatis sumptibus triumphos apparabãt, accepto à ciuitatibus auro, quod Coronarium dicitur. Dio l. XLVIII. de Cn. Domitio Calui-no; Aurum quod in triumphum conferri ab vrbibus solet, à solis Hispaniæ ciuitatibus accepit: atque cùm eius aliquam partem in triumphi apparatum impendisset, reliquam ad palatium reficiendum contulit. Et lib. 49. Triumphum sibi à Cæsare vel Antonio concedi impetrarunt; eiusque nomine multum aurum coronarium à populis exegerunt.

De Imperio Triumphantium.

CAPVT VII.

AC triumphm quidem, & pecuniam ad sumptus, vti diximus, senatus decernebat: sed imperium in vrbe quo die triumphus duceretur, populus dabat. Triumphabant enim cum imperio, quòd vrbem intrantibus, vt supra demonstratum est, deponere necesse fuit. Addit Zonaras, priuatis nullo modo triumphare licuisse. Itaq; decreto à Senatu triumpho de eiusdem auctoritate, Tribunus plebis, aut Magistratus aliquis rogationem ad populum ferebat, vt quo die vrbem triumphantes inirent, eo die ipsis imperium esset. Liuius lib. XLV. Tribus ijs omnibus decretus est ab Senatu triumphus, mandatumque Q. Cassio Prætori cum Tribunis plebis ex auctoritate Patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, vt ijs, quo die vrbem triumphantes inuecherentur, imperium esset. Hanc legem de

de imperio vnius diei intra vrbem significat Cicero lib. 1v. epist. xv. ad Atticum; Pontinius vult ad 1v. Non. Nouembr. triumphare: huic obuiam it Cato & Seruilius Prætor. apertè, & Q. Mucius Trib. negant enim latum de imperio, & est latum hercule insulse, &c. Latum insulse dicit, quia vt scribit Dio li. 39. extremo. Galba Prætor. legem de imperio Pontinij ferens, clam ante lucem quoidam in suffragium miserat: cùm tamen ante primam diei horã, quidquam agi cũ populo leges vetarent.

De Pompa Triumphi.

CAPVT VIII.

REbus omnibus comparatis, dies pompæ traducendæ indicebatur; quæ quidem alia alijs temporibus, pro rerum & victoriarum conditione fuit. Initio enim quamdiu populus Rom. cum finitimis bella gessit, tenui admodum pompa triumphi instruebantur, cùm nihil teste Floro, nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitũ arma in ijs deferrẽtur. Postquam aũt Prouinciæ, Regna, atque integræ nationes in ditionem popul. Rom. venerunt, vnà cum imperij opibus, ita creuit triumphorum magnificentia, vt ad eam nihil agi potuisse videatur. Vbi igitur dies constituta aduenerat, Senatus cum equestri ordine, alijq; Magistratus festo cultu, obuiam Imperatori extra vrbem prodibãt, certoq; in loco eius aduentum prẽstolabantur, vt Dio lib. 51. de triumpho Augu. Ioseph. l. 7. de triumpho Vespasiani tradidêre. *Lib. 1. ca. 13.*

Hinc

Hinc Valerius libro IX. capite III. Manlio Torquato amplissimam & gloriosissimam ex Latinis & Campanis victoriam in vrbem referenti, cùm seniores omnes lætitia ouantes occurrerent iuniorum nemo obuiam processit. Et Liuius lib. v. de Camillo: Aduentus quoque Dictatoris, omnibus ordinibus obuiam effusis celebratior, quàm vllius vmquam antea fuit.

Interea ex alia parte milites in turmas ordinesque descripti ad Imperatorem conueniebant. Is triumphali habitu indutus, sumptis armillis, laurea redimitus, ramumque dextra tenens, prosequente exercitu, ad locum vbi Senatus exspectabat, progrediebatur: positaque Sella milites ad concionem conuocabat, atque alijs omnibus, alijs proprijs laudibus ornatis, pecuniam & dona militaria diuidebat, votaque solemnia celebrabat, vt Iosephus & Zonaras scribunt. Hinc Fest. Calbeos armillas dicebant, quibus triumphantes vtebantur. Et Liuius lib. 39. Multos eo die priusquam in vrbē inueheretur, in circo Flaminio Tribunos, Præfectos, Equites, Centuriones, Romanos, Sociosque donis militaribus donauit.

Dum hęc ab Imperatore geruntur, populus interim candidis indutus vestibus, sese ad spectandum comparabat, exstructis qua pompa præferebatur, spectaculorum gradibus, patentibus Deorum templis, turribusque ante ianuas positis, thure & odorib. incensis, vt est auctor in AEmilio Plutarchus. Hinc Tacitus

lib.

lib. XIV. de Nerone; Promptiora quam promiserant inueniũt, obuias tribus, festo cultu Senatum, coniugum ac liberorum agmina per sexum & ætatem disposita, exstructos qua incederet spectaculorum gradus, quomodo triumphi visuntur.

Imperator votis psolutis, milites præmijs militaribus donatos ad prandiũ dimittebat, quod iis ab Imperatore exhiberi mos fuit: ipse ad portam procedebat, quæ triumphalis dicebatur, quod ea triumphorum pompa inferri soleret. Auctor Iosephus loco citato. Portæ triumphalis meminit etiam Cicero in Pisonem. Quasi verò ad rem pertinear, qua tu porta introieris, modo ne triumphali: quæ porta Macedonicis semper Proconsulib. ante te patuit. Plutarchus in Symposio lib. II, capit. I. scribit licuisse olim triumphantibus muri partem qua ingressuri essent, deijcere, vt ostenderent non magnoperè indigere mœnibus eam vrbem, quæ eos Duces peperisset. Verùm ego vix adduci possum vt credam. Hieronicarum morem Romæ fuisse seruatum: neque alium quemquam præter vnum Neronem legi, disiecta muri parte vrbem introisse. *Sue. c. 5. Xiphilin.*

Sed vt ad Imperatorem reuertamur, vbi is corpus curasset, Dijs, qui erãt ad portam collocati, sacrificat. Inde pompa per instructa omnia ordinibus virorum ac mulierum, inter plausus & acclamationes, viisq; flore stratis, procedere incipiebat, summoventibus turbã cum bacillis ministris, ne se pompæ admi-

admiſceret, ordinemq; turbaret, vt Ioſephus li. vii. bel Iud. Plutarchus in vita Aemylij & Tib. Gracchi narrat. Ouidius:

l. 4. Triſt. el. 2.

Quaq; ibis, mixtis circum plaudere tuorum,
Vndique iacto flore tegente vias.

Primus omnium Senatus, feſto, vt diximus, cultu ingrediebatur. Dio lib. Lv. ait Magiſtratus præcedere ſolitos fuiſſe; ſubſequi autem Senatores: Auguſtum tamen præter morem paſſum eſſe, vt Collega cum Senatoribus ſequeretur. Tum currus, hoſtium ſpolijs onuſti traducebantur à militibus coronatis, quibus tubicines item coronati miſti erant, vt ſcribit in Libyca Appianus.

His curribus arma, tela, catapultæ, baliſtæ, tormenta omnis generis, aliaque inſtrumenta belli tranſuehebantur, ita inter ſe confuſa & congeſta, vt inter vehendum mutuo impulſu atque tritu ſtridorem quendam ederent aſperum atque horribilem, vt ait Plutarchus in Aemylio.

¶ Ciuitatem deinde gentiumq; victarum numina & ſimulacra pictæq; tabulæ ducebãtur, in quibus mõtium, fluminum, regionum, præliorumq; ſpecies ita erant expreſſæ atque diſtinctę, vt ex eis rerum geſtarum ordo cognoſci facilime poſſet. Aliquæ enim vaſtitatem, quæ regionibus inferebatur; aliquæ exciſiones vrbium atque incenſiones oſtendebant; aliæ præliorum faciem afferebant, fugam cædemque hoſtium; nonnullæ ipſos hoſtium duces ſupplicum more manus tendentes re-

præ-

præsentabant. Atque hæc omnia partim viri toga induti purpurea ferculis gestabant, partim curribus vehebantur, quorum pegmata in tertiam, quartamque contignationem surgebant. Auctor Appianus in Libyca, & Mithridatica extremo. Et li. 2. ciuil. Ioseph. Zonaras locis citatis. Asconius etiam ferculis signa ante triumphantem vehi per pompam solita scribit ad lib. 1. in Verrem. Fercula autem & simulacra quæ in triumpho ferebantur, eburnea fuere: quare datum vitio Maximo Pedioque Cæsaris Legatis scribit Dio, quod *lib 43.* ligneis oppidorum imaginibus in triumpho vsi essent. Chrysippus etiam cum in triumpho Cæsaris eburnea oppida essent translata, & post dies paucos in triumpho Maximi lignea; thecas esse oppidorum Cęsaris dixit, vt refert Quintilianus lib. 6. Itaque *b* Marcellus Siracusarum simulacrum in triumpho duxit. Scipio *c* Asiaticus signa militaria 234. oppidorũ simulacra 134. transuexit. *d* Balbus Cornelius, victis Garamãtibus, præter Cydamam & Garamam, omnium aliarum gentium vrbiumq; numina & simulacra in triumpho ostendit. C. Cæsar *e* Rhenum Rhodanumque, & ex auro captiuum Oceanum: in ferculis Nilum, Arsinoëm, & ad simulacrum ignium ardetẽ Pharum transtulit. Idẽ *f* Achillæ & Potini Pompeij interfectorum cædem, Pharnaciq́ue fugam pictam in tabulis ostẽdit; & illa quæ sine gemitu adspicere populus Romanus non potuit. L. Scipionis in mare se præcipitantis, Catonis Viscera dilaniantis, Petreij & Iubæ

b Li. l. 2 6.

c Id l. 37.

d lin. li.

5 ca. 5.

e Florus l. 4 ca. 2.

f Appian. lib. 2. ciu.

singulari certamine decernentium imagines
g Valer.l.2. traduxit. Longè melius in hoc genere g Sulla
c.3. quam Cæsar, qui cum Græciæ & Asiæ multas vrbes; ciuium Romanorum nullum oppidum in triumpho vexit.

Hanc prædam deinceps duo militum ordines sequebantur, quorum vnus aurum argentumq; rude & infectum, alter factum signatumq; præferebat, æs, ebur, vestes pretiosas, signa marmorea, aurea & argentea, coronas, quas sociæ ciuitates Imperatoribus post victoriam gratulantes honoris causa miserant, adscriptis titulis ciuitatum, à quibus donatæ fuissent, vt scribit Appianus & Plutarchus locis citatis. Vopiscus de Aureliani triumpho; Præferebantur, inquit, coronæ omnium ciuitatum aureæ, titulis eminentibus proditæ. Plin. lib. XXXIII. cap. III. Claudius Princeps qui Caio successit, cum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas, vnam septem pondo habuit, quam contulisset Hispania citerior; alteram nouem, quam Gallia comata, sicut titulus indicauit.

Denique quidquid in hostium Prouincia, vel singulare fuit, vel nouitate, precio, artificioue admirabile; id vectum in triumpho oculis pop. Roman. subijciebatur, vt ait Ioseph. Quod si magna prædæ copia fuisset, plaustris multisque vehebatur: diesque plures continuabantur, si vnus pompæ traducendæ non sufficeret, vt Liuius libro XXXIV. & XLV. de
h Plin.li.12. Quinctij & Pauli triumphis; Plutarchus in
c.26. Lucullo narrant, Itaq; Pompeius h in triumpho

pho Mithridatico Ebenum: *b* C. Cæsar Camelopardalem: *c* Augustus Hippopotamum, & Rhinocerotem: *d* Vespasianus Balsamũ: *e* Aurelianus nouum purpuræ genus primi ostenderunt. *f* T. Quinctius de Macedonia triduum triumphauit, translatúque infecti argenti 18. millia pondo, & CCLXX. facti, vasa omnis generis, cælata pleraq; quædam eximiæ artis, & ex ære multa fabrefacta, ad hoc clypeos argenteos decem: signati argenti tetradrachũm XXCIV. millia, auri pondo tria millia DCCXIV. & clypeum vnum ex auro totum, Philippeos aureos quatuor millia. DXIV. coronas. dona ciuitatum CXIV.

b *Dio li.* 43. c & 51. d *Plin. l.* 12. c. 4. e *Vopisc. in vita.* f *Liu. li.* 34.

L. Scipio in triumpho quem egit de Antiocho Rege tulit eburneos dentes mille, 231. aureas coronas. CCXXXIV. argenti pondo, 147. millia, & CDXX. tetradrachmũm Atticorũ CCXXIV. millia. cistophorũm CCCXXXI. millia. & LXX. nummos aureos Philippeos CLX. millia, vasorum argenteorum (omnia cælata erant) mille pondo & CDXXIV. aureorum mille pondo XXIV. *Liu. l.* 37.

Paulus Æmilius triumpho Macedonico de Perseo Rege, coronas CD. transtulit, tantumque pecuniæ, vt ex eo tempore populus Roman. tributum pendere desierit, vt Plutarchus in vita, & Cicero lib. III. officiorum tradidere. Plinius libro XXXIII. cap. III. prædam pondo trium millium in ærarium illatam scribit: Antias, & Velleius summam omni; captiui auri argentiq; translati bis millies centies H S. fuisse dicunt. Idem Velleius ex *Liu. l.* 45.

quinque C. Cæsaris triumphis, Gallici apparatum ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitisse scribit: pecuniam ex manubijs illatam paulò amplius sex millies
Lib. 1. civ. HS. Appianus inuecta dicit talenta mille LXV. coronas aureas duo millia. DCCCXXII. pondo XXV. millia. DCIV.

Pompeius tertio triumpho quē de Piratis, Asia, Ponto, &c. die natalis sui egit M. Pisone
Li. 37. c. 2. M. Mesala Coss. transtulit, auctore Plin. alueū cum tessaris lusorium è gemmis duabus, latū pedes tres, longum pedes quatuor: in quo fuit luna aurea pondo 30. lectos tricliniares tres, vasa ex auro gemmisque abacorum nouem, signa aurea tria, Mineruæ, Martis, & Apollinis, coronas aureas ex margaritis XXXIII. montem aureum quadratum cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea: Museum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat: Reip. dedit mille talentūm; Legatis & Quæstoribus, qui oras maritimas defendissent HS. bina millia, commilitibus singulis quinquaginta.

In Luculli triumpho latum est, quemadmodum scribit in vita Plutarchus, aureum Mithridatis simulachrum senum pedum, clypeus gemmis distinctus, fercula viginti vasorum argenteorum: aureorum verò poculorum armorumque triginta duo: octo quoque muli cum aureis lectis traducti: argentum infectum muli sexaginta sex, signatum cētum & septem portarunt: argentiq; signati. Sum-

ma

ma fuit vicies septies centena millia drachmarum.

Huic diuitiarum pompæ tubicines succedebant, aureis coronis purpuráque ornati, nihil lætum & suaue, sed bellicum & horrificũ canentes. vt in ipsa acie solet. Tum hostias ad sacrificandum boues domesticos albos auratis cornibus vittis sertisq; redimitos, iuuenes candidis succincti vestibus traducecebant, quos pueri sequebantur aureas argenteasque pateras præferentes, vt Plut. in AEmilio, Appian. in Libyca scribunt. Boues albi vt essent ex Clitumni pascuis ferè desumebantur, quòd animalia de illius fluminis aqua potauerint, fetus albos edere dicantur, teste Plin. lib. 2. ca. 103. Vnde illa Virg. lib. 2. Georg.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus,
Victima sæpè tuo profusi flumine sacro,
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Quod etiam obseruauit Seruius ad eũdem locum. Quare Seruilius de triumpho L. Pauli, qui antiquabatur, sic loquitur apud Liu. l. 45. Pars, inquit, nõ minima triumphi est victimæ præcedentes, vt appareat Dijs grates agentem Imp. ob remp. bene gestã redire: omnes illas victimas quas traducendas in triumpho vindicauit, alias alio cædente mactare. Hæc ille. Duxit aũt in triumpho Paulus, vt Plut. ait, boues centũ viginti. Trebell. in Gallieni triumpho ductos scribit centenos albos boues cornibus auro iugatis, & dorsualib⁹ sericis discoloribus præfulgẽtes, & agnas candidas 200.

Vltimo loco Regum deuictorum currus cũ ipsorum insignibus ac diademate vehebantur. Plutarchus traductum à Paulo in triumpho scribit Persei regis currum, cui erant imposita eius arma, & armis diadema. Idemque tradit in Luculli triumpho de Mithridate currus falcatos decem processisse. Vopiscus scribit Aurelianum in triumpho de Zenobia tres currus regios tulisse; vnum Odenati auro, argento, gemmis operosum atque distinctum; alterum quem Rex Persarum Aureliano dono dederat, pari opere fabricatum; tertium quem sibi Zenobia construxerat.

Ipsi deinde hostium duces & captiui trahebantur, pro gentium varietate in turmas gregesq; descripti, cum titulis, qui cuius gentis essent indicarent. Primus in triumpho hostes duxisse captiuos traditur Quinctus Cincinnatus ab Orosio libr. II. ca. XII. Vopiscus, in Aureliano. Ductæ sunt, inquit, decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gothos ceperat, cùm multæ essent interemptæ; quas de Amazonum genere titulus indicabat. Idem Vopisc. in Probo. Triumphauit de Germanis & Blemyis, omnium gentium drungos, vsque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit. Trebellius de triumpho Gallieni. Ibant præterea gentes simulatæ vt Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ; ita vt non minus quàm duceni singulis globis ducerentur.

Adolph. all. 2. sc. 1. Donatus in Terentium captiuos lauro vinciri, atque ita duci per pompam morem fuisse scribit. Liuius tamen catenis vinctos fuisse signi-

significat lib. XLV. Sed non Perseus tantum, inquit, per illos dies documentum humanorum casuũ fuit, in catenis ante currum victoris ducis per vrbem hostium ductus: sed etiam victor Paulus auro purpuraque fulgens. Vopiscus in Aureliani triumpho scribit ductam Zenobiam ornatam gemmis. catenis aureis, quas alij sustentabant. Ipsi etiam captiui preciosis vestibus erant induti, vt vestium ornatu & splendore, quemadmodum scribit Ioseph. squallor ac deformitas corporũ subtraheretur. Quamquam etiam Imperatores ex captiuorum multitudine forma præstantissimum quemq; deligere consueuerunt, quẽ in triumpho ducerent. Suet. in Caligula. Conuersus cap. 47. hinc ad curam triumphi præter captiuos ac transfugas barbaros, Gallorum quoq; procerissimum quemque, &, vt ipse dicebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principib. legit ac sepositit ad pompam. Porrò inter captiuos, vt ait Appianus, quidam incedebat, talari veste, auro gemmisq; distincta ornatus, qui vario gestu captiuis illudebat, risumq; populi captabat. Atq; hæc quidem pompæ ordo fuit vsq; ad ipsum Imperatorem: de qua etiam Ouid. lib. IV. Trist. eleg. 2.

Ergo omnis populus poterit spectare triũphos,
Cumq; ducum titulis oppida capta leget?
Vinctaq; captiua Reges ceruice gerentes,
Ante coronatos ire videbit equos?
Hic qui Sidonio fulget fulgurius in ostro,
Dux fuerat belli, proximus ille duci.

Hic lacus, hi montes, hac tot castella, tot amnes,
Plena fera cedis, plena cruoris erant.
Crinibus en etiam fertur Germania passis.
Et ducis inuicti sub pede mœsta sedet, &c.

Deinceps reliqua videamus.

De Imperatoris curru & ornatu.
CAP. IX.

INitio pedibus vrbem ingressos, atque ita Romulum triumphasse tradit Plutarchus, qui etiam Dionysium reprehendit, quod Romulum curru vrbem inuectum scribat videlicet quod non Romulus, sed aut Priscus Rex, aut, quod alij tradidere, Poplicola Cos. curulem in vrbem triumphum introduxerit. Florus etiam consentit in Prisco. Vtcunque autē se res habeat, permanauit hæc apud posteros consuetudo, vt oēs triumphantes quadrigis in vrbem veherētur: quod priores duces, vt Isid. ait, soliti essent hoc habitu bella inire. Primus Camillus Dictator ad currū albos equos adhibuit: quo facto superbiæ crimen haud vitauit, propterea quod currus ille Deorū patri ac Regi dicatus esset, ipseq; Iouis soliq; equis æquiparari se velle videretur, vt Liuius, Plutarchus, Zonaras narrant. Caligula autem posterioribus sæculis primos sex equos iunxit, vt scribit Dio lib. LIX. Equos autem albos, similiter atque victimas ex Clitumni pascuis desumi solitos, auctor est Seruius ad li. 2. Georg. Hos verò equos aureis phaleris monilibusq; ornabant, vt ait Diony. l. 8. Vnde Ouid.

lib. 1. c. 5.

l. 18. c. 2.

Liu. l. 5.

Ante

Ante coronatos ire videbit equos.

Triumphalis porro currus, neque bellicarum, neque ludicrarum, quadrigarũ, sed turris rotundæ instar erat, constructus auro gemmisque magnifice cælatus, vt Plut. in Aemylio, Appianus in Libyca, & Mithridatica, Zonaras de triumpho Camilli tradidere.

Imperator aũt cultu regio, armillisq; ornatus, omnia gestans Iouis insignia, in sella eburnea regia residebat: vt Dionys. lib. III. & vscribit. Liuius l. x. Qui Iouis opt. Max. ornatu decoratus, curru aurato per vrbem inuectus in Capitolium adscenderit. Plinius lib. VII. capit. XLIV. de Metello. Per mediam vrbem Censore tracto in Capitolium illud, in quod triumphans ipse Deorum exuuijs, ne captiuos quidem sic traxerat, &c. Itaque faciem minio illitam habuit, ad Iouis similitudinem, cuius facies, auctore Plinio, diebus festis illini solebat. Seruius ad Eclogam x. Virgilij. *li. 33. c. 7.* Facie, inquit, rubea pingitur Pan, propter ætheris similitudinem: æther aũt est Iuppiter: vnde etiam triumphantes habent omnia Iouis insignia, sceptrum, palmatam togam, qua vtebantur illi qui palmam merebantur; faciẽ quoq; de rubrica illinunt, instar coloris ætheris. Isid. l. 18. Triumphantes colore rufo liniebantur quasi imitarentur diuini ignis effigiẽ.

Imperator exterius toga picta indutus erat, interius tunica palmata. Toga picta purparea fuit, auro intexta. Liuius libr. XLV. de Paulo triumphante; Paulus auro purpuraq; fulgens. Plinius lib. IX. ca. XXXVI. Purpura in triũphali

miſcetur auro. Idem etiam docet Dionyſius lib. III. qui præterea togam pictam, amictum fuiſſe ait, non vt Lydorum quadratum, ſed ſemicircularem, eamq; à Romanis togam, à Græcis τήβεννον appellatã. Iſidorus etiam lib. XIX. cap. XXIV. togam pallium tradit purum fuiſſe forma rotunda, fuſiore & quaſi vndante ſinu, & ſub dextro veniens ſupra humerum ſiniſtrum poni ſolitum, eiuſque iuſtæ menſuram ſex vlnarum fuiſſe. Picta dicitur, quod in ea imagines aliquot acu depictæ eſſent.

Appianus ſtellas aureas intertextas ſcribit, Quare Dionyſ. l. III. vocat πελέλαιον πορφυρᾶν ποικίλον. & lib. V. ποικίλῳ καὶ χρυσόφθογγον τελίῳ. Plutarch⁹ in Aemylio. ἀλεξιβίδα χρυσοπάστον appellat. Feſtus, Picta quæ nũc toga dicitur, purpurea antea vocitata eſt, eaque erat ſine pictura. Dicta quoq; eadem eſt Palmata. Valerius enim lib. IX. c. I. Metellum ait cum palmata veſte conuiuia celebraſſe: Salluſtius autem eadem de re ſcribens apud Macrobium: Metello plerumque accumbenti togam pictam amiculo fuiſſe ſcribit Iſidorus. Toga, inquit, palmata dicebatur, quam merebantur ij, qui reportabant de hoſtibus palmas: ipſa vocabatur & Toga picta, eo quod victorias cum palmis intextas haberet. Quæ Iſidorus, vt alia multa ſumpſit è Seruio. Auſonius in Panegyrico ad Gratianum. Palmatam, inquis, tibi miſi, in qua Diuus Conſtantinus parens noſter intextus eſt.

lib. 3. c. 13.

lib. 19.

Seru. Ecl. 10. & li. 11 ibi & Sedam regni.

Hæc

Hæc toga picta siue palmata ab eodem Ausonio Trabea dici videtur: nam in eodem Panegyrico, vbi Gratiano Imperatori pro Consulatu gratias agit; In procinctu, inquit, & tũ maximè dimicaturus, palmatæ vestis meæ ornamenta disponis; feliciter & bono omine, namq; iste habitus vt in pace Consulis est, sic in victoria Triumphantis. parum est, si qualis ad me trabea mittitur, interroges; te coram promi iubes. Quibus ex verbis colligitur Trabeam, eandem Palmatam vestem dici, ac Triumphalem fuisse. Diuersas tamen eas ostendit libr. 1. cap. v. seorsum Trabeam, Togam pictam, Tunicamque palmatam nominans. Plinius etiam cum ait libr. VIII. cap. XLVIII. Trabeis vsos accipio Reges, pictas vestes iam apud Homerum fuisse; vnde Triumphales natæ, &c. Primum à Trabeis pictas vestes separat; deinde illud ostendit, Pictas vestes, non Trabeas inter ornamenta triumphalia fuisse. Aurum quoq; Trabeæ dat Ausonius, cum eodem loco subiungit. Hæc est picta, vt dicitur, vestis non magis auro quam tuis verbis; & in extrema gratiarum actione. Trabeam non magis auro suo, quam tuo munere splendidam. At verò Suetonius in libro de vestimentis, quem citat Seruius ad lib. VII. Virgilij cum tria Trabearum genera describeret, nullam auri mentionem fecit. vnum enim fuisse dicit è sola purpura Dijs consecratum; alterum è purpura non sine albo, quo Reges vtebantur; tertium augurale è purpura & cocco. Dionysius lib. 2. Trabeas, quibus Sa-

lij vtebantur, togas fuisse dicit fibulis districtas, purpura prætextas, puniceo colore alternis intertexto.

Quomodocumque autem se res habuerit; Togæ pictæ suppositæ fuit Tunica palmata: de qua ita Festus. Tunica palmata à latitudine clauorum dicebatur; quę nunc à genere picturæ Palmata appellatur. quorum verborum hic est sensus. Tunica quæ ante ob latitudinẽ clauorum (claui autem fuere quasi flores quidam panno intexti) quæ igitur ante ab clauorum latitudine Palmata dicebatur, id est, nobilis, aut quia clauorum latitudo tanta esset, vt palmo mensurari posset; postea à palmarũ ramis qui in ea intexebantur, dicta est Palmata; in ea enim, vt ait Isidorus, Victoriæ cum palmis erant intextæ. Liuius lib. x. Cui Deorum hominumue indignum videri potest eis viris quos vos sellis curulib. toga prætexta, tunica palmata, toga picta, & corona triumphali laureaq; honoraritis; Pontificalia atque auguralia insignia adijcere? Et lib. xxx. Postero die Scipio, vt à præsenti motu auerteret animum Massanissæ, in tribunal adscendit, & concionem aduocari iussit: ibi eum primum Regem appellatum, eximijsq; ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, Sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. addit verbis honorem, neque magnificentius quidquam triũpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem ęo ornatu esse, quo vnum omnium externorum dignum Massani sam populus Rom. ducat.

Porro

Porro togam pictam, & palmatam tunicã Imperatores de capitolio Iouisque templo accepisse scribit in Seuero Lampridius; Prætextam, inquit, & pictam togam, nũquam nisi Consul accepit; & eã quidem, quam de Iouis templo desumptam alij quoque accipiebant aut Prætores aut Consules. Et Capitolinus in Gordianis. Palmatam tunicam, & togã pictam primus Rom. priuatus suam propriam habuit: cum ante Imper. etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio. Hinc Vopiscus in Probo, Palmatam Capitolinam appellauit.

Calceos videntur gestasse siue puniceos siue rubros. Dionysius enim triũphantes cultu regio incessisse scribit: Zonaras autẽ, Romulum Regem tunica purpurea, toga prætexta, rubrisq; calceis vsum narrat. Dio etiam li. 43. Cæsarem rubris calceis vsum esse dicit, quod ijs olim vterentur Reges Albanorum, à quib. ipse originem duceret. Hinc etiam in Epigramate antiquæ vrbis ita legitur de C. Mario.

De manubijs Cimbricis & Teutonicis ædem Honori & Virtuti victor veste triumphali, calceis puniceis.

Dextera manu lauri ramũ, sinistra scipionem eburneum gestabant, in quo summo aquilę fuit effigies, vt Appianus & Plutarchus tradunt: qua re significabant, auctore Isidoro, per victoriam, quasi ad supernam magnitudinem accedere. Eam aquilam Eburneam item fuisse significat Prudentius lib. 1. contra Symmachum. *lib 18. Etym.*

Post

Post Trabeas, & Eburnam aquilam, Sellamq; curulem.

Hæc Triumphantium ornamenta, Sellam curulem, sceptrum cum aquila, togam tunicamq; pictam Dionysius lib. III. ab Hetruscis Tarquinio Prisco Regi missa scribit: eiectisq; Regibus ad honestandos eos qui triumpharēt à populo Rom. retenta.

Macrobius lib. I. Saturn. id Hostilio tribuit: Florus cum Dionysio consentit in Prisco.

Sed vt ad triumphantem reuertamur: is capite coronam, ex lauro Delphica siue sterili initio gestabat: posteà cum Liuiæ Drusilę sub Augusti nuptias in Veientano suo sedenti, aquila ex alto gallinam conspicui candoris, ramum lauri baccis onustum rostro tenentē in gremium demisisset illæsam; & conseruari auem & sobolem haruspices iussissent, ramumque eum seri ac ritè custodiri, tam feliciter silua prouenit, vt ex ea Triumphans postea Cæsar laurum in manu teneret, & coronam in capite gereret; atq; Imperatores Cæsares cuncti, inde mox ominis caussa laureas decerperent, traditusq; mos est ramos quos tenuissent, confestim eodem loco serendi. Auctor Plinius lib. XV. cap. XXX. Suetonius in Galba. Dio lib. XLVIII. Alij.

Adhibebatur autem laurus in Triumpho, nō quia perpetuo viret, nec quia pacifera est (præferenda enim ei vtriq; olea) sed quia spectatissima in monte Parnasso, ideoq; etiam grata Apollini esse crederetur, assuetis eo do-

eo dona mittere iam & Regibus Romanis toſte L. Bruto : fortaſſe etiam in argumentum, quoniam ibi libertatem publicam is meruiſſet, lauriferam tellurem illam oſculatus ex reſponſo: & quia manu ſatarum, receptarumque in domo fulmine ſola non icitur. Ob has cauſſas Plinius credit, honorem ei habitum in triumphis potius, quàm quia ſuffimentum ſit cædis hoſtium & purgatio, vt Maſſurius & Feſtus tradiderunt. Quamquam idem Maſſurius curru triumphantes myrtea etiam corona interdum vſos ſcripſit, referente Plinio li. xxxv. ca. xxix. Hanc triumphantium coronam deſcribit Tertullianus in libro de corona militis cap. xii. Triumphi laurea foliis ſtruitur, hinc ambitur lemniſcis, inauratur lannulis, vnguentis delibuitur à lacrymis coniugum & matrum.

Lib. 15 c. 30. Maſſur. apud Plin. ibidem. Feſt. v. Laureati milites

Bullam etiam de ceruice ſuſpenſam geſtaſſe, incluſis in eam remedijs, quæ crederent contra inuidiam valentiſſima ſcribit Macrobius. li. 1. Saturn. ca. vi. Quam etiam ob cauſam crediderim appẽſum fuiſſe, ſub curru Faſcinũ Deum inuidiæ medicum; qui Deus inter ſacra Romana à Veſtalibus colebatur. auctor Plin. lib. xxviii. c. iv.

In ipſo curru vnà cum triumphante, admirabili planè exemplo, ſeruus publicus, vt ait Zonaras, vehebatur: qui pone coronam auream gemmis diſtinctum ſuſtinens, admonebat ſubindè triumphantem eum vt reſpiceret, id eſt, vt reliquum vitæ ſpatium prouideret, nec eo honore elatus ſuperbiret; atq; per

ſin-

ex auro quercinis ob Iouem insignes, ad deducendas tensas cum palmatis togis sumunt. De hac corona, & seruo eam sustinente sic Iuuenalis Satyra x.

magnæq; corona
Tantum orbem, quantò ceruix non sufficit vlla
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Cõsul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.

Hic seruus publicus, qui vnà cum triũphante vehebatur, videtur fuisse carnifex. Plinius enim li. xxviii. c. iv. ita scribit: Fasciuus Imperatorum quoq; non solùm infantium custos, & currus triumphantium, sub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubetq; eosdem respicere: similis medicina linguæ, vt sit exorata à tergo fortuna gloriæ, Carnifex. Et Isidorus lib. 13. ca. 2. Quod verò, inquit, à Carnifice triumphantes contingebantur; id erat indicio, vt ad tantum fastigium vecti, mediocritatis humanæ commonerentur.

Appensum quoque erat currui, vt ait Zonaras, tintinnabulum & flagellum; quibus significabatur, ipsum in eam calamitatem incidere posse, vt & flagris, seruorum more cæderetur, & capite damnaretur: qui enim ob facinus supremo supplicio afficiebantur, tintinnabula gestare solebant, ne quis inter eundem contactu illorum, piaculo sese adstringeret.

Eodem curru liberi cognatiq; si quos Imperator haberet, etiam ipsorum virgines puerique aduehebantur: natu verò grandiores, equis vel iugalibus, vel singularibus sequebantur.

bantur: cæteri omnes pedibus pompam cõmitabantur lauro coronati, vt Zonaras & Appianus tradunt. Et Cicer. pro Murena. An cum ſedere in equis triumphantium prætextati potiſſimum filij ſoleant; huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit; vt rebus communiter geſtis, pænè ſimul cum patre triumpharet? Suetonius in Tiberio cap. VI. Pubeſcens Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt, ſiniſteriore funali equo, cùm Marcellus Octauię filius dexteriore veheretur. Et in Domitiano c. 12. Triumphum vtriuſque Iudaicum equo albo comitatus eſt, Liuius libr. XLV. de Pauli filijs. Minor fermè, inquit, duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum; maior quatuordecim annorum, triduo poſt triumphum deceſſit: quos prætextatos curru vehi cum patre, ſibi ipſi ſimiles prædeſtinantes triumphos oportuerat. Tacitus l. 2. Annal. C. Cælio. L. Pomponio Coſſ. Germanicus Cæſar ad VII. Kal. Iun. triumphauit de Cheruſcis, Cattiſque & Angriuarijs, quæque aliæ nationes, vſque ad Albim colunt. vecta ſpolia; captiui; ſimulacra montium, fluminum, prælioru: bellumque quia confecto prohibitus erat, pro confecto accipiebatur: augebat intuentium viſus eximia eius ſpecies, curruſq; quinque liberis onuſtus.

Ante triumphantem Herculis ſignum deferri ſolitum ſcribit Aſconius ad libr. 1. Verrin. Hinc Plinius li. XXXIV. ca. VII. Hercules ab Euandro ſacratus, vt ferũt, in foro Boario, qui

qui Triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali.

Ipsum currum Imperatoris cum odoribus cingebant lictores purpurati Laureati; cytharœdorum ac tibicinum turba, qui ad Hetruscæ similitudinem pompę, aureis coronis redimiti canebant psallebantq; Lydios vocabant Romani. Auctor Appianus. Hanc etiam pompam versibus persecutus est Iuuenalis Sat. x.

Quid si vidisset Prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Iouis, & pictæ Sarranæ ferentem
Ex humeris aulæa toga; magnaq; coronæ
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vllæ?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Cõsul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem
Da nunc & volucrē sceptro quæ surgit Eburno.
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niueos ad frena Quirites, &c.

De reliqua pompa Triumphi.

CAP. X.

CVrrum Imperatoris primi ciues Rom. & alij, quos Imperatoris victoria hostium exemerat seruitute, affectabantur pileati, capitibusque rasis, vt mos erat seruorum, cum manumitterentur. Auctor in Flaminino Plutarchus. Et Liuius lib. xxx. extremo. Secutus Scipionem triumphantem est, pileo capiti imposito, Q. Terentius Culleo, omniq; deinde vita, vt dignum erat, libertatis auctorem

uicæ coronæ, vallareſq; ac muraleſ cõſpectæ. Et lib. xxxix. Multi omnium ordinum donati militaribus donis currum ſecuti ſunt. Plinius libr. xv. cap. xxx. laurus Romanis præcipuæ lætitiæ victoriarumque nuncia additur literis, & militum lanceis piliſq; faſces Imperatorum decorat.

Neque tamen vniuerſi milites videntur Romam ad Triumphum adducti: ſed ij tantum, quos Imperatori viſum eſſet. Quare Sp. Liguſtinus apud Liuium lib. XLII. gloriaretur ſe à Flacco Præt. inter ceteros quos virtutis cauſa ſecum ex Hiſpania ad triumphum deducebat, fuiſſe deductum. Hinc idem Liuius libr. xxxiv. de Quinctij Triumpho. Milites ſecuti currum frequentes; vt omni ex prouincia exercitu deportato.

Solebant autem milites inter incedendum carmina incondita canere laudes Imperatoris celebrantes; nonnunquam etiam falſa & ridicula in eum conijcientes. Dionyſius libr. VII. extremo. Satyricam dicendi licentiã Romanis ab initio familiarem fuiſſe, ipſa triumphorum pompa oſtendit; in quibus permittitur victorum comitibus carmina iocoſque in Imperatores clariſſimos dicere: quemadmodum Athenis ſolebant, qui pompam plauſtris ducebant in obuios dicta omnis generis ioculariter iacere. Hæc Dyonisius. Illa vero præcipua fuit omnium lætantium vox Io triumphe Io. Horatius li. 4. od. 2.

Tuq; dum procedis, Io triumphe
Non ſemel dicemus Io triumphe.

Ouidius lib. IV. Triſtium eleg. 2.

Hos ſuper in curru Cæſar victore veheris
Purpureus, populi rite per ora tui.
Quaq; ibis, manibus circum plaudere tuorum,
Vndiq; iactato flore tegente vias.
Tempora Phœbea lauro cingentur: Ioq;
Miles Io, magna voce, Triumphe canet.

Liuius lib. IV. In eum milites carmina incondita, æquantes eum Romulo canere. Et li. V. Dictator, recuperata ex hoſtibus patria, Triumphans in vrbem redijt: interq; iocos militares quos inconditos iaciunt, Romulus ac parens patriæ, conditorq; alter vrbis, haud vanis laudibus appellabatur. Et lib. XLV. Militum quidem propria cauſſa eſt, qui & ipſi laureati, & quiſque donis quibus donatus eſt, inſignis, triumphum nomine cient; ſuaſq; & Imperatoris laudes cantantes per vrbem incedunt. Hinc etiam illud Liuij eiuſdem l. XLI. Milites taciti, vt iratos eſſe ſentires, ſecuti ſunt currum. Exemplum porro carminum inconditorum quæ milites in triumpho iactarent, exſtat apud Suetonium in Iulio; quæ ſi paulo caſtiora eſſent, hic adſcribi poſſent. ea. 49. et. 51.

Cum hac pompa triumphans in forum Romanum delatus, captiuos aliquot in carcere duci atque necari iubebat, vt Ioſephus & Zonaras narrant. Cicero lib. v. in Verrem. At etiam qui triumphant, eoq; diutius viuos hoſtium duces ſeruant, vt his per triumphum ductis, pulcherrimum ſpectaculum fructumq; victoriæ pop. Rom. proſpicere poſſit: tamen

men cùm de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent; idemque dies & victoribus imperij, & victis vitæ finem facit. Sic Cicero.

Inde in Capitolium per gradus genibus, vt ait Dio, adscendens, ibi tantisper opperiebatur, dum hostium mors nunciaretur; qua nunciata, taurum immolabat; lauriqué ramum in Iouis gremio deponebat, cæteraq; dona consecrabat, vt Iosephus & Zonaras scribunt locis citatis, Plutarchus in Marcello, Seruius ad li. IV. AEneid. Hinc Dio L V. Augustus in Capitolium adscendens, lauream fascibus detraxit, & ante Iouis genua deposuit. Plin. l. xv. c. 30. Laurus Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumq; nuncia additur litteris, & militum lanceis piliſque fasces imperatorum decorat: ex his in gremio Iouis deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit. Et Obsequens in libro de Prodigijs. C. Antonius cùm in agro Pistorienſi Catilinam deuicisset, laureatos fasces in prouinciam tulit: ibi à Dardanis oppressus, amisſu exercitu profugit: apparuit eũ hostibus portendisse victoriam, cùm ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere. Hinc Stat. lib. IV. Siluar. I.

Et nondum gremio Iouis Indica laurus.

Lib 43. & li. 60. de triumpho Cæsaris & Claudij.

Taurus qui immolabatur candidus fuit: vnde illud Iuuenalis

Duc in Capitolia magnum
Cretatumq; bouem.

Seruius interpretans illud ex lib. IX.

Et ſtatuam ante aras, &c.

Ioui, inquit, de tauro non immolabatur, niſi cum triumphi nomine ſue vel tauro fiebat: quod tamen ideo admiſſum eſt, quia non tantum Ioui, ſed & alijs Dijs qui bello præſunt ſacrificabatur. Liu. li. XLV. in oratione M. Seruilij: Conſul, inquit, proficiſcens Prætor ve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: Victor perpetrato bello, eodem in Capitolio triumphãs ad eoſdem Deos, quibus vota nuncupauit, merita dona pop. Rom. traducit.

Plutarchus in Romulo auctor eſt, inter ſacrificandum, ſenem prætexta bullaq; pueritiæ inſignibus ornatum, per forum in Capitolium traduci ſolitum præeunte præcone qui Sardos venales pronunciaret. Quem morem Plutarchus ibidem, & in quæſtionibus Roman. à Romulo fluxiſſe dicit, qui victis Veientibus, ipſorum Regem in triumpho duxit, eius ſtultitiam irridens, quod nequaquam pro ætate, veteriſque prudentia Ducis rem geſſiſſet: Sardes porrò vrbem, Lydorum caput, vt Hetruſcorum Veios fuiſſe dicit; atque olim eoſdem Lydos habitos & Hetruſcos. Alij tamen aliter eius prouerbij originem tradunt.

De conuiuio Triumphantium.

CAPVT XI.

SAcrificio peracto, vt ſcribit Zonaras, in porticibus Capitolij cœna apparabatur. Liu. li. XLV. in oratione M. Seruilij; Illas quidem, inquit, epulas Senatus, quæ nec priuato lo-

loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, vtrum hominum voluptatis causa, an Deorũ hominumq; auctore Sergio Galba, turbaturi estis? &c. Athenæus tamen li. v. extremo triũphales epulas in Herculis fano dicit exstrui solitas fuisse.

His epulis Senatus, Magistratusque omnes intererant, præter Consules; qui vocabantur quidem, sed ijdem mox rogabantur, ne venirent; videlicet ne quis eo die quo ille triumpharet, maioris in eodem conuiuio esset imperij, vt Valerius & Plutarchus tradidêre. Pars tamen cœnæ domum ad consules mittebatur, vt scribit Acron ad epist. v. l. i. Horatij. *Val. li. 2 c. 3. Plut. q. Ro.*

In eo conuiuio, narrat Crinitus libr. xxiv. cap. v. assedisse triumphanti ministrum, qui subinde diceret, Magis seruo tuo pareo, quàm tibi: quo veluti probro admonitus seipsum atque hominum conditionem æquo animo æstimaret.

Athenæus libr. iv. cap. xv. ex Possidonio dicit conuiuium illud fuisse instructum apparatu Herculeo: διοινοχοεῖτο μὲν γὰρ οἰνόμελι, τὰ δὲ βρώματα, ἄρτοι μὲ γάλοι ἐκ κάπρων καὶ ἐφθὰ κρέα, καὶ τὰ σφαγέντων ὀπτὰ δαψιλῆ: quæ sic vertit Natalis; Potio, mulsum administratur; cibi verò, magni panes, canesq; fumosæ elixæ, & nuper iugulatarum victimarum carnes assatæ multæ. Plinius l. ix. cap. lv. refert C. Hirrum cœnis triumphalibus Cæsaris Dictatoris, sex millia numero murenarum mutuo appendisse. Idem Plinius

lib.xxx. ca.vii. scribit in eius cœnæ vnguenta, quibus accubituri vngebantur, Minium religionis causſa addi solitum.

Post cœnam autem triumphans ad vesperã tibijs præcinentibus, omniq; multitudine prosequente domum se priuatus recipiebat, vt Zonaras, & Plutarchus in quæstionibus scribunt. Militibus verò triumphum prosecutis; malsum dabatur, vt significat Plautus Bacchid. scen. Atridæ. Atque hæc de triumpho terrestri, eiusque ritu pompaq; omni.

De Triumpho Nauali.

CAPVT XII.

VT autẽ terrestris triumphus ijs qui pedestri pugna hostẽ vicissent, decretus est; ita qui nauali victoriã reportassent, nauali triũpho sunt ornati. Primus omnium Romanorũ Imperatorũ C. Duilius Cos. cùm Pœnos classe deuicisset, naualis victoriæ triumphum duxit anno CDXCIII. Kal. intercalaribus. Naualis porrò triumphus non ideò est appellatus, q̃ eum qui agerent in vrbem nauibus inuehereturſed quod ex nauali, vt dixi, victoria referretur. Nam Valer. li. & ca. iv. vbi de C. Attilio loquitur, quem naualem de Pœnis triumphũ egisse tabulæ Capitolinæ docent; Illæ, inquit, rustico opere attritæ manus salutem publicã stabilierunt, ingentes hostium copias pessumdederunt: quæque modo arantium boum iugũ rexerant, triũphalis currus habenas retinuerunt, nec fuit eis rubor, eburneo scipione depositio, agrestem stiuam aratri repetere, &c.

Quæ

Quæ cùm dicit, eos qui triumpho nauali ornabantur, non naui, sed curru vectos vrbem inisse ostendit: vt interim taceam, scriptorum neminem in exponendo nauali triumpho, nauium omnino mentionem vllam feciſſe.

Nauales igitur triumphi eadem pompa, quâ in terrestri triumpho proximè expoſuimus, celebrati sunt: niſi quòd in his interdum triremes etiam naueſq; hoſtium, ac reliquus belli nauālis apparatus traduceretur, quemadmodum de Luculli triumpho ſcribit Plutarchus, qui victis nauali bello ducibus Mithridatis, in triumpho inter ceteram prædam, naues longas roſtratas centum & decem tranſtulit. Liu. lib. xxxvii. Lucio, inquit, AEmilio Regillo, qui claſſe Præfectum Antiochi Regis deuicerat, extra vrbem in æde Apollinis cum Senatus datus eſſet, auditis rebus geſtis eius, quantis cum claſſibus hoſtium dimicaſſet, quòd inde naues expuliſſet egiſſet, magno conſenſu Patrum triumphus nauālis eſt decretus, triumphauit Kal. Febr. iu eo triumpho, vnde quinquaginta coronæ aureæ tranſlatæ ſunt: pecunia nequaquam tanta pro ſpecie regij triumphi. Hæc Liuius.

De Priuilegijs Triumphantium.

CAPVT XIII.

ETſi triumphi dies ducibus victoribus põpæ & imperij finem faciebat: non tamen eo vno die ipſorum honos & gloria terminabatur. Primum enim datum eſt decreto Senat° ijs qui triumphaſſent, vt cùm eorum corpora

extra vrbem cremata essent, in vrbem ossa & cineres referrentur, humique mandarentur: cùm cæterorum corpora eo loco vbi cremata essent, condi leges XII. tabul. iuberent, quemadmodum ex Pyrrhone Liparæo tradit in Roman. quæstionibus Plutarchus. Eorumque funera vestibus auro intextis apparabantur, vt ea quasi nota triumphalium virorum funera distinguerentur à cæteris, vt est auctor Polyb. lib. VI.

Deinde statuæ ijs habitu triumphali ponebantur, vt significat Plinius lib. XXXIV. ca. v. Hinc Liuius lib. VIII. Additus triumpho honos, vt statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur. Et lib. IX. Marcius de Hernicis triumphans in vrbem redijt: statuaque in foro equestris decreta est. Tacitus lib. IV. Annal. Priores duces sibi impetrando triumphalium insigni, sufficere res suas crediderant, hostem omittebant: iamque tres laureatæ in vrbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas. Et in vita Agricolæ. Triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quidquid pro triumpho datur decerni in Senatu iubet.

Illud fortasse etiam lege datum triumphanti, vt laurea corona in spectaculis vti posset. In hanc coniecturam Plinius & Valerius nos deducere videntur, qui C. Papirium Masonem tradunt, cum triumpho à Senatu non impetrato, in Albano monte triumphasset, myrtea corona, pro laurea in spectaculis vsum.

Plin. l. 15. c. 29
Val. li. 3. c. 6.

Ser-

Seruius ad illum Virg. versum ex lib. XI.

Et Sellam Regni, &c.

Scribit viros triumphales curru solitos in curiam vehi; vnde Sellæ curuli nomen. Verum id non tam proprium videtur fuisse eorum qui triumphassent, quam commune omnium qui curules magistratus gessissent, vt ex Bassi sententia tradit Gell. li. 3. c. 18.

Præter hos autem honores qui videntur fuisse ordinarij, alios alijs extra ordinē delatos fuisse significat Liu. lib. 2. Dictator triumphās vrbem inuehitur: super solitos honores, locus in circo ipsi, posterisq; ad spectaculum datus, Sella in eo loco curulis posita, &c. C. autem Duillio, qui primus nauale triumphum duxit, perpetuus honos habitus est, vt reuertenti à cœna tubicines canerent, & funale præferretur. Multa etiam extra ordinē Pompeio & Cæsari concessa narrat Dio libr. XXXVII. & XLIII.

Atque hæc quidem de maiore triumpho, siue terrestri, siue nauali dicta sint: reliquum est, vt de minore triumpho, id est, de Ouatione dicamus.

De Ouationis nomine, quibusq; de causis ea concederetur.

CAPVT XIV.

OVatio, quam minorem triumphum fuisse diximus, ab eo clamore, vt Festus ait, nomen inuenit, quem redeuntes à pugna victores milites edebant. O littera geminata: quod idem placet Dionysio, quasi verò *Lib. 5. Ant.* Ro-

bantur: cæteri omnes pedibus pompam comitabantur lauro coronati, vt Zonaras & Appianus tradunt. Et Cicer. pro Murena. An cum sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filij soleant; huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit; vt rebus communiter gestis, pænè simul cum patre triumpharet? Suetonius in Tiberio cap. VI. Pubescens Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, cùm Marcellus Octauię filius dexteriore veheretur. Et in Domitiano c. 12. Triumphum vtriusque Iudaicum equo albo comitatus est, Liuius libr. XLV. de Pauli filijs. Minor fermè, inquit, duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum; maior quatuordecim annorum, triduo post triumphum decessit: quos prætextatos curru vehi cum patre, sibi ipsi similes prædestinantes triumphos oportuerat. Tacitus l. 2. Annal. C. Cælio. L. Pomponio Coss. Germanicus Cæsar ad VII. Kal. Iun. triumphauit de Cheruscis, Cattisque & Angriuarijs, quæque aliæ nationes, vsque ad Albim colunt. vecta spolia; captiui; simulacra montium, fluminum, prœliorum: bellumque quia confecto prohibitus erat, pro confecto accipiebatur: augebat intuentium visus eximia eius species, curruque; quinque liberis onustus.

Ante triumphantem Herculis signum deferri solitum scribit Asconius ad libr. 1. Verrin. Hinc Plinius li. XXXIV. ca. VII. Hercules ab Euandro sacratus, vt ferũt, in foro Boario, qui

qui Triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali.

Ipsam currum Imperatoris cum odoribus cingebant lictores purpurati Laureati; cytharœdorum ac tibicinum turba, qui ad Hetruscæ similitudinem pompę, aureis coronis redimiti canebant psallebantq; Lydios vocabant Romani. Auctor Appianus. Hanc etiam pompam versibus persecutus est Iuuenalis Sat. x.

Quid si vidisset Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio sublimem in puluere Circi
In tunica Iouis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ; magnaq; coronæ
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vllæ?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Cōsul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem
Da nunc & volucrē sceptro quæ surgit Eburno.
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niueos ad frena Quirites, &c.

De reliqua pompa Triumphi.

CAP. X.

CVrrum Imperatoris primi ciues Rom. & alij, quos Imperatoris victoria hostium exemerat seruitute, affectabantur pileati, capitibusque rasis, vt mos erat seruorum, cum manumitterentur. Auctor in Flaminino Plutarchus. Et Liuius lib. xxx. extremo. Secutus Scipionem triumphātem est, pileo capiti imposito, Q. Terentius Culleo, omniq; deinde vita, vt dignum erat, libertatis auctorem

uicæ coronæ, vallareſq; ac muraleſcõſpectæ. Et lib. xxxix. Multi omnium ordinum donati militaribus donis currum ſecuti ſunt. Plinius libr. xv. cap. xxx. laurus Romanis præcipuæ lætitiæ victoriarumque nuncia additur literis, & militum lanceis piliſq; faſces Imperatorum decorat.

Neque tamen vniuerſi milites videntur Romam ad Triumphum adducti: ſed ij tantum, quos Imperatori viſum eſſet. Quare Sp. Liguſtinus apud Liuium lib. XLII. gloriaretur ſe à Flacco Præt. inter ceteros quos virtutis cauſa ſecum ex Hiſpania ad triumphum deducebat, fuiſſe deductum. Hinc idem Liuius libr. xxxiv. de Quinctij Triumpho. Milites ſecuti currum frequentes; vt omni ex prouincia exercitu deportato.

Solebant autem milites inter incedendum carmina incondita canere laudes Imperatoris celebrantes; nonnunquam etiam falſa & ridicula in eum conijcientes. Dionyſius libr. vii. extremo. Satyricam dicendi licentiã Romanis ab initio familiarem fuiſſe, ipſa triumphorum pompa oſtendit; in quibus permittitur victorum comitibus carmina iocoſque in Imperatores clariſſimos dicere: quemadmodum Athenis ſolebant, qui pompam plauſtris ducebant in obuios dicta omnis generis ioculariter iacere. Hæc Dyonisius. Illa vero præcipua fuit omnium lætantium vox Io triumphe Io. Horatius li. 4. od. 2.

Tuq; dum procedis, Io triumphe
Non ſemel dicemus Io triumphe.

Ouidius lib. IV. Triſtium eleg. 2.

Hos ſuper in curru Cæſar victore veheris
Purpureus, populi rite per ora tui.
Quaq; ibis, manibus circum plaudere tuorum,
Vndiq; iactato flore tegente vias.
Tempora Phœbea lauro cingentur: Ioq;
Miles Io, magna voce, Triumphe canet.

Liuius lib. IV. In eum milites carmina incondita, æquantes eum Romulo canere. Et li. V. Dictator, recuperata ex hoſtibus patria, Triumphans in vrbem redijt: interq́ue iocos militares quos inconditos iaciunt, Romulus ac parens patriæ, conditorq; alter vrbis, haud vanis laudibus appellabatur. Et lib. XLV. Militum quidem propria cauſſa eſt, qui & ipſi laureati, & quiſque donis quibus donatus eſt, inſignis, triumphum nomine cient; ſuaſque & Imperatoris laudes cantantes per vrbem incedunt. Hinc etiam illud Liuij eiuſdem l. XLI. Milites taciti, vt iratos eſſe ſentirent, ſecuti ſunt currum. Exemplum porro carminum inconditorum quæ milites in triumpho iactarent, exſtat apud Suetonium in Iulio; quæ ſi paulo caſtiora eſſent, hic adſcribi poſſent. ea 49. et. 51.

Cum hac pompa triumphans in forum Romanum delatus, captiuos aliquot in carcere duci atque necari iubebat, vt Ioſephus & Zonaras narrant. Cicero lib. V. in Verrem. At etiam qui triumphant, eoque diutius viuos hoſtium duces ſeruant, vt his per triumphum ductis, pulcherrimum ſpectaculum fructumque victoriæ pop. Rom. proſpicere poſſit: tamen

men cùm de foro in Capitolium curtum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent; idemque dies & victoribus imperij, & victis vitæ finem facit. Sic Cicero.

Inde in Capitolium per gradus genibus, vt ait Dio, adscendens, ibi tantisper opperiebatur, dum hostium mors nunciaretur; qua nunciata, taurum immolabat; lauriqúe ramum in Iouis gremio deponebat, cæteraq; dona consecrabat, vt Iosephus & Zonaras scribunt locis citatis, Plutarchus in Marcello, Seruius ad li. IV. AEneid. Hinc Dio L v. Augustus in Capitolium adscendens, lauream fascibus detraxit, & ante Iouis genua deposuit. Plin. l. xv. c. 30. Laurus Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumq; nuncia additur litteris, & militum lanceis piliſque fasces imperatorum decorat: ex his in gremio Iouis deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit. Et Obsequens in libro de Prodigijs. C. Antonius cùm in agro Pistorienſi Catilinam deuicisset, laureatos fasces in prouinciam tulit: ibi à Dardanis oppressus, amisſu exercitu profugit: apparuit eũ hostibus portendisse victoriam, cùm ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere. Hinc Stat. lib. IV. Siluar. I.

Lib 43. & li. 60. de triumpho Cæsaris & Claudij.

Et nondum gremio Iouis Indica laurus.

Taurus qui immolabatur candidus fuit: vnde illud Iuuenalis

Duc in Capitolia magnum
Cretatumq; bouem.

Seruius interpretans illud ex lib. IX.

Et ſtatuam ante aras, &c.

Ioui, inquit, de tauro non immolabatur, niſi cum triumphi nomine ſue vel tauro fiebat: quod tamen ideo admiſſum eſt, quia non tantum Ioui, ſed & alijs Dijs qui bello præſunt ſacrificabatur. Liu. li. XLV. in oratione M. Seruilij: Conſul, inquit, proficiſcens Prætor ve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: Victor perpetrato bello, eodem in Capitolio triumphãs ad eoſdem Deos, quibus vota nuncupauit, merita dona pop. Rom. traducit.

Plutarchus in Romulo auctor eſt, inter ſacrificandum, ſenem prætexta bullaq; pueritiæ inſignibus ornatum, per forum in Capitolium traduci ſolitum præeunte præcone qui Sardos venales pronunciaret. Quem morem Plutarchus ibidem, & in quæſtionibus Roman. à Romulo fluxiſſe dicit, qui victis Veientibus, ipſorum Regem in triumpho duxit, eius ſtultitiam irridens, quod nequaquam pro ætate, veteriſque prudentia Ducis rem geſſiſſet: Sardes porrò vrbem, Lydorum caput, vt Hetruſcorum Veios fuiſſe dicit; atque olim eoſdem Lydos habitos & Hetruſcos. Alij tamen aliter eius prouerbij originem tradunt.

De conuiuio Triumphantium.

CAPVT XI.

SAcrificio peracto, vt ſcribit Zonaras, in porticibus Capitolij cœna apparabatur. Liu. li. XLV. in oratione M. Seruilij; Illas quidem, inquit, epulas Senatus, quæ nec priuato lo-

loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, vtrum hominum voluptatis causa, an Deorũ hominumq; auctore Sergio Galba, turbaturi estis? &c. Athenæus tamen li. v. extremo triũphales epulas in Herculis fano dicit exstrui solitas fuisse.

His epulis Senatus, Magistratusque omnes intererant, præter Consules; qui vocabantur quidem, sed ijdem mox rogabantur, ne venirent; videlicet ne quis eo die quo ille triumpharet, maioris in eodem conuiuio esset imperij, vt Valerius & Plutarchus tradidêre. Pars tamen cœnæ domum ad consules mittebatur, vt scribit Aeron ad epist. v. l. i. Horatij. *Val. li. 2. c. 3. Plut. q. Ro.*

In eo conuiuio, narrat Crinitus libr. xxiv. cap. v. assedisse triumphanti ministrum, qui subinde diceret, Magis seruo tuo pareo, quàm tibi: quo veluti probro admonitus seipsum atque hominum conditionem æquo animo æstimaret.

Athenæus libr. IV. cap. XV. ex Possidonio dicit conuiuium illud fuisse instructum apparatu Herculeo: διοινοχόει μὲν ὁ οἰνόμελι, τὰ δὲ βρώματα, ἄρτοι μὲ σάλοι ἐ κατὰ νίδα ἐφθὸ κρέα, καὶ τὰ προσφάτων καθεψημένων ὀπτὰ δαψιλῆ: quæ sic vertit Natalis; Potio, mulsum administratur; cibi verò, magni panes, canesq; fumosæ elixæ, & nuper iugulatarum victimarum carnes assatæ multæ. Plinius l. ix. cap. LV. refert C. Hirrum cœnis triumphalibus Cæsaris Dictatoris, sex millia numero murenarum mutuo appendisse. Idem Plinius

lib.xxx. ca.vii. scribit in eius cœnæ vnguenta, quibus accubituri vngebantur, Minium religionis causſa addi ſolitum.

Poſt cœnam autem triumphans ad veſperã tibijs præcinentibus, omniq́ue multitudine proſequente domum ſe priuatus recipiebat, vt Zonaras, & Plutarchus in quæſtionibus ſcribunt. Militibus verò triumphum proſecutis; malſum dabatur, vt ſignificat Plautus Bacchid. ſcen. Atridæ. Atque hæc de triumpho terreſtri, eiuſque ritu pompaq́; omni.

De Triumpho Nauali.

CAPVT XII.

VT autẽ terreſtris triumphus ijs qui pedeſtri pugna hoſtẽ viciſſent, decretus eſt; ita qui nauale victoriã reportaſſent, nauali triũpho ſunt ornati. Primus omnium Romanorũ Imperatorũ C. Duilius Cos. cùm Pœnos claſſe deuiciſſet, naualis victoriæ triumphum duxit anno CDXCIII. Kal. intercalaribus. Naualis porrò triumphus non ideò eſt appellatus, q̃ eum qui agerent in vrbem nauibus inueherẽtur: ſed quod ex nauali, vt dixi, victoria referrẽtur. Nam Valer. li. & ca. iv. vbi de C. Atilio loquitur, quem nauale de Pœnis triumphũ egiſſe tabulæ Capitolinæ docent; Illæ, inquit, ruſtico opere attritæ manus ſalutem publicã ſtabilierunt, ingentes hoſtium copias peſſumdederunt: quæque modo arantium boum iugũ rexerant, triũphalis currus habenas retinuerunt, nec fuit eis rubor, eburneo ſcipione depoſito, agreſtem ſtiuam aratri repetere, &c.

Quæ

Quæ cùm dicit, eos qui triumpho nauali ornabantur, non naui, sed curru vectos vrbem iniſſe oſtendit: vt interim taceam, ſcriptorum neminem in exponendo nauali triumpho, nauium omnino mentionem vllam feciſſe.

Nauales igitur triumphi eadem pompa, quâ in terreſtri triumpho proximè expoſuimus, celebrati ſunt: niſi quòd in his interdum triremes etiam naueſq; hoſtium, ac reliquus belli naualis apparatus traduceretur, quemadmodum de Luculli triumpho ſcribit Plutarchus, qui victis nauali bello ducibus Mithridatis, in triumpho inter ceteram prædam, naues longas roſtratas centum & decem tranſtulit. Liu. lib. xxxvii. Lucio, inquit, AEmilio Regillo, qui claſſe Præfectum Antiochi Regis deuicerat, extra vrbem in æde Apollinis cum Senatus datus eſſet, auditis rebus geſtis eius, quantis cum claſſibus hoſtium dimicaſſet, quòd inde naues expuliſſet egiſſet, magno conſenſu Patrum triumphus nauali eſt decretus, triumphauit Kal. Febr. in eo triumpho, vnde quinquaginta coronæ aureæ tranſlatæ ſunt: pecunia nequaquam tanta pro ſpecie regij triumphi. Hæc Liuius.

De Priuilegijs Triumphantium.

CAPVT XIII.

ETſi triumphi dies ducibus victoribus pōpæ & imperij finem faciebat: non tamen eo vno die ipſorum honos & gloria terminabatur. Primum enim datum eſt decreto Senatꝰ ijs qui triumphaſſent, vt cùm eorum corpora

Seruius ad illum Virg. versum ex lib. XI.

Et Sellam Regni, &c.

Scribit viros triumphales curru solitos in curiam vehi; vnde Sellæ curuli nomen. Verum id non tam proprium videtur fuisse eorum qui triumphassent, quam commune omnium qui curules magistratus gessissent, vt ex Bassi sententia tradit Gell. li. 3. c. 18.

Præter hos autem honores qui videntur fuisse ordinarij, alios alijs extra ordinē delatos fuisse significat Liu. lib. 2. Dictator triumphās vrbem inuehitur: super solitos honores, locus in circo ipsi, posteriśq; ad spectaculum datus, Sella in eo loco curulis posita, &c. C. autem Duillio, qui primus nauale triumphum duxit, perpetuus honos habitus est, vt reuertenti à cœna tubicines canerent, & funale præferretur. Multa etiam extra ordinē Pompeio & Cæsari concessa narrat Dio libr. XXXVII. & XLIII.

Atque hæc quidem de maiore triumpho, siue terrestri, siue nauali dicta sint: reliquum est, vt de minore triumpho, id est, de Ouatione dicamus.

De Ouationis nomine, quibusq; de causis ea concederetur.

CAPVT XIV.

OVatio, quam minorem triumphum fuisse diximus, ab eo clamore, vt Festus ait, nomen inuenit, quem redeuntes à pugna victores milites edebant. O littera geminata: quod idem placet Dionysio, quasi verò *Lib. 5. Ant.* Ro-

Romani ἐνάσλω græcâ vocem quæ clamorem significat, Ouationis nomine voluerint interpretari. At verò Plutarchus in Marcello; & Seruius ad lib. IV. AEneid. hanc opinionem refellũt, & ab oue Ouationis nomen ductum putant; quàm, qui hoc genere triumphi ornabantur, sacrificabãt, quemadmodum qui maiorem triumphum agebat, taurum in Capitolium veniens immolabat.

Primus omnium Postumius Tubertus Cos. iterum, de Sabinis ouans vrbem est ingressus anno CCL. tertio Non. Apr. vt in fastis Capitolinis habetur: retentusque mos est, vt quemadmodum maiora triumphus ob insignem victoriam, sic Ouatio ob leuem concederetur. Qui enim, auctore Gellio, bellum aut non ritè indictum, aut non cum iustis hostibus; aut cum humilibus & non idoneis, vt seruis piratisq; gessisset; aut deditione repentè facta, incruẽta victoria, negotium confeciſſet: aut, quod addit in Marcello Plutarchus, gratia & verbis rem transegisset; aut denique alia causa ex ijs, quæ ad triumphum postulari diximus, defuisset, vt Liuius passim tradit; verbi causa, cum alienis auspicijs, aut in aliena prouincia, aut sine magistratu rem gessisset; aut multos de suis amisisset; aut exercitum non deportasset; ei Senatus iudicio, iussu populi Ouatio decernebatur: de cuius pompa nobis deinceps dicendum est.

l. 5. ca 6. Festus Oualis corona.

De

De Ouationis pompa, qua in re à Triumpho differret.

CAP. XV.

DVces igitur ijs honoribus, quos supra exposuimus, absentes ornati, cum ad vrbem veniissent, commemoratisque in Senatu rebus à se gestis, si triumphum non impetrassent, ex S.C. ouantes vrbem inibant; lege similiter de imperio lata in eum diem, quo ducerent ouationem. Liuius libr. xxvi. Marcellus ex Sicilia Prouincia cum ad vrbem veniisset, à C. Calpurnio Præt. Senatus ei ad ædem Bellonæ datus est: ibi cum de rebus ab se gestis disseruisset, medium visum, vt ouãs vrbem iniret: Tribuni pl. ex auctoritate Senatus ad populum tulere, vt M. Marcello, quo die vrbem ouans iniret, imperium esset.

Ingrediebantur autem vrbem pompa triũpho simillima, spolijs armisque hostium, simulacris oppidorum, cæteraq; auri, argenti, æris, eborisque prædæ; coronisque ciuitatum prælatis. Victimæ tamen ad sacrificium non boues, sed oues traducebantur, Plutarcho & Seruio auctoribus, qui etiam inde Ouationi nomem inditum volunt. Liuius de eadem Marcelli ouatione. Ouans multam pręse prędam in vrbem intulit cum simulacro captarum Siracusarum. Catapultæ, balistæque & alia omnia instrumenta belli lata; & pacis diuturnæ, regiæque opulentiæ ornamẽta; argenti æriscq; fabrefacta vasa, & alia suppellex, preciosæque vestes, & multa nobilia signa, quibus

bus inter primas Græciæ vrbes Siracusæ ornatæ fuerant: Punicæ quoque victoriæ signũ octo traducti elephanti. Et lib. XXXVI. M. Fuluius Nobilior ouans vrbem est ingressus: argenti bigati præ se tulit centum triginta millia: & extra numerum XII. millia pondo argenti: auri pondo CCXXVII. Et li. XXXIX. Medius honos Manlio habitus, vt ouans vrbem iniret: tulit coronas aureas LII. auri præterea pondo 132. argenti 16. millia & 300.

Ipse verò Imperator non picta auro toga, sed prætexta, communi cæterorum Magistratuũ cultu ornatus, calceatusque vrbem pedibus ingrediebatur, si Dionysio, Plutarcho, & Massario credimus: Seruius enim ouantes equo singulari vectos scribit, quod idem significat Dio, qui ouantem ingredi equo vehi solet interpretari. Gellius id etiam apud ipsos veteres scriptores controuersum fuisse dicit.

Sceptro siue Scipione eburneo caruerunt, auctore Dionysio. Capite autem coronam ex myrto gestasse potius, quam, vt ait Dionysius, ex lauro, Plinio, Plutarcho, Gellio, Festoque assentior. Myrtus enim cum sacra Veneri haberetur, quæ Dea à vi belloque maxime abhorret, aptissima visa est ouationi, quæ non Martius, sed quasi Venereus quidam triumphus esset. M. tamen Licinius Crassus cum Prætor. de fugitiuis & Spartaco ouans ingrederetur, anno DCLXXXII. myrteam aspernatus coronam, Senatus consultum faciendum curauit, vt lauro non myrto coronaretur;

retur, vt Plinius & Gellius tradunt. Vnde illud Ciceronis in Pisoniana. Crasse pudet me tui: quid est quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à Senatu?

Ipsum Imperatorem non tubicines, vt in triumpho, sed tibicines cingebat, vt scribit Plut. nimirum quia tibia similiter atque myrrus, pacis quoddam esset insigne.

Milites deinceps sequebatur, vt Dionysius & Plutarchus narrant, clamoribus inconditis; carminibus victoriam celebrantes; vnde Ouationis nomen ortum nonnulli putant. Liuius lib. IV. Cum ex S. C. vrbem ouans introiret, alterius inconditi versus militari licentia iactati, &c. Massurius tamen ouantes ingressos dicit sequentibus eos non militibus, sed vniuerso Senatu: atque apud Liuium etiam aliquot sine militibus vrbem iniisse legimus, vt T. Veturium Geminum, & C. Claudium Neronem: quod tum demum verisimile est accidisse, cum exercitus ex Prouincia non esset deportatus, vt de Nerone diserte narrat idem Liuius. Porrò milites olea coronati videntur incessisse: sic enim scribit Plinius li. 15. c. 4. Oleæ honorem Romana maiestas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iulij ex ea coronando, item minoribus triumphis ouantes. Et Festus. Oleagina corona ministri triumphantium vtebantur; quod Minerua Dea belli esse dicebatur. Et Gellius. Oleagina corona vti solent, qui in prœlio non fuerunt, sed triumphum procurant. *lib. 3. & 28.*

Cum

lib XXVI. Marcellus pridie quàm vrbem iniret, in monte Albano triumphauit. Et libro XXXIII. Q. Minutius tentata tantum relatione, cùm aduersum omnem Senatum videret, in monte Albano se triumphaturum, & iure imperij consularis, & multorum clarorum virorum exemplo dixit. is triumphus, vt loco & fama rerum gestarum, & quod sumptum non erogatum ex ærario omnes sciebant, inhonoratior fuit; ita signis carpentisque, & spolijs fermè æquabat: pecuniæ etiam propè par summa fuit, æris translata CCLIV. millia, argenti bigati LIII. millia, & CC. militibus, centurionibusque & equitibus, item in singulos datum, quod dederat Co[illegible]. Et lib. XLII. C. Cicereio Præt. prioris anni ad ædem Bellonæ Senatus datus est. Is expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho: in monte Albano, quod iam in morē venerat, vt sine publica auctoritate fieret, triumphauit.

De triumphis intermissis, & triumphalibus ornamentis institutis.

CAPVT XVII.

TRiumphi & Orationis honos, dum stetit Resp. Romæ fuit frequentissimus: atque ab vrbe condita ad Vespasianum Titumque Impp. annis DCCC, numerantur, Orosio auctore, triūphi CCCXX. quibus vniuersus terrarū orbis in Romanorum venit potestatem. *Lib. 7. ca. 9.* Ex eo tempore languescēte Romanorum virtute, Romaniq; Imperij sede Byzantiū trāsla-

ta, paulatim cum victoriarum gloria, triumphandi mos esset obsoleuit.

Post Vespasianum tamen Titumq; triginta, aut non multò secùs triumphi numerantur, vsque ad Iustinianum Imper. quo Imperatore Belisarius vltimus Romanorum Ducum de Vandalis & Gilimere Rege triumphauit anno v.c. CIↃCCXXCVI. vt refert Procop. l. 1 v.

Pro triumphi honore ab Augusto, (sub quo tamen Duces circiter triginta triumphasse Suetonius narrat) ornamenta triumphalia sunt instituta. Cuius exemplum reliqui Imperatores secuti, triumphandi ius sibi reseruarunt, ducibus triumphi loco quem in libera ciuitate [illegible]uissent, triumphalia ornamenta concedebant. Ea autem videtur fuisse supplicatio, Imperatoris appellatio, vestis & corona triumphalis, ceteraque triumphantium insignia: curru tamen per vrbem non vehebantur, neque legitimam triumphorum pompam ducebant. Cap. 38.

Primus triumphalibus ornamentis M. Vipsanius Agrippa honoratus est, vt ait Dio, Cn. Cornelio Lentulo, M. Licinio Crasso Coss. anno DCCXXXIX. Is enim cùm Bosphoranos vicisset, atque ob eam Rom. supplicationes ac triumphus ei Romæ decretus esset; reliqua quidem ornamenta suscepit, triumphum tamen non egit, quia de rebus gestis nihil ad Senatũ scripserat; quo exemplo reliqui deinceps Duces, neque publicè literas miserunt, neque triumphum impetrarunt: ac propterea nemini alij pari dignitate triumphus in Lib. 54.

po-

posterùm, sed triumphalia tantum ornamẽta decreta sunt. Suetonius tamen Tiberium hoc honore primùm affectum auctor est: quod quidem videtur accidisse M. Messala P. Sulpicio Coss. anno V. C. DCCXLI. Hinc Velleius libro posteriore. Decreta, inquit, M. Vinicio, cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia. Et Tacitus in vita Agricolæ, Igitur & triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quidquid pro triũpho datur, decerni in Senatu iubet. *In vita s.*

De relatis ad ærarium rationibus.

CAPVT XVIII.

POstridie quàm Dux triumpharat, aut ouationem duxerat (quod item commune fuit omnibus, qui ex prouincia Romã decederent) postridie igitur, vel alio die Dux imperio deposito, dataque à Magistratu aliquo concione priuatus (nisi si in Magistratu triumphasset) reip. administratæ rationẽ populo reddebat, prædamq; hostium cum rationibus in ærariũ inferebat. Asconius ad librum 1. Verrinarum. Hæc fuit, inquit, veterum diligentia, vt quod quisq; de subiugata Prouincia per triumphũ apportauisset, perscriptum in tabulis in ærario reponendis conseruaretur. Hinc Plinius libr. XXVII. cap. II. citat acta triumphorum Pompeij. Eo Liuius libr. XLV. in oratione Seruilij pro L. Paulo: Sergius, inquit, Galba, si in L. Paulo accusando tirocinium ponere, & documentum eloquentiæ dare

certe factum est quod lex iubebat, vt apud duas ciuitates Laodicensem & Apamensem quæ nobis maxime videbantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas & consolutas deponeremus.

Relatarum rationum exemplum aliquod extat apud Ciceronem lib. 1. in Verrem, licet in ijsipse breuitatē reprehēdat. Videamus, inquit, rationes quomodo retulerit; Accepi vicies ducenta triginta quinque millia, quadrigentos XVII. nummos. Dedi stipendio, frumento, Legatis, Proquæstoribus, cohorti prætoriæ HS. mille sexcenta triginta quinque millia CDXVII nūmos. Reliqui Arimini HS. sexcenta millia, &c.

Sic igitur rationes retulit Verres, nimis breuiter & obscure: longe autem melius retulit P. Seruilius, quem ibidem laudat Cicero; P. Seruilius, inquit, quæ signa atque ornamenta ex vrbe hostium & virtute capta belli lege atque Imperatorio iure fustulit, ea populo Rom. adportauit; per triumphum vexit, in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curauit. Cognoscite ex publicis litteris hominis amplissimi diligentiam, non solum numerum signorum, sed etiam vniuscuiusque magnitudinem, figuram, statum litteris definiri vides, &c.

Cum rationibus Duces vna etiam eorum nomina ad ærarium deferebant, quorum strenua fideliq; opera in bello vsi essent: qui deferri in beneficijs ad ærarium dicebātur, quod eorum virtus ac fides Reip. profuisset. Id lex

Iulia diebus triginta postquam rationes relatæ essent, fieri iubebat. Cicero eadem ad Rufum epistola. Quod scribis de beneficijs, scito ad me & tribunos militares, & Præfectos, & cótubernales dũtaxat meos delatos esse: in quo quidem ratio me fefellit; liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari, postea certior factus sum, triginta diebus referri necesse esse, quibus rationes retulissem, &c. Id etiam more maiorum videtur obseruatum fuisse, vt nemo nisi ciuis Romanus in beneficijs ad ærarium deferretur: quare Cicero hoc argumento probat Archiam ciuem esse Romanum, quod à Lucullo Prætore & Cons. esset in beneficijs ad ærarium delatus.

Sed vt ad rationes relatas reuertamur: Aurum quidem, argentum, æs, tum factum, tum infectum, signatumque, quod in triumpho translatum fuerat; in ærarium populi Rom. inferebatur: spolia verò & arma hostium, cæteraque præda, pars populi erat, & in publicis armamentarijs condebatur: pars vendebatur, pecuniaque militibus pro victoriæ magnitudine & Imperatorum liberalitate distribuebatur: pars Imperatori cedebat, vt ea suo arbitratu vteretur. Itaque Cicero id tanquam iniquum in Rulli lege reprehendit, quod aurum argentum ex præda, ex manubijs, ex auro coronario ad quoscumque peruenisset, neque relatum esset in publicum, neque in monumento consumptum id apud decem viros profiteri, & ad eos referre iuberet.

beret. Contra verò Liuius libro trigesimo-septimo diem dictam à Tribunis plebis M. Acilio Glabrioni scribit, quod pecuniæ regiæ prædæque aliquantum captæ in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset, neque in ærarium detulisset.

Idem Liuius libr. XLV. HS. ducenties ex ea præda redactum esse auctor est Antias, præter aurum, argentumque, quod in ærarium sit latum. Et lib. x. Data ex præda militibus octogeni bini, sagaque & tunicæ, præmia illa tempestate militiæ, haud quaquam spernenda. Ibidem omne æs argumentumque in ærarium conditum, militibus nihil datum ex præda est.

Pars illa quæ Imperatori cessisset ex præda, Manubiæ dici consueuit. Asconius ad lib. primum Verr. Manubiæ, inquit, sunt præda Imperatoris proportione de hostibus capta, &cet. Hâc ille parte prædæ vel domum suam ornabat, vel diuendita opus aliquod publicum exstruebat, vt scribit Zonaras. Liuius libro trigesimooctauo. Ambraciam captam signaque quæ ablata criminantur, & cætera spolia eius vrbis ante currum laturus & fixurus in postibus suis. Et libro XXXIII. L. Stertinius ex vlteriore Hispania quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubijs duos fornices fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit. Augustus, referente Dione libro quinquagesimo quarto, iussit eos qui triumpharent, aliquod

Nonius. Gellius.

opus publicum ex manubijs conficere ob rerum gestarum memoriam. Itaque inscriptionem siue titulum suarum victoriarum addebant. Liu. l. VI. T. Quinctius semel acie victor, binis castris hostium, nouē oppidis vi captis Prænestē in deditionem accepto, Romā reuertit; triumphansq; signum Prænestē deuectum Iouis Imp. in Capitolium tulit; dedicatumq; est inter sellam Iouis & Mineruæ; tabulaq; e sub eo fixa monumentum rerum gestarum, his ferme incisa litteris fuit; Iuppiter atque Diui omnes hoc dederunt, vt T. Quinctius Dictator oppida nouem caperet die xx. quam creatus erat, Dictatura se abdicauit. Plinius lib. VII. cap. XXVI. de Pompeio. Hos ergo honores vbi tribuit in delubro Mineruæ, quod ex manubijs dicabat. Cn. Pompeius Magnus Imp. bello xxx. annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum vicies semel centenis LXXXIII millibus, depressis, aut captis nauibus DCCCLVI. oppidis, castellis, M. DXXXVIII. in fidem receptis; terris à Mœotis lacu ad rubrum mare subactis, votum merito Mineruæ. Hæc Plinius.

Liu. l. 40. & li 41 alias inscriptiones refert.

Ijsdem quoq; spolijs hostium templa aliaque loca publica ornari solebant. Liu. lib. IX. Dictator ex S.C. triūphauit; cuius triumpho longe maximam speciē captiua arma præbuere: tantum magnificentiæ visum in ijs, vt aurata scuta dominis argentariorum ad forum ornandum diuiderentur. Et li. X. extremo. Aedē Quirini Dictatore patre votam, filius Cōs. dedicauit, exornauitq; hostium spolijs, quorū tanta

tanta multitudo fuit, vt non templum tantũ forumque his ornaretur, sed socijs etiam coloniisque finitimis ad templorum locorumq; publicorum ornatum diuiderentur. Hinc Liuius libr. XXII. Vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusque.

Captiui autem reliqui, aut statim interficiebantur, aut in custodiam tradebantur, aut vendebantur. Liuius enim lib. XXVI. Sic facit Vibium loquentem. Neque vinctus per vrbem Romam Triumphi spectaculũ trahar, vt deinde in carcere aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, ceruicem securi Romanę subijciam. Idem Liuius Syphacem post triũphum Tibure obijsse narrat. Plutarchus etiam Iugurtham fame post aliquot dies in carcere necatum ait. Quod autem vendi etiam consueuerint, ostendit Liuius libro VII. Præda omnis militi data, extra prædam quatuor millia deditorum habita; eos vinctos consul ante currum triumphans egit: venditis deinde, magnam pecuniam in ærarium redegit. *In Mario*

De Aerario. CAP. XIX.

AErarium quo illa omnia illata esse diximus, in æde Saturni fuit, à P. Valerio Poplicola Cos. institutum. Qui quidem ea re, vt Plutarchus & Macrobius scribunt, vel loci ipsius opportunitatem munitionemq; vel etiam superstitionem veterum secutus videri possit; vt eum potissimum Deum pecuniæ publicæ custodem præficeret, qui fructibus & agriculturæ (ex quibus rebus maxime pecu-

cundo & tertio bello Punico ex Asia, Macedonia, vt alias omittam, partum est, eodem postea conditum ex eo appareat, quod ærariũ illud, quo per vim ingressus est Cæsar, id fuisse, quo aurum & argentum ex præda Punica & Macedonica alijsque bellis congestum est, docet Lucanus.

tum conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quẽ victi præda Philippi.

Accedit quod exiguam plane Auri vim fuisse quæ priscis illis temporibus, nondum prolatis Imperij finibus, deposita est, admodum verisimile videtur: cuius tantulæ pecuniæ caussa, nunquam certe fores ærarij sibi Cæsar effringendas putasset; à quo tamen ablata laterum aureorum XXVI millia & in numerato pondo CCC. Plinius tradit lib. XXXIII. cap. III.

Florus tamen non Gallicanum, sed Sanctius ærarium à Cæsare effractum scribit libro IV. Hoc enim tertium fuit ærarium, ex auro vicesimario de manumissorum vicesima, vt ego quidem existimo, lege Manlia collecto, quemadmodum significat Liuius li. VII. Ab altero, inquit, consule nihil memorabile gestum, nisi quod legem nouo exemplo ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum qui manumitterentur tulit, &c. Hoc ærarium quia aperiri nisi extremis Reipublicæ casibus non licebat, ideo Sanctius est appellatum. Idem Liuius libro XXVII. Aurum vicesimarum, quod

quod in Sanctiore ærario ad vltimos casus seruaretur, promi placuit. De hoc ærario meminit etiam Cæsar libr. I. bell. ciuil. Lentulus Cos. aperto Sanctiore ærario ex vrbe profugit. Et Cicero l. VII. epist. XX. ad Atticum. Consules vt Romam venirent, pecuniam de sanctiore ærario auferrent. Atque hæc quidem de Aerario satis.

De Trophæis. CAP. XX.

NE autem victoriæ gloria vlla temporis vetustate obscuraretur, licebat Imperatoribus eo in loco vbi hostes profligarant, Trophæa constituere, quæ bellicæ laudis victoriæque insignia & monumenta essent ad memoriam nominis sempiternam. ex quo M. Cicero in Pisonem. Trophæa, inquit, bellicæ laudis victoriæque omnes gentes insignia & monumenta esse voluerunt.

Atque hinc Trophæa quasi Tropæa dicta videntur, ab hostium nimirum fuga, quam Græci τροπὴν vocant, vt Varro & alij tradidere. Seruius explicás illud Virgilij ex li. XI.

Interpres Aristophan. Pluto. Eustath. Iliad. extremo.

„*non exuuias pulsæue Trophæum*

Trophæa posita scribit, cum non plena de hostibus victoria esset reportata. plenæ enim victoriæ non trophæum sed triumphum decretum. quod idem Seruiũ vt solet imitatus scribit Isidorus lib. XVIII. Etym. cap. 2. Verum id ego vt facile de quibusdam crediderim, ita de omnibus vniuerse negauerim. nam Mario, Pompeio, Cæsariq; eædem victoriæ & Trophæa pepererunt, & triumphos.

Trophæa

Trophæa Marti sacra fuisse videtur significare Virg. lib. XI. cùm ait

Tibi magne Trophæum
Bellipotens.

Plutarchus tamen Ioui dicata esse testatur: vnde ipse Iuppiter, Dionysio & Eustathio auctoribus, τροπαῖος & ἐπιτροπαῖος dictus est. Plinius Neptuno etiam erecta narrat li. VI. c. XXXVIII. *Parall 3.* *Dionys l.2.* *Eust. Ilia. X.*

Initio Trophæa ex arborum ramis fiebant: primumque Trophæum ex olea constitutum tradit ex Dionysio in Artibus Cælius Rhodiginus lib. VII. cap. XIX. Postea etiam ex ære lapidibusq; trophæa fabricari cœpta sunt. Suetonius in Caligula ca. XLV. Truncatis, inquit, arboribus, & in modum trophæorum adornatis, &c. Trophæe enim ita componebantur, vt hominis eiusque cruci suffixi speciem referrent, vt ait Tertullianus in Apologetico c. XVI. Sed & victorias, inquit, adoratis, cùm in Trophæis cruces sint intestina trophæorum. Et Minucius in Octauio. Trophæa vestra victricia non tantùm simplicis crucis faciem, verùm etiam affixi hominis imitantur.

In his Trophæis hostium arma affigebantur, inciso gentium victarum titulo, vt ait Seruius ad illud Virg.

Indutosq; iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaq; nomina figi.

Varro in Bimarco, vt citat Nonius, Spolia capta stipitibus affixa, Trophęa vocantur. Tacitus libr. 2. Annal. Miles in loco prœlij Tiberium

rium imperatorem salutauit, struxitque aggerem, & in modum trophæorum arma, subscriptis victarum gentiũ nominib. imposuit.

lib.1. Antholog.3. Arma autem quæ in trophæis affigebantur, eligi solebant fracta & cruenta: quare in Leonide Græco Epigrammate, Mars detestatur clypeos nitentes, & galeas integras: aitque amare se spolia cruenta. Hinc Iuuenalis Sat. x.

Bellorum exuuiæ, truncis affixa Trophæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendẽs,
Et curtum temone iugum, victæq; triremis
Aplustre, & summo tristis captiuus in arcu:
Humanis maiora bona creduntur, &c.

Lib. xj. Tale etiam Trophæum describitur à Virgilio

Ingentem quercum decisis vndiq; ramis
Cõstituit tumulo, fulgentiaq; induit arma
Mezẽti ducis exuuias, tibi magne Trophæũ
Bellipotens. aptat rorantes sanguine cristas
Telaq; trunca viri, & bis sex thoraca petitũ
Perfossumq; locis, clypeumq; ex ære sinistra
Subligat, atq; ensem collo suspẽdit eburnũ.

Posterioribus aũt sæculis, loco trophęorũ, ipsa hostium arma & spolia in lapidibus sculpebantur: & sic videmus Romæ Marij trophæa.

Porrò hæc trophæorum monumenta neque semel constituta euertere, neque vetustate consumpta reficere licuit vt ait Dio lib. xl. Quare Cæsar Pharnace victo, cùm Trophæum quod eodẽ in loco struxerat olim Mithridates, disturbare religione prohiberetur, alterum suæ victoriæ monumentum è regione

gione constituit, vt ea ratione saltem Trophęi Mithridatici memoriam obscuraret. Hinc illa apud Senecam Suasoria v. Ne fas quidem esse, numquam factum, vt quisquam consecratis virtutis suæ operibus manus afferret: ista Trophæa non sunt Athenienſium, Deorum sunt, &c.

Cur autem hæc ipsa Trophæa semel vetustate collapsa restituere nefas esset, causam reddit Plutarchus in quæstionibus, vt scilicet noua semper facinora Duces animo agitent: cumque Trophęa discordiarum, bellorumque indicia sint, ea tempore intermortua renouare velle, odij cuiusdam implacabilis esse videbatur. Quare qui Trophæa ex ære, lapidibusque primi constituerunt, ij nequaquam magnam laudem apud Græcos sunt consecuti, quod, quantum in ipsis esset, perpetuam inimicitiarum memoriam esse vellent. Id etiam auctore Seruio, obseruatum est, vt Trophæa non nisi in locis excelsis figerentur, ex qua etiam consuetudine in fornicibus incisa sunt. Virg. *Quæst 37. Diodor. Sicul. l. 3.*

Ingentem quercum decisis vndiq; ramis.
Constituit tumulo.

Sic etiam Pompeius, teste Plinio, in Pyrenæis montibus Trophæa constituit. *Li. 2. c. 28.*

De spolijs opimis.

CAPVT XXI.

Liu li 4. Plut. in Romulo & Marcello. Fest. v. opima.

COnsuetudo consecrandi spolia opima ab ipso Romulo vrbis, & Imperij auctore fluxit, eaque opima spolia ritè semper habita sunt, quæ in acie Dux Duci prima detraxisset; quo-

quorũ adeò rara fortuna fuit, vt intra tot annos tot bella, prima dũtaxat pop. Rom. contigerint. Dicta aũt sunt opima ab opibus, quasi ampla & magnifica spolia Varrone, & Festo auctoribus: Plutarcho ab opere rectius videtur nominata; quòd ei demùm Duci opimorum consecratio daretur, cuius opera, ac virtute Dux hostium in acie cæsus esset, Ducem porrò, vt aliàs diximus, intelligimus eum, penes quem auspicia, & imperium fuit, quo qui caruisset, ei spolia opima consecrare non licuit. Quare nec Marcus Valerius Coruinus, nec Scipio AEmilianus tribuni militum, nec T. Mãlius Torquatus, nec M. Crassus, hostium Ducibus interfectis, armisque detractis, quia alienis pugnauerant auspicijs, opima spolia retulerunt, vt Valerius & Dio scribunt. Quãquam Varro apud Festum, illa etiam spolia esse putat opima, quæ manipularis miles modo de Duce hostium reportasset.

Liu. li. 4.

Val. li. 1 c. 2.
Dio li. 51.
Fest. v opima.
Liu. l 1.
Dion. lib. 2.
Plutarch
Valer. Flor.
Solin. c. 2.

Primus igitur, quemadmodum dixi, Romulus Acrone Ceninensium Rege interfecto, armisque exuto, spolia opima consecrandi morem posteris tradidit. Quo autem anno, Romano imperio hoc dec⁹ additum sit, dubium, controuersumque est: In eam tamen sententiam descendo, vt eodem anno, aut certè non multò post quàm virgines raptæ sunt, opima spolia esse parta existimem. Cùm enim ob Sabinarum raptum Ceninẽses, ad quos maximè ea pertinebat iniuria, in agrum Romanum, Duce Acrone, impetum fecissent; Romulus cum exercitu ijs obuiam factus, eorum copias

pias fudit, Regemq; in prælio obtruncatum armis spoliauit; inde victore exercitu domũ reducto, spolia Ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium ascendit: ibique ea ad quercum pastoribus sacrum deponens simul cum dono, Ioui Feretrij templo fines designauit, ac pulcherrimi facinoris exemplum, quod posteri sequerentur, ostendit. Raptas porrò Virgines ait Plutarchus xv. Kalend. Septemb. Consualibus mense quarto, ab vrbe condita (in Kalẽdario tamen Romano consualia habentur XII. Kalend. Septemb.) Ouidius verò, & Seruius Consualia in mense Martio reponunt, quibus Virgines raptas esse dicunt. Alij apud Dionysium hoc facinus anno primo regni Romuli commissum esse volunt. Ipse autem Dyonysius de Cn. Gellij sententia, quæ etiam probabilior videtur, quartum illum annum fuisse existimat: neque enim ei rationi cõsentaneum videtur, Romulum regem sapientissimum, vix iactis vrbis fundamentis, tantam rem aggressum esse, nec dum confirmatis opibus, omnium vicinarum gentium odia in se concitare voluisse.

Ouid. 3. Fastor. Seruius ad VIII. librum Virgilij. Magnis Circensibus actis. lib. 2.

Romulum sequutus A. Cornelius Cossus, intermortuam prope consuetudinem dedicandaque spolia opima, sua virtute renouauit, secundaq; spolia de Larte Tolumnio Veientium rege, opima reportauit. Et quamuis constet inter omnes Cossum de Tolumnio secunda spolia opima consecrasse, tamen quo in magistratu, quoue anno id egerit, incer-

Liuius li. 4 Florus li. 1 c. 12.

tum est. Plerique enim ante Liuium, Cossum Tribunum militum opima spolia suspendisse tradiderunt; quem magistratum gessit anno CCCVI. Mam. Aemilio Mamercino Dictatori primum. Valerius, & Frontinus ab eo Magistro equitum spolia parta esse dicunt: fuit autem magister equitum eidem Mamercino Dictatori tertium anno CCCXXVII. Liuius Consulem eum opima spolia cepisse, vero similius putat his rationibus adductus. Primum quia ea spolia sola opima habentur quæ Dux Duci in acie detraxerit, nec Dux est nisi cuius auspicio bellum geritur Tribunus autem, & Magister equitum alienis pugnant auspicijs. deinde quia in thorace linteo se legisse affirmauit Augustus, Cossum ea spolia Consulem dedicasse. Postremo quod maximū apud illum est, quia titulus spolijs inscriptus Consulem ea Cossum dedicasse testabatur, fuit autem Consul cum T. Quinctio Penno anno CCCXXV.

Valer. li. 2. cap. 3 Front. li. 2 cap. 8. Stratag.

lib. 4.

Tertia, & vltima spolia opima M. Claudius Marcellus Consul ad Calstidium, de Virdumaro Gallorum Insubrium Rege retulit, anno ICXXXI. kalend. Martijs.

Hæc porro spolia opima omnia in Iouis Feretrij templo, quo sua Romulus primum intulerat, ceteri qui Romuli virtutem, felicitatemque secuti sunt ritè consecrarunt. Nam de Cosso testis est Liuius libro quarto. Longè maximùm, inquit, Triumphi spectaculum fuit Cossus opima spolia Regis interfecti gerens: in eum milites carmina incondi-

dita æquantes eum Romulo canere. Spolia in æde Iouis Feretrij prope Romuli spolia, quæ opima appellata ea sola tempestate erant, cum solemni dedicatione dono fixit. & Valerius. A Romulo proximus Cornelius Cossus eidem Deo spolia consecrauit, cum magister equitum Ducem Fidenatium, in acie congressus interemisset. & Florus. Spolia de Larte Tolumnio Rege ad Feretrium reportata.

Marcellum quoque eidem Deo sua spolia dedicasse docet in vita Plutarchus, οὕτως, inquit, προθὺς καὶ παρελθὼν εἰς τὸ νεὼν τοῦ Φερετρίου Διὸς ἀνέστησεν, καθιέρωσε τρίτῳ καὶ πικρῷ τῷ ἄκρῳ τοῦ καθ' ἡμᾶς αἰῶνος. & Valerius In Marcello tantus animi vigor fuit, vt apud Padum, Gallorum Regem ingenti exercitu stipatum, cum paucis equitibus inuaderet, quem protinus obtruncatum armis exuit, eaque Ioui Feretrio dicauit. & Florus. Occiso Rege Marcellus tertia post Romulum patrem Feretrio Ioui arma suspendit. & Virgilius libro sexto.

Adspice vt insignis spolijs Marcellus opimis.
Ingreditur, victorq; viros supereminet omnes,
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumq; rebellem
Tertiaq; arma patri suspendet capta Quirino.

Quirino suspensurum dicit arma, hoc est, Romuli exemplo spolia opima relaturum, & propè Romuli spolia sua consecraturum. Festus etiam Marcellum Ioui Feretrio spolia opima fixisse testatur.

u. opima.

Quamquam autē hæc ita clara sunt, nullus vt locus dubitationi reliquus esse posse videatur; nonnulli tamen, nescio quibus inducti causis, scripsere non omnia opima spolia Iouis Feretrij templo illata, sed Cossum quidem Marti, Marcellum Iano Quirino Pacis Deo sua spolia consecrasse. Dicunt enim Numæ legem fuisse, quæ præciperet, vti prima spolia capta Ioui Feretrio consecrarentur: secunda Marti: tertia Quirino: præmiumque primis esset asses trecenti, secundis ducēti, tertijs centum. Lex exstat apud Festum, cuius verba licet corruptissima sint, tamen ex Plutarcho, qui legis eiusdem meminit in Marcello, ita doctissimis viris videntur emendari, & suppleri posse.

Siganius in An. Scaliger & Vrsinus ad Festum u opima.

Cuius auspicio, classe procincta, opima spolia capiuntur, Ioui Feretrio bouem cædito. qui cepit, æris CCC. darier oporteto.

Secunda spolia in Martis aram in campo. CC. solitaurilia, vtra voluerit, cædito.

Tertia spolia Iano Quirino, agnum marem cædito. C. qui ceperit, ex ære dato.

Cuius auspicio Capta Dis piaculum dato.

ad illum versum

Hæc quidem apud Festum. accedit Seruius qui ad librum sextum Virgilij Cossum Marti, Mar-

Marcellum Quirino, Numæ lege, spolia opima suspendisse scribit. Quæ si vera sunt, falsitatis & insciticæ arguamus necesse est scriptores omnes, qui Cossi & Marcelli spolia Ioui Feretrio dicta fuisse disertè narrant: aut certè fatendum legem hanc contraria consuetudine, cui vix resisti potest, fuisse abrogatam. Quamquam si verba legis attentius consideremus, luce clarius longè alio, quàm isti putant, eam spectare videbimus. Neque enim de ijs spolijs opimis lata lex est, quæ diuersis prœlijs, & temporibus ex hostium ducibus ritè Romani Imperatores reportarent, qualia Romulus, Cossus, & Marcellus consecrarunt: sed de ijs, quæ in eodem prœlio, ex varijs hostium ducibus referri fortè potuissent, & opima etiam aliquo modo dici.

Tertiaq; arma patri suspendet capta Quirino.

Vt enim, verbi causa, corona castrensi, aut murali legitimè quidem donatur is, qui primus in hostium muros, aut castra irruperit; tamen eadem licet, non quàm prima honorifica donantur interdum ij qui secundi, aut tertij penetrauerint: ita etiam quamuis ea sola legitima spolia opima & essent, & dicerentur, quæ prima Dux Duci detracta in æde Iouis Feretrij consecrasset, tamen qui à Duce proximum (legatum scilicet, aut alium quemliber) in eodem prœlio obtruncasset, armisque spoliasset, ei Numæ lege, existimo permissum, vt secunda spolia in Martis templo minore cum præmio, & gloria dedicaret; quod ea etiam spolia aliquo modo de Duce hostium reportata, & opima appellari posse

Liu. lib. 3.

In Marcello. viderentur. Tamen consuetudo, vt ait Plutarchꝰ obtinuit, vt ea sola spolia in honore esset, & opima nominarentur, quæ æris trecentis æstimata Iouí Feretrio prima ponerentur: secunda verò & tertia, quæ Martis & Quirini templis iuberentur inferri, vt nunquam in honore fuerunt, ita nec opima appellata sunt. Et sanè alienum videtur æquitate, sapientiaq; optimi Regis legem tuliſſe, in qua plus loci fortuna, quàm virtus esset habitura. Ergo Marcelli spolia minus gloriosa sunt, quàm superiora, non quia ex leuiore hoste, aut minore cum periculo, sed quia tertio loco parta sunt? Nam si gloria ex grauitate belli, & ex hostiũ genere spectatur, non minus certè illustria erunt Marcelli spolia, quàm Romuli, aut Cossi; imò etiam tantò vtrisque insigniora, quantò grauior hostis fuit Virdumarus quàm Acro, & periculosius bellum Gallicum quàm Hetruscum. Præterea videri potuit ea lege Numæ Romanæ laudi inuidisse, qui tam angustis spatijs Imperij decus, & gloriam definisset: quid enim si quarta spolia opima parta fuissent? cui templo essent affixa? cui Deo consecrata? an verò dicemus Numam vt fatidicũ, aut etiam Egeriæ Nymphæ admonitu, cùm trina tantùm populo Romano spolia opima partum vi præuidisset, ijs paria numero templa, in quibus figerentur, constituisse? fabulæ. Sit igitur hoc positum, Cossi, & Marcelli spolia opima in æde Feretrij Iouis propè Romuli spolia dono fixa fuisse. Cossi certè spolia Liuius in Feretrij templo propè Romulum posita

fita se vidisse affirmat: quare Seruius cùm Cossum Martis, Marcellum Quirini templo spolia intulisse Numæ lege scribit, eiusq; rei Liuium laudat auctorem, tam falsus reperitur in historia, quàm in scriptorum testimonijs referendis.

Templum autem Iouis Feretrij à Romulo, quemadmodum initio scripsi, deuictis Cæninensibus in Capitolij vertice fuit exstructum peranguſtis finibus; nam Dionysius sua ætate templij vestigia extasse scribit vix pedum quindecim longitudine. Ancus deinde Rex, illud, teste Liuio, amplificauit postremo, cùm vetustate dilaberetur C. Iulius Cæsar Titi Pomponij Attici admonitu reficiendum curauit, vt est auctor in ipsius Attici vita Nepos. quāquam Liu. eius ædis restitutorem Augustū fuisse testatur. Fieri autem potest, vt cōtm Iulius, quæ animo destinauerat, morte occupatus infecta reliquisset, ea persecutus Augustus laudem absoluti templi tulerit apud posteros. Id tandem cum magna vrbis parte Neroniano incendio cōflagrauit. Feretrium autem Iouem Plutarchus, vel à spoliorum ferculo quod Græci feretro φέρετρον appellant; vel à feriendo dictum putant, cui concinit Properr. lib. 2. eleg. 12.

Lib. 1.

Lib. 4.

Nunc Spolia in templo tria condita: causſa Feretri,
Omine quod certo Dux ferit ante Ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebāt,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

Tacit. lib. 15. in Romulo & Marcello.

Lib. 2. Dionysius Feretrium Iouem interpretatur τροπαιοῦχον καὶ σκυλοφόρον ἢ ὑπερφερέτιον. Festus verò sic ait: Ferentius Iuppiter dictus à ferendo, quod pacem ferre putaretur: ex cuius quoque Templo sumebant sceptrum per quod iurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent.

FINIS. LAVS DEO.

INDEX

INDEX RERVM QVAE DE MILITIA ROMANORVM IN SEPTEM his libris notatu sunt dignæ.

In quo prior numerus paginam, posterior linearum numerum indicat.

A.

A *Bolla quid* 2 7. 24
Abolere nomen legionis, qualis pœna. 395 33
Acies *quæ propriè fuerit* 300. 7 *partes* 08. 1. *media quæ.* 305. 8. *duplex quæ* 312 16. *tribus partibus constabat.* 9 17. *aciei ordo.* 299 1. *in acie singuli inter se tresminimum pedes distabant* 307. 16
Adcensi qui 126 28 *eorum munus.* 153. 13
Adscriptitij qui dicebantur 106. 21
Ad vrbem esse, quid dicitur. 252. 11. 433. 31
Æneatores qui dicuntur 26. 1
AErarij militaris *institutio* 242 32. *tres præfecti.* 242. 13.
AErarium *triplex* 492. 3 *vbi fuit.* 491 24 *in ærario pop. Rom. quid inferebatur.* 488. 17 *In Opus cella. quale* 492. 12 *Gallicanum, quale* 492. 21 *Sanctius, quale* 493. 22
Ære diruti qui dicebantur. 389. 28
Ætas militaris erat ab anno XVIII. *vsq; ad* XLV. 69 13
Agger quid. 331. 22
Agminis *duo genera.* 257. 13. 263. 17. *quadratum.* 257. 15 *pilatum.* 57. 17
Agri *diuidendi duplex ratio.* 372 23. *quomodo diuidebantur.* 375. 24. 376 *tot. qui emeritis diuidebantur, quales* 374 1. *emeritis qua lege dabantur.* 377 20 *in agrorum diuisione semper, vel S C. vel populi rogatione, vel lege aliqua opus fuit* 373. 8

Alæ in legione quare sic dictæ. 120. 52
Alæ in acie vnde dictæ 306. 9
Amentum quid. 187. 5
Ancilibus nondum conditis nefas erat ad bellum proficisci. 36. 19
Animaduersio *lenis, quæ dicebatur* 390. 4. *grauis, quæ.* 380 5. *quomodo exercebatur.* 387. 19. *grauis vbi exercebatur.* 388. 30. *animaduersionis in hostem variagenera fuerunt.* 398. 8
Antiquo, verbum erat in bello indicendo solemne. 46. 13
Aquila aurea in bello præferebatur. 132. 4
Aries, machina bellica qualis. 326. 19
Arma, vnde dicta 188. 28
Arma in trophæis affigenda qualia eligebantur. 496. 4
Armamentarium in Quintana fuit 281. 10
Armillæ *quales.* 358. 12. *quibus dabantur.* 358. 26. *vulgo Viriliæ dicuntur.* 358. 17
Assis æstimatio. 232. 18
Atri dies *sex & triginta quando fuerunt.* 33 24. *quare instituti.* 23 27
Attributa siue Attributum quid. 240. 20
Augurium salutis. 35 17
Auspicia *quæ dicuntur.* 21. 17. *auspiciorum duo genera in castris adhibita sunt.* 22 25. *auspicium ex acuminibus quid dicebatur* 25. 3 *initio patricij habuerunt postea plebs.* 21. 19 *quando adhibebantur.* 27. 27
Aurea corona quare sic appellata. 356. 26
Augustus vicies Imperator conclamatus est. 421. 14

B.

Balteum cingulum militare. 189. 10
Balista missile bellicum. 335 15. 337. 14. *balistis sagittæ mittebantur.* 335. 28. *balistarum & catapultarum quanta vis.* 336. 5
Barritus quid. 316. 5
de Bello indicendo Romani quomodo, & quos consulebant 44 18. *& seq.* Bellum *quomodo indicebatur.* 44.

49.12 51.15.55 10 *quando indicebatur* 46.22. *hostibus quo loco indicebatur.* 50.18. *bello indicto triginta diebus necessaria apparabantur.* 54.6. *ad bellum præter milites alij opifices eligebantur.* 328. 20. *belli signa à quibus, & quando dabantur.* 313. 8

Beneficiarij qui. 365. 29

Boues albi sacrificabantur in triumphis. 453. 6

Buccina *signum in hostes dabatur.* 223. 11. *in vigilias milites mittebantur.* 223. 24. *conuiuium dimittebatur* 224. 4

Bullam triumphans de cernice suspensam gestabat. 463. 19

C.

Cæspes quid. 270. 26

Caliga quid. 219. 1

Calonum & Lixarum differentia. 129. 17

Calones à calando dicti 129. 22

Campus Martius quare ad exercitationem electus. 12. 18

Campestria quæ. 12. 29

Captiui in triumphis, catenis vincti ducebantur. 454 33

Castra *quasi castra appellata.* 84.22. *eorum duo genera fuere.* 267.18. *forma qualis.* 272 8. *quatuor portas habuerũt* 272.16. *Romani quomodo mouebãt.* 292. 2

Castra metandi *quæ fuit ratio.* 268.22. *rationem Romani vnde didicerunt.* 266. 25

Catapulta *quid.* 334.11. *mittebantur saxa* 335. 27

Catellæ quæ dicuntur. 357. 31

Cena qualis Triumpho peracto. 472. 29

Census equestris quantus. 111. 8

Centurionum lectio Tribunorum erat. 176 11. Centuriones *quales eligebantur.* 276.15. *eorum munus.* 177.5. *manipulis præficiebantur.* 172.14. *primis manipulis præfecti, cæteris honestiores.* 174.21. *quare in manibus vitem gestabant.* 177.30. *adiutores habebãt vragos.* 179.17. *duplex stipendium meruerunt.* 234. 14.237.24 *supplicijs militum præfecti sunt.* 388. 20

Cen-

Centuriæ quæ dicebantur 98. 22
Cetræ quid 327. 25
Ciuica corona *qualis* 352 8 *quibus dabatur*.353.6.354. 20.*dignitas*.353.27.*quis conferebat*.355. 1
Ciuium in vrbe numerum Romani, quomodo obseruarint 68. 20
Classica corona qualis.356. 10
Classicum *quid* 227 22.228. *tot. solo Imperatore præsente canebatur*.226. 22
Claui qui dicebantur.216. 21
Clauus angustus equitum fuit 216. 13
Cohors quare sic appellata.99.2 *cohortes ex tribus manipulis instituebantur*. 98.30. *cohortes subsidiariæ vnde dictæ*.124.32. *cohors ex euocatis & extraordinarijs constitit*.126.12 *in cohorte non fuit semper idē militum numerus*.100.7.*cohortium signa in velis erant depicta*.136. 5
Cohors prætoria *non numerabatur in legione*.125.8. *vnde dicta*.125.13. *maior cæteris fuit militum numero*.126. 24
ad Concilium qui vocabantur.147. 17
Conceptiuæ feriæ quando fuerunt.33. 4
Congiarium quid.347. 21
Conscripti milites, qui dicuntur.91. 9
Cornicines quando canebant 225 13
Corona vrbs quomodo expugnabatur. 322.8. 340.1. *coronarum varia genera* 351. 15
sub Corona venire qui dicuntur 399. 1
Coronarium victori Imperatori mitti solitum.426. 20
Coruscatio fœderis icti confirmatio 415. 1
in Crucem agebantur milites 385. 13
Cuneus in acie quid.308. 11
Curatores agrorum *diuidebant agros*. 375.10. *per quos creati*.375. 12
Currus triumphalis qualis.457. 2

D.

Deorū voluntates quomodo Romani explorabant. 18. 24
Dij quomodo euocabantur 322. 26. 323. 10. *quādo* 322. 20
Decimatio, quale supplicium 384. 5
Decumana porta in castris 272. 30, 389. 2
Decuriones præficiebantur equitibus 180. 3
Deditionis formula 418. 1
Delectus, *quando habebatur* 66. 2 *& sequ. ex tribubus habebatur* 67. 9
Delicta *militaria quæ erant* 379. 17 *ordinaria quomodo puniebantur* 381 17 *maiora, ob quæ maiores pœnæ infligebantur* 386 *tot.*
Delinquentes in bello venierunt 385. 16
Denarij æstimatio 232. 24
Deprehensa quid 280. 13
Deuotionis, *qua se pro patria Romani deuouebant ritus qua* 321 *hostes deuouebant formula* 324. 19
Dextera principalis porta in castris qualis 273. 18
Dictator & Coss tumultum indicebant 62. 20
ad Diem indictum milites præsentes 245. 27
Discinctos destituit, quid erat 392. 26
Discinctis ad maiorem pœnam addita laboris molestia 393. 11
Donatiuum *quid* 347. 17 *eius duo genera* 347. 28 *quantum* 348. 15 *quomodo dabatur* 348. 31
Duces quomodo Imperatoris nomen consecuti 4. 2. 4
Duplicarij qui dicebantur 360. 6

E.

Emeriti *qui* 365. 19 *alio nomine Veterani dicti* 365. 23
Equestris ordo, erant equites equo publico 11. 2. 7
Equitandi artem quomodo Romani didicerunt 12. 1
Equitum *in legione primus autor Romulus* 110. 2 *diuerso tempore diuersa nomina* 110. 26 *in turmas diuisio* 118. 2 *armatura* 202. 11. *tabernacula* 279. 4
Equites *à censoribus eligebātur* 111. 6 *in legione omnes equestris*

equestris ordinis 116. 24 *in prælio duobus equis vſi sunt* 118 22. *triplex stipendium meruerũt.* 234. 14. *vigilias obibant* 288. 6 *nunc ante aciem, nunc in acie, nunc peditum corona cinxere* 305 29

Equus publicus militaris dictus est 115. 10. *equorum ornatus* 206. 17

Euocati & extraordinarij quales 75. 18, 126. 14

Euocatio quid 61. 19

Exauctorati milites immunes à labore 370. 28

Exauctoratio pœna militaris 379. 7

Exercitatio veteribus in primis curæ 9. 12. *& seq.*

Exercitus *ab exercendo dictus.* 9. 5. *tribus militum generibus constitit.* 93. 5

ante Expugnationem vrbis Dij euocabantur 321. 20

F.

Falx quid 327. 15

Fasces Imperatorij prælati 151. 4

Ferentarij qui 108. 11

Feri, Feri, vox militũ sese adhortantiũ in prælio 319. 15

Feriendi porci ratio 414. 1

Feriæ Latinæ, quæ 29. 27 *earum autores* 29. 29. *ferijs Latinis quare non indicebatur bellum* 30. 12

Fetialium munus 39. 9 *fetialis collegij institutores* 40. 10. fetiales *quot, & ex quo hominum genere eligebantur* 40. 20 *quatuor, res repetebant* 42. 11

Filius venit, Symbolum Iudæorum ad declinandum ventura saxa 337. 8

Fœdera *vnde dicta* 413. 15 *quorũ autoritate fiebãt.* 403 14. *tria genera* 403. 19 *fœderis genus minus æquum quale* 405. 4 fœdus *æquissimum, quod dicitur* 404. 6. *iniquissimum, quale* 415, 31 *per duos fetiales feriebatur* 409. 18. *quomodo feriebatur.* 410. 23. 23

Forfex in acie quid 308. 27

Fraudatio stipendij, *quid fuit,* 389. 24 *ea qui afficiebantur.* 399. 16

Frons in acie quid 308. 10

Fundã

Funda quid 200. 12
Fustigatio quando adhibebatur 380. 26, 381. 3 *fustigationis exequendæ ratio* 380. 29

G.

Gabinus cinctus, qualis 222. 12
Galbei quid 358. 17
Galea velitaris, qualis. 189. 23
Galdius Hispanienſis, qualis 188. 2 *gladio Hispanienſi quomodo veteres præcingebantur* 188. 23
Globus in acie quid 310. 1
Gradus deiectio, qualis pœna 394. 17
Gratioſa miſsio. quare dabatur 365. 10 *gratioſam miſsionem conſecuti, Beneficarij appellabantur* 365. 27

H.

Habitus eorum, qui gladio feriendi erant 383. 1
Haruſpicum in extis conſulendis religio 27. 10
Haſta, *qua bellum indicebatur, vnde dicta ſanguinea* 50. 5 *pura quibus dabatur* 358. 31 *pura, Donatica appellabatur* 359. 6
Haſtæ velitum, miſsiles 185. 29. *haſtæ velitares, quales* 186. 20
Haſtaria cenſio, quæ 391. 1
Haſtati *quare dicti Anteſignani* 301. 17 *eorum armatura* 190. 17 *tabernacula* 279. 24
Helepolis quid 327. 20
Herbam dare prouerbium, vnde 351. 31
Herculis ſignum præferebatur in triumpho 466. 30
Hordeum aliquando pro tritico, ignominiæ cauſa, datum 391. 29

I.

Iani *templum apertum, index belli* 51. 29 & *ſeq. biſrētis templum deſcribitur* 53. 10 *templum, bello indicto quare aperiebatur* 53. 26
Imperatoris. *poteſtas in re militari* 144. 18 & *ſequēt.* ingra-

in grauioribus causis consilium ferebat 147. 9. quibus rebus à Romanis ornatus 148. 1. bellum indicturus Gabino cinctu vtebatur 222. 12 omnia habebat de publico 238 7 delecto perfecto, rite captatis auspicijs, diem ad conueniendum indicebat 244. 17 nunquam ante ferias Latinas indictas egrediebatur ex vrbe, ad bella 248. 6. celebratis omnibus sacris, antè quã proficisceretur, munus gladiatorium, venationesq; dabat 249 31 eius ex vrbe profectio 250 21. 251. 252. tot. exercitu & classe lustrata concionem aduocabat. 256. 21 eius tabernaculum Prætoriũ appellabatur 275. 16 vbi figebatur, & omnes aliæ circumstantiæ 275. 14. 276 tot. imperator nunc in pugna, nunc in acie, nunc in alterutro cornu erat 306 31 eius in pugna officiũ 315. 28 quo munere donabatur 361. 12

Imperatoris nomen veteres dupliciter vsurpabant 419 13 ad imperatoris nomen consequendum, quanta cædes requirebatur 422 12 eius post pugnam in vrbẽ introitus 432. 1: in triumpho ornatus 477. 8 imperator in ouatione prætexta toga vtebatur 480 11 imperatorẽ in ouatione tibicines cingebant 481. 6 in imperatoris nominis inscriptione quid obseruãdũ 421 26

Imperium quid olim dictum sit 53. 5

Imperio demandato Senatus nouo S C prouinciam ornabat, stipendium in milites essignabat &c. 59 23

Indutiæ quid 400 13. pax sequestris 400 27. equum tempore quid factum 401. 12

Io Triumphe, Io, communis omnium lætantium vox, in Triumpho 489. 29

Sub iugum mitti, quid 398.

Iupiter vnde dictus Feretrius 412. 24. 506.

Iuramenti formula, quo se milites obligabant, ne furto aliquid è castris auferrent 283. 14

Iusiurandum quomodo concipiebatur 88. 5

Iusta Missio quibus dabatur 365 Si iustã missionẽ adepti, Veterani aut Emeriti appellabantur 365. 18

L.

Lacerna, quid 217. 8
Læna, quid 217. 17
Laurea corona in spectaculis vtebantur Romani 476 27
Laurus in triumpho quare præferebatur 462. 28
Legatorum *dignitas* 158 11 *duo genera* 157. 4
Legati *post Imperatorem præcipuum locum in exercitu habuere* 156. 27. *aut à Senatu dabantur, aut ab Imperatore eligebantur*, 157 25. *ius quoque dicebant*, 159. 13
Legionis *autor Romulus* 93. 14. *non idem semper numerus fuit* 93 20. *variæ ethymologiæ* 96. 14
In Legione *præter civem Romanum nullus merebat*, 95. 15 *quatuor hominum genera* 96 31. *centuriæ* lx, *manipuli* xxx, *cohortes* x, 99. 14
Leues milites, qui fuerunt 106. 1
Leuis armaturæ arma 200. 4 *leuis armatura post principes collocabatur* 306. 20
Lex curiata vnde dicta 58. 15. *legem curiatam quis ferebat* 59. 7
Lex de consecratione spoliorum opimorum 502. 30
Libralia, quid 339 20
Lictores, *qui* 387 5. *graues animaduersiones exercebant* 387. 4 *à ligando dicti* 150. 32. *eorum munus* 352. 16
Litare, quid sit 25. 18
Literæ publicæ de victoria, ad confirmandum Imperatoris nomen 424. 12. *literæ laureatæ* 425. 12
Lituus, quid 226. 7
Lixarum *officium* 130. 3. *à Licha dicti* 130. 9
Lorica, *vnde dicta* 199 16. *machina bellica* 338. 31
Lupus, machina bellica 333. 20
Lustratio 254 13. *lustrandæ classis mos* 255. 17

M.

Magister equitum vniuerso equitatui præfectus 181. 4
ad Magistratum vrbanum quibus patebat aditus 5. 19 *magistra-*

Lib. 2. Dionysius Feretrium Iouem interpretatur προπαμβέχον καὶ σκυλοφόρον ἢ ὑπερφερέτιον. Festus verò sic ait: Feretrius Iuppiter dictus à ferendo, quod pacem ferre putaretur: ex cuius quoque Templo sumebant sceptrum per quod iurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent.

FINIS. LAVS DEO.

INDEX

INDEX RERVM QVAE DE MILITIA ROMANORVM IN SEPTEM his libris notatu sunt dignæ.

In quo prior numerus paginam, posterior linearum numerum indicat.

A.

A *Bolla quid* 2 7. 24
Abolere nomen legionis, qualis pœna. 395 33
Acies *quæ propriè fuerit* 300. 7 *partes* 08. 1. *media quæ.* 305. 8. *duplex quæ* 312 10. *tribus partibus constabat.* 9 17. *aciei ordo.* 299 1. *in acie singuli inter se tresminimum pedes distabant* 307. 16
Adcensi qui 1 6 28 *eorum muxus.* 153. 13
Adscriptitij qui dicebantur 106. 21
Ad vrbem esse, quid dicitur. 252. 11. 433. 31
Æneatores qui dicuntur 26. 1
AErarij militaris *institutio* 242 32. *tres præfecti.* 242. 13.
AErarium *triplex* 492. 3 *vbi fuit.* 491 24 *in ærario pop. Rom. quid inferebatur.* 488. 17 *In Opus cella. quale* 492. 12 *Gallicanum, quale.* 492. 21 *Sanctius, quale* 493. 22
Ære diruti qui dicebantur. 89. 28
Ætas militaris erat ab anno XVIII. *vsq; ad* XLV. 69 13
Agger quid. 331. 22
Agminis *duo genera.* 257. 13. 263. 17. *quadratum.* 257. 15 *pilatum.* 57. 17
Agri *dividendi duplex ratio.* 372. 23. *quomodo dividebantur.* 375. 24. 376 *tot. qui emeritis dividebantur, quales* 374 1. *emeritis qua lege dabantur.* 377 20 *in agrorum divisione semper, vel S C. vel populi rogatione, vel lege aliqua opus fuit* 373. 8

Alæ in legione quare sic dictæ. 120. 52
Alæ in acie vnde dictæ 306. 9
Amentum quid. 187. 5
Ancilibus nondum conditis nefas erat ad bellum proficisci. 36. 19
Animaduersio *lenis, quæ dicebatur* 390. 4. *grauis, quæ.* 380 5. *quomodo exercebatur.* 387. 19. *grauis vbi exercebatur.* 388. 30. *animaduersionis in hostem varia genera fuerunt.* 398. 8
Antiquo, verbum erat in bello indicendo solemne. 46. 13
Aquila aurea in bello præferebatur. 132. 4
Aries, machina bellica qualis. 326. 19
Arma, vnde dicta 188. 28
Arma in trophæis affigenda qualia eligebantur. 496. 4
Armamentarium in Quintana fuit 281. 10
Armillæ *quales.* 358. 12. *quibus dabantur.* 358. 26. *vulgo Viriliæ dicuntur.* 358. 17
Asis æstimatio. 232. 18
Atri dies *sex & triginta quando fuerunt.* 33 24. *quare instituti.* 33 27
Attributa siue Attributum quid. 240. 20
Augurium salutis. 35 17
Auspicia *quæ dicuntur.* 21. 17. *auspiciorum duo genera in castris adhibita sunt.* 22 25. *auspicium ex acuminibus quid dicebatur* 25. 3 *initio patricij habuerunt, postea plebs.* 21. 19 *quando adhibebantur.* 27. 27
Aurea corona quare sic appellata. 356. 26
Augustus vicies Imperator conclamatus est. 421. 14

B.

Balteum cingulum militare. 189. 10
Balista missile bellicum. 335 15. 337. 14. *balistis sagittæ mittebantur.* 335. 28. *balistarum & catapultarum quanta vis.* 336. 5
Barritus quid. 316. 5
de Bello indicendo Romani quomodo, & quos consulebant 44. 18. *& seq.* Bellum *quomodo indicebatur.* 44.

49.12 51.15.55 10. *quando indicebatur* 46.22. *hostibus quo loco indicebatur*. 50.18. *bello indicto triginta diebus necessaria apparabantur*. 54.6. *ad bellum præter milites alij opifices eligebantur*. 328. 20. *belli signa à quibus, & quando dabantur*. 313. 8

Beneficiarij qui. 365. 29

Boues albi sacrificabantur in triumphis 453. 6

Buccina *signum in hostes dabatur*. 223. 11. *in vigilias milites mittebantur*. 223. 24. *comitium dimittebatur* 224. 4

Bullam triumphans de cernice suspensam gestabat. 463. 19

C.

Cæspes quid. 270. 26

Caliga quid. 219. 1

Calonum & Lixarum differentia. 129. 17

Calones à calando dicti 129. 22

Campus Martius quare ad exercitationem electus. 12. 18

Campestria quæ. 12. 29

Captiui in triumphis, catenis vincti ducebantur. 454 33

Castra *quasi casta appellata*. 84.22. *eorum duo genera fuere*. 267.18. *forma qualis*. 272 8. *quatuor portas habuerũt* 272.16. *Romani quomodo mouebãt*. 292. 2

Castra metandi *quæ fuit ratio*. 268.22. *rationem Romani vnde didicerunt*. 266. 25

Catapulta *quid*. 334.11. *mittebantur saxa* 335. 27

Catellæ quæ dicuntur. 357. 31

Cena qualis Triumpho peracto. 472. 29

Census equestris quantus. 111. 8

Centurionum lectio Tribunorum erat. 176 11. Centuriones *quales eligebantur*. 276.15. *eorum munus*. 177.5. *manipulis præficiebantur*. 172.14. *primis manipulis præfecti, cæteris honestiores*. 174.21. *quare in manibus vitem gestabant*. 177.30. *adiutores habebãt vragos*. 179.17. *duplex stipendium meruerunt*. 234. 14.237.24 *supplicijs militum præfecti sunt*. 388. 20

Cen-

Centuriæ quæ dicebantur 98. 22
Cetræ quid 327. 25
Ciuica corona *qualis* 352 8 *quibus dabatur*.353.6.354. 20. *dignitas*.355.27. *quis conferebat*.355. 1
Ciuium in vrbe numerum Romani, quomodo obseruarint 68. 20
Classica corona qualis.356. 10
Classicum *quid* 227 22.228. *tot. solo Imperatore præsente canebatur*.226. 22
Claui qui dicebantur.216. 21
Clauus angustus equitum fuit 216. 13
Cohors quare sic appellata 99.2 *cohortes ex tribus manipulis instituebantur*. 98.30. *cohortes subsidiariæ vnde dictæ*.124.32. *cohors ex euocatis & extraordinarijs constitit*.126.12 *in cohorte non fuit semper idē militum numerus*.100.7.*cohortium signa in velis erant depicta*.136. 5
Cohors prætoria *non numerabatur in legione*.125.8. *vnde dicta*.125.13. *maior cæteris fuit militum numero*.126. 24
ad Concilium qui vocabantur.147. 17
Conceptiuæ feriæ quando fuerunt.33. 4
Congiarium quid.347. 21
Conscripti milites, qui dicuntur.91. 9
Cornicines quando canebant 225 13
Corona vrbs quomodo expugnabatur. 322.8. 340.1. *coronarum varia genera* 351. 15
Sub Corona venire qui dicuntur 399. 1
Coronarium victori Imperatori mitti solitum.426. 20
Coruscatio fœderis icti confirmatio 415. 1
in Crucem agebantur milites 385. 13
Cuneus in acie quid.308. 11
Curatores agrorum *diuidebant agros*. 375. 10. *per quos creati*.375. 12
Currus triumphalis qualis.457. 2

D.

Deorū voluntates quomodo Romani explorabant. 18. 24
Dij quomodo euocabantur 322. 26. 323. 10. quādo 322. 20
Decimatio, quale supplicium 384. 5
Decumana porta in castris 272. 30. 389. 2
Decuriones præficiebantur equitibus 180. 3
Deditionis formula 418. 1
Delectus, quando habebatur 66. 2 & sequ. ex tribubus habebatur 67. 9
Delicta militaria quæ erant 379. 17 ordinaria quomodo puniebantur 381 17 maiora, ob quæ maiores pœnæ infligebantur 386 tot.
Delinquentes in bello venierunt 385. 16
Denarij æstimatio 232. 24
Deprehensa quid 280. 13
Deuotionis, qua se pro patria Romani deuouebant ritus qua 321. 1 hostes deuouebant formula 324. 19
Dextera principalis porta in castris qualis 273. 18
Dictator & Coss tumultum indicebant 62. 20
ad Diem indictum milites præsentes 245. 27
Discinctos destitui, quid erat 392. 26
Discinctis ad maiorem pœnam addita laboris molestia 393. 11
Donatiuum quid 347. 17 eius duo genera 347. 28 quantum 348. 15 quomodo dabatur 348. 31
Duces quomodo Imperatoris nomen consecuti 412. 4
Duplicarij qui dicebantur 360. 6

E.

Emeriti qui 365. 19 alio nomine Veterani dicti 365. 23
Equestris ordo, erant equites equo publico 11. 2. 7
Equitandi artem quomodo Romani didicerunt 12. 1
Equitum in legione primus autor Romulus 110. 2 diuerso tempore diuersa nomina 110. 26 in turmas diuisio 118. 2 armatura 202. 11. tabernacula 279. 4
Equites à censoribus eligebātur 111. 6 in legione omnes equestris

Equestris ordinis 116. 24 *in prælio duobus equis vsi esunt* 118 22. *triplex stipendium meruerũt.* 234. 14. *vigilias obibant* 288. 6 *nunc ante aciem, nunc in acie, nunc peditum corona cinxere* 305. 29

Equus publicus militaris dictus est 115. 10. *equorum ornatus* 206. 17

Euocati & extraordinarij quales 75. 18, 126. 14

Euocatio quid 61. 19

Exauctorati milites immunes à labore 370. 28

Exauctoratio pœna militaris 379. 7

Exercitatio veteribus in primis curæ 9. 12. *& seq.*

Exercitus *ab exercendo dictus.* 9, 5. *tribus militum generibus constitit.* 93. 5

ante Expugnationem vrbis Dij euocabantur 321. 20

F.

Falx quid 327. 15

Fasces Imperatorij prælati 151. 4

Ferentarij qui 108. 11

Feri, Feri, vox militũ sese adhortantium in prælio 319. 15

Feriendi porci ratio 414. 1

Feriæ Latinæ, quæ 29. 27 *earum autores* 29. 29. *feriis Latinis quare non indicebatur bellum* 30. 12

Fetialium munus 39. 9 *fetialis collegij institutores* 40. 10. fetiales *quot, & ex quo hominum genere eligebantur* 40. 20 *quatuor, res repetebant* 42. 11

Filius venit, Symbolum Iudæorum ad declinandum ventura saxa 337. 8

Fœdera *vnde dicta* 413. 15 *quorũ autoritate fiebãt.* 403. 14. *tria genera* 403. 19 *fœderis genus minus æquum quale* 405. 4 fœdus *æquissimum, quod dicitur* 404. 6. *iniquissimum, quale* 415, 31 *per duos fetiales feriebatur* 409. 18 *quomodo feriebatur.* 410. 23. 23

Forfex in acie quid 308. 27

Fraudatio stipendij, *quid fuit,* 389. 24 *ea qui afficiebantur.* 399. 16

Frons in acie quid 308. 10

Funda

Funda quid 200. 32
Fustigatio quando adhibebatur 380. 26, 381. 2 *fustigationis exequendæ ratio* 380. 29

G.

Gabinus cinctus, qualis 222. 12
Galbei quid 358. 17
Galea velitaris, qualis. 189. 23
Galdius Hispaniensis, qualis 188. 2 *gladio Hispaniensi quomodo veteres præcingebantur* 188. 23
Globus in acie quid 310. 1
Gradus deiectio, qualis pœna 394. 17
Gratiosa missio. quare dabatur 365. 10 *gratiosam missionem consecuti, Beneficarij appellabantur* 365. 27

H.

Habitus eorum, qui gladio feriendi erant 383. 1
Haruspicum in extis consulendis religio 27. 10
Hasta, *qua bellum indicebatur, vnde dicta sanguinea* 50. 5 *pura quibus dabatur* 358. 31 *pura, Donatica appellabatur* 359. 6
Hastæ velitum, missiles 185. 29. *hastæ velitares, quales* 186. 20
Hastaria censio, quæ 391. 1
Hastati *quare dicti Antesignani* 301. 17 *eorum armatura* 190. 17 *tabernacula* 279. 24
Helepolis quid 327. 20
Herbam dare prouerbium, vnde 351. 31
Herculis signum præferebatur in triumpho 466. 30
Hordeum aliquando pro tritico, ignominiæ causa, datum 391. 29

I.

Iani *templum apertum, index belli* 51. 29. *& seq. bifrontis templum describitur* 53. 10 *templum, bello indicto quare aperiebatur* 53. 26
Imperatoris. *potestas in re militari* 144. 18 *& sequet.*

in grauioribus causis consilium ferebat 147. 9. quibus verbis à Romanis ornatus 148. 1. bellum indicturus Gabino cinctu vtebatur 222. 12 omnia habebat de publico 238 7 delecto perfecto, rite captatis auspicijs, diem ad conueniendum indicebat 244. 17 nunquam ante ferias Latinas indictas egrediebatur ex vrbe, ad bellū 248 6 celebratis omnibus sacris, antè quā proficisceretur, munus gladiatorium, venationesq; dabat 249 31 eius ex vrbe profectio 250 21. 251. 252. tot. exercitu & classe lustrata concionem aduocabat. 256. 21 eius tabernaculum Prætorij appellabatur 275. 16 vbi figebatur, & omnes aliæ circumstantiæ 75. 14. 276 tot. imperator nunc in pugna, nunc in acie, nūc in alterutro cornu erat 306 31 eius in pugna officiū 315. 28 quo munere donabatur 361. 12

Imperatoris nomen veteres dupliciter vsurpabant 419 13 ad imperatoris nomen consequendum, quanta cædes requirebatur 422 12 eius post pugnam in vrbē introitus 432. 1. in triumpho ornatus 467. 8 imperator in ouatione prætexta toga vtebatur 480 11 imperatorē in ouatione tibicines cingebant 481. 6 in imperatoris nominis inscriptione quid obseruandū 421 26

Imperium quid olim dictum sit 51. 5

Imperio demandato Senatus nouo S C prouinciam ornabat, stipendium in milites constituebat &c. 59 23

Indutiæ quid 400 13. pax sequestris 400 27. earum tempore quid factum 401. 12

Io Triumphe, Io, communis omnium lætantium vox, in Triumpho 469. 29

Sub iugum mitti, quid 398.

Iupiter vnde dictus Feretrius 412. 24. 506.

Iuramenti formula, quo se milites obligabant, ne furto aliquid è castris auferrent 283. 14

Iusiurandum quomodo concipiebatur 88. 5

Iusta Missio quibus dabatur 365 8 iustā missionē adepti, Veterani aut Emeriti appellabantur 365. 18

L

Lacerna, quid 217. 8
Læna, quid 217. 17
Laurea corona in spectaculis vtebantur Romani 476 27
Laurus in triumpho quare præferebatur 462. 28
Legatorum *dignitas* 158 11 *duo genera* 157. 4
Legati *post Imperatorem præcipuum locum in exercitu habuere* 156. 27. *aut à Senatu dabantur, aut ab Imperatore eligebantur*, 157 25. *ius quoque dicebant*, 159. 13
Legionis *autor Romulus* 93. 14. *non idem semper numerus fuit* 93 20. *variæ ethymologiæ* 96. 14
in Legione *præter ciuem Romanum nullus merebat*, 95. 15 *quatuor hominum genera* 96 31. *centuriæ* lx, *manipuli* xxx, *cohortes* x, 99. 14
Leues milites, qui fuerunt 106. 1
Leuis armaturæ arma 200. 4 *leuis armatura post principes collocabatur* 306. 20
Lex curiata vnde dicta 58. 15. *legem curiatam quis ferebat* 59. 7
Lex de consecratione spoliorum opimorum 502. 30
Libralia, quid 339 20
Lictores, *qui* 387 5. *graues animaduersiones exercebant* 387. 4 *à ligando dicti* 150. 32. *eorum munus* 152. 16
Litare, quid sit 25. 18
Literæ publicæ de victoria, ad confirmandum Imperatoris nomen 424. 12. *literæ laureatæ* 425. 12
Lituus, quid 226. 7
Lixarum *officium* 130. 3. *à Licha dicti* 130. 9
Lorica, *vnde dicta* 199 16. *machina bellica* 338. 31
Lupus, machina bellica 333. 20
Lustratio 254 13. *lustrandæ classis mos* 255. 17

M.

Magister equitum vniuerso equitatui præfectus 181. 4 *ad Magistratum vrbanum quibus patebat aditus* 5. 19 *magistra-*

gistratus soli auspicia habuere 145.
Malleoli, teli genus 340 22
Manipuli, qui dicebantur 97 32. *eorum munus* 284. & *sequent.*
Manubiæ, quæ dicuntur 488. 16
Militia triplex 61. 17. *à militia qui vacabant* 73. *tot. militiæ mutatio quid* 394. 29
Militum tria genera 93. 5
Milites *qui erant in supplemento, in cohortes subsidiarias distributi* 124. 30. *ex rusticis olim eligebantur* 82. 21. *ad sagum pœnulam addidere* 217. 1. *priuato sumptu primo, post Romam à Gallis captam de publico stipendium meruere* 230. 7. *in balteis stipendium gerebant* 239. 27 *militibus quas ob causas licuerit abesse à die ad conueniendum indicto* 246. 2
Milites *ad bellum proficiscendo, & arma, & alia impedimenta gestabant* 260. 1. *eorum diei spatio quantum iter* 264. 265. *tot. accepto belli signo, ad orientem solem Deos venerabantur* 315. 6. *hostem cursu & clamore aggrediebantur* 315. 13 *propter virtutem ad maiores ordines promoti* 359. 23. *militis, hoste si gulari certamine deuicto, præmia* 363. 10. *his & viuus, & mortuus ornabatur* 364. 23
Milites *in prælio fortes quomodo prodebantur* 364. 1. *in ouatione olea coronati incedebant* 481. 24. *mediam pecuniæ partem ex præda, aut donatiuo apud signa deponebant* 42. 16
Missio honesta, *quid* 365. 12. *quando concedebatur* 366. 24. *duplex* 365. 7. *missionem cognoscebant Tribuni* 369. 21
Missio ignominiosa, *quid* 396. 16. *duplex* 396. 18. *missionis ignominiosæ ritus* 396. 29
Missio semiplena, & auctoratio 370. 24
Mundus *olim, quid* 31. 6. *quando patuit* 31. 9. *patens, quale festum fuit* 31. 19
Muli Mariani, vnde dicti 262.

Multa quomodo dicebatur 68. 4
Munerum interdictio 396. 20
Murales coronæ *quales* 355. 32. *quibus dabantur* 355. 29
Murci qui 89. 5
Musculus, instrumentum bellicum quale 330. 21

N.

Naualis corona, *qualis* 356. 10. *quibus dabatur* 356. 14
Nouenſiles Dij qui dicebantur 324. 6
Nox in quatuor vigilias diſtribuebatur 289. 23

O.

Obſidionalis corona, *qualis* 351. 20. *quibus dabatur* 351. 18 *eius dignitas* 352. 16
Ocreas quare haſtati tantum in dextro pede habebant 194. 20
Onager. idem quod Scorpio 338. 28
Operibus vrbes quomodo oppugnabantur 322. 4. 326. 1
Opifices, Fabri. Tubicines, &c. qui non erant milites in cohortes diuiſi 128. 27
Opima ſpolia, vnde dicta 498 3
Oppidani hoſtium tela quomodo eludebant 332. 22
Oppugnabantur vrbes dupliciter 322. 3
Oppugnatores lupum, quomodo eludebant 333. 25
Orbis in acie quid 310. 6
Ordinibus deſcriptis, ſingulis ætatibus ſua arma dabantur 183. 10
Ordo incedendi ad bellum 258. 259 *tot.*
Ordo formæ caſtrorum quadratæ 285. 19
Ouatio *vnde dicta* 477. 28. *quare concedebatur* 478. 15
Ouantium *pompa* 479. 18. *victimæ oues* 479. 22. *ouantes quare coronam auream geſtabant* 480. 21

P.

Pœnula, quid 217. 7
Palaria, quid 11. 16
Paludamentum, *quid* 214. 5. *fuit proprium Imp.* 213. 24

Parastata, machina bellica 3 4. 19
Parma, quid 84. 24
Pater patratus, qui patre adhuc superstite liberos suscipiebat 42. 16
Pax perpetua fœdere dabatur 40?. 30
Pax absque autoritate Senatus, & iussu populi, non erat rata 406. 21
Pace rata, quid fiebat 407. 30
Pecuniæ, ex præda, aut donatiuo, mediam partem milites apud signa deponebant 349. 16
Peditum in cohortes diuisio 121. 26
Peregrina sacra, quæ 324. 15
Perennia, quæ 28. 7
Phalerarum *forma* 206. 27. *phaleræ ex argento, equitum munera erant* 350. 30. *quibus equitibus dabantur* 361 1
Phiala quibus dabatur 360. 26
Pila, quibus Hastati vtebantur 195, 196. *tot.*
Pila ab hoste emissa, Romani quomodo exipiebant 318. 12
Pl. ctendi milites ius, cuius 388. 6
Pluteus, quid 329. 23
Pœna leues variæ 389.
Populum de bello consulturi Coss. maioribus hostijs rem diuinam faciebant 47. 11
Populus in prouincia imperium mandabat 58. 3
Præconis officium 1?4. 10
Prædæ diuidendæ duplex ratio 345. 4. *præda in qxos diuidebatur* 346. 9. *prædæ in ærarium collatio* 488. 20
Præfecti castrorum munus 160. 12. *præfectus castrorum in singulis legionibus vnus fuit* 150. 5 *præfecti fabrûm & castrorum, sequuntur in ordine Legatos* 159 22 *præfecti duodecim præerant auxilijs* 182. 8
Præliares dies, qui 29. 6
Prælij signum, vexillum rubrum, vel purpureum super prætorio extensum. 293. 28

Præliandi apud Romanos modus, & ordo 317. 318. *tot.*
Præliari sub vitem, quid 329. 28
Præmia militaria 350. 4. 361. 26. *quando dabantur* 350. 19
Prætendere, quid dicitur 285. 5
Prætoris nomine ad portam salutandi mos 251. 20
Prætorium dimittere, quid 291. 13
Prætoria porta in castris 272. 20
Precatio solemnis, qua exta proiiciebantur in mare 256 2
Principum *armatura* 198. 3 *tabernacula* 279. 21
Principales portæ in castris, quare sic appellatæ 273 26
Principia, quid 278. 299. 28
Prodigia ante Imperatoris ex vrbe egressum, procurabantur 249. 14
Provincia Prætoriæ & Consulares, quæ 56. 11

Q.

Quadrato agmine vtebantur Romani locis suspectis 262. 15.
Quæstores quomodo eligebantur 154. 30. *quæstoris officium* 155. 21 *quæstor primus ab Imperatore* 154. 29. *quæstores etiam iurisdictionem exercebant* 156. 8. *quæstor scribis & lictoribus vsus est* 156. 15
Quinquatrus à Quinquando dictus 37. 15
Quintana, quid 80. 24

R.

Religiosi dies, quibus bellum gerere non licebat 29. 13
Res, quomodo & à quibus repetebantur 42. 27
Resignare idem quod proscribere 390. 8
Romani *alijs gentibus militia præstantiores* 1. *& sequ. vt militia, & exercitatione, ita etiam cæteris gentibus religione præstiterunt* 17. 20 *& sequ. Romano-*

vam magnanimitas 3. 11. *spacio quingentorum annorum, quingenties quinquagies prœliati sunt, quadringenties quadragies vicerunt* 2. 13. *varia arma à variis gentibus sumpserunt* 4. 12. *quales milites eligebant* 79 19. *quomodo docti remos agere* 10. 3. *item, inferre & deferre ictus* 11. 1

Romana pubes quando, & quibus exercitijs exercita 13. 9

Romanorum in castris apparatus 16. 8

Romani milites ijdem fuere tignarij, nauicularij. &c. 16. 31

Romani apertis hostibus bellum non indicebant 51. 3

Romanorum dierum religio, cum priores bellum inferrent 37. 18

Romanis arma ex publico armamentario subministrata 210 22

Romanorum Impp. Dictator, Cæs. re sua inclinante, aliquem ex ciuibus, vel seipsos deuouere solebant 320. 20

Romulus vnde Quirinus appellatus 359. 14

Rorarij qui dicebantur 107. 23

S.

Sacramenti olim quanta vis. & religio 85. 22. *& seq.*

Sacrificia Romanorum ante bella 19. 20. *& seq.*

Sacrum Cereris, mundus appellatum 32. 13

Sagmina quæ 412. 19

Sagum, *vestis militaris* 211. 22. *tam Imperator, quam alij milites gestabant* 212. 9

Sambuca, machina bellica qualis 340. 2

Sanguinis mittendi consuetudo in bello, vnde orta 393. 30

Saturnalia, *quales feriæ fuerunt* 30. 17. *quando, & quot diebus celebrabantur* 30. 19

Sceptrum Iouis in feriendis fœderibus, quare adhibebatur 410. 6

Scorpio, missile bellicum 336. 11. 337. 32

Scribarum munus in castris 154. 19

Scrobes, quæ 382. 19

Scu-

Scutum *Samnitium* 191. 1. *quo hastati vtebantur* 191. 20
192. 139. *tot ἀπὸ τῶ σκύτους dictum* 192. 30
Securis percussio 382. 6
Segestria 16. 10
Senatus *provincias constituendi potestatem habebat* 56. 18
quare dabatur in triumphis extra vrbem 435 1
Serra in acie quid 309. 4
Seruus publicus *erat Carnifex* 465. 8. *vnà cum triumphante in curru vehebatur* 463. 27. *eius, in curru triumphali, officium* 463. 30
Signa militaria 133. 28. 223. 2. *diebus festis ornabantur & inungebantur* 142. 18
apud Signa *Romani iurabant* 142. 28. *detinebantur captiui* 143. 4 *erat asylum* 43. 5
Signorum in acie ordo 301. *tot.*
Signum manipuli. fasciculus fœni 139. 1
Silentium in augurio, quid 24. 1
Sinistra principalis porta in castris 273. 23
Sociorum *in legione numerus* 119. 23. *equitum tabernacula* 279. 30. *peditum tabernacula* 280 1
Spolia *hostium, victores Dijs dicabant.* 242. 20. *victorum domibus affixa, nunquam reuellere licebat* 363. 24. *optima in Iouis Feretrij templo consecrabantur* 500. 28.
Sponsio *quorum autoritate fiebat* 401. 32. *quid à fœdere differat* 402. 3
Statiuæ feriæ quæ, & quando 33. 1
Stigmata, quæ 90. 5
Stipendium, *quid* 239. 7. *militum quantum* 231. 232 233. *tot. de publico persolutum* 230. 7 *de publico, vnde Quæstor curabat* 240. 6
Stipendio milites non tantum victum, sed vestes & omnia ad bellum necessaria comparabant 235. 17
ad Stipendium accipiendum milites nominatim citabantur 229. 20
Stipendia legitima, quæ 366. 2. 368. 18

in grauioribus causis consilium ferebat 147. 9. *quibus rebus à Romanis ornatus* 148. 1. *bellum indicturus Gabino cinctu vtebatur* 222. 12 *omnia habebat de publico* 238. 7 *delectu perfecto, rite captatis auspicijs, diem ad conueniendum indicebat* 244. 17 *nunquam ante ferias Latinas indictas egrediebatur ex vrbe, ad bellū* 248. 6. *celebratis omnibus sacris, antè quā proficisceretur, munus gladiatorium, venationesq; dabat* 249. 31 *eius ex vrbe profectio* 250. 21. 251. 252. *tot. exercitu & classe lustrata concionem aduocabat.* 256. 21 *eius tabernaculum Prætorīū appellabatur* 275. 16 *vbi figebatur, & omnes aliæ circumstantiæ* 275. 14. 276 *tot. imperator nunc in pugna, nunc in acie, nūc in alterutro cornu erat* 306 31 *eius in pugna officiū* 315. 28 *quo munere donabatur* 361. 12

Imperatoris *nomen veteres dupliciter vsurpabant* 419 13 *ad imperatoris nomen consequendum, quanta cædes requirebatur* 422. 12 *eius post pugnam in vrbē introitus* 432. 1: *in triumpho ornatus* 467. 8 *imperator in ouatione prætexta toga vtebatur* 480 11 *imperatorē in ouatione tibicines cingebant* 481. 6 *in imperatoris nominis inscriptione quid obseruādū* 421 26

Imperium quid olim dictum sit 53. 5

Imperio demandato Senatus nouo S. C prouinciam ornabat, stipendium in milites essignabat &c. 59 23

Indutiæ *quid* 400 13 *pax sequestris* 400 27. *earum tempore quid factum* 461. 12

Io Triumphe, Io, communis omnium lætantium vox, in Triumpho 469. 29

sub iugum mitti, quid 398.

Iupiter vnde dictus Feretrius 412. 24. 506.

Iuramenti formula. quo se milites obligabant, ne furto aliquid è castris auferrent 283. 14.

Iusiurandum quomodo concipiebatur 88. 5

Iusta Missio quibus dabatur 365. & *iustā missionē adepti, Vexerani aut Emeriti appellabantur* 365. 18

L

Lacerna, quid 217. 8
Læna, quid 217. 17
Laurea corona in spectaculis vtebantur Romani 476 27
Laurus in triumpho quare præferebatur 462. 28
Legatorum *dignitas* 158. 11 *duo genera* 157. 4
Legati *post Imperatorem præcipuum locum in exercitu habuere* 156. 27. *aut à Senatu dabantur, aut ab Imperatore eligebantur*, 157 25. *ius quoque dicebant*, 159. 13
Legionis *autor Romulus* 93. 14. *non idem semper numerus fuit* 93 20. *variæ ethymologiæ* 96. 14
in Legione *præter civem Romanum nullus merebat*, 95. 15 *quatuor hominum genera* 96 31. *centuriæ* l x, *manipuli* x x x, *cohortes* x, 99. 14
Leues milites, qui fuerunt 106. 1
Leuis armaturæ arma 200. 4 *leuis armatura post principes collocabatur* 306. 20
Lex curiata vnde dicta 58. 15. *legem curiatam quis ferebat* 59. 7
Lex de consecratione spoliorum opimorum 502. 30
Libralia, quid 339 20
Lictores, *qui* 387 5. *graues animaduersiones exercebant* 387. 4 *à ligando dicti* 150. 32. *eorum munus* 152. 16
Litare, quid sit 25. 18
Literæ publicæ de victoria, ad confirmandum Imperatoris nomen 424. 12. *literæ laureatæ* 425. 12
Litaus, quid 226. 7
Lixarum *officium* 130. 3. *à Licha dicti* 130. 9
Lorica, *vnde dicta* 199 16. *machina bellica* 333. 31
Lupus, machina bellica 333. 20
Lustratio 254 13. *lustrandæ classis mos* 255. 17

M.

Magister equitum vniuerso equitatui præfectus 181. 4 *ad Magistratum vrbanum quid ius patebat aditus* 5. 19 *magi-*

gistratus soli auspicia habuere 145. 12
Malleoli, teli genus 340 22
Manipuli, qui dicebantur 97 32. *eorum munus* 284. & *sequent.*
Manubiæ, quæ dicuntur 488. 16
Militia triplex 61. 17. *à militia qui vacabant* 73. *tot. militiæ mutatio quid* 394. 29
Militum tria genera 93. 5
Milites *qui erant in supplemento, in cohortes subsidiarias distributi* 124 30. *ex rusticis olim eligebantur* 82. 21. *ad sagum, pænulam addidere* 217. 1. *priuato sumptu primo, post Romam à Gallis captam de publico stipendium meruere* 230. 7. *in balteis stipendium gerebant* 239. 27 *militibus quas ob causas licuerit abesse à die ad conueniendum indicto* 246. 2
Milites *ad bellum proficiscendo, & arma, & alia impedimenta gestabant* 260. 1. *eorum diei spatio quantum iter* 264. 265. *tot. accepto belli signo, ad orientem solem Deos venerabantur* 315 6. *hostem cursu & clamore aggrediebantur* 315. 13 *propter virtutem ad maiores ordines promoti* 359. 23. *militis, hoste si gulari certamine deuicto, præmia* 363. 10. *his & vinus, & mortuus ornabatur* 364. 23
Milites *in prælio fortes quomodo prodebantur* 364. 1. *in ouatione olea coronati incedebant* 481. 24 *mediam pecuniæ partem ex præda, aut donatiuo apud signa deponebant* 42. 16
Missio honesta, *quid* 365. 12. *quando concedebatur* 366. 24. *duplex* 365. 7. *missionem cognoscebant Tribuni* 369. 21
Missio ignominiosa, *quid* 396. 16. *duplex* 396. 18. *missionis ignominiosæ ritus* 396. 29
Missio semiplena, exauctoratio 370. 24
Mundus *olim, quid* 31. 6. *quando patuit* 31 9. *patens, quale festum fuit* 31. 19
Muli Mariani, vnde dicti 261.

Multa quomodo dicebatur 68. 4
Munerum interdictio 396. 20
Muralès coronæ *quales* 355.32. *quibus dabantur* 355. 29
Murci qui 89. 5
Musculus, instrumentum bellicum quale 330. 21

N.

Naualis corona, *qualis* 356. 10. *quibus dabatur* 356. 14
Nouensiles Dij qui dicebantur 324. 6
Nox in quatuor vigilias distribuebatur 289. 23

O.

Obsidionalis corona, *qualis* 351.20. *quibus dabatur* 351. 18. *eius dignitas* 352. 16
Ocreas quare hastati tantum in dextro pede habebant 194. 20
Onager. idem quod Scorpio 338. 28
Operibus vrbes quomodo oppugnabantur 322.4. 326. 1
Opifices, Fabri, Tubicines, &c. qui non erant milites in cohortes diuisi 128. 27
Opima spolia, vnde dicta 498 3
Oppidani hostium tela quomodo eludebant 332. 22
Oppugnabantur vrbes dupliciter 322. 3
Oppugnatores lupum, quomodo eludebant 333. 25
Orbis in acie quid 310. 6
Ordinibus descriptis, singulis ætatibus sua arma dabantur 183. 10
Ordo incedendi ad bellum 258.259 *tot.*
Ordo formæ castrorum quadratæ 285. 19
Ouatio *vnde dicta* 477.28. *quare concedebatur* 478. 15
Quantium *pompa* 479.18. *victimæ oues* 479.22. *ouantes quare coronam auream gestabant* 480. 21

P.

Pænula, quid 217. 7
Palaria, quid 11. 16
Paludamentum, *quid* 214.5. *fuit proprium Imp.* 213. 24

Paraſtata, machina bellica 3 4. 17
Parma, quid 84. 24
Pater patratus, qui patre adhuc ſuperſtite liberos ſuſcipiebat 42. 16
Pax perpetua fœdere dabatur 40⁷. 30
Pax abſque auctoritate Senatus, & iuſſu populi, non erat rata 406. 21
Pace rata, quid fiebat 407. 30
Pecuniæ, ex præda, aut donatiuo, mediam partem milites apud ſigna deponebant 349. 16
Peditum in cohortes diuiſio 121. 26
Peregrina ſacra, quæ 324. 15
Perennia, quæ 28. 7
Phalerarum *forma* 206. 27. *phaleræ ex argento, equitum munera erant* 350. 30. *quibus equitibus dabantur* 361 1
Phiala quibus dabatur 360. 26
Pila, quibus Haſtati vtebantur 195, 196 *tot.*
Pila ab hoſte emiſſa, Romani quomodo exipiebant 318. 12
Plectendi milites in, cuius 388. 6
Pluteus, quid 329. 23
Pœna leues variæ 389.
Populum de bello conſulturi Coſs. maioribus hoſtijs rem diuinam faciebant 47. 11
Populus in prouincia imperium mandabat 58. 3
Præconis officium 104. 10
Prædæ diuidendæ duplex ratio 345. 4. *præda in quos diuidebatur* 346. 9. *prædæ in ærarium collatio* 488. 20
Præfecti caſtrorum munus 160. 12. *præfectus caſtrorum in ſingulis legionibus vnus fuit* 150. 5 *præfecti fabrûm & caſtrorum, ſequuntur in ordine Legatos* 159 22 *præfecti duodecim præerant auxilijs* 182. 8
Præliares dies, qui 29. 6
Prælij ſignum, vexillum rubrum, vel purpureum ſuper prætorio extenſum 293. 28

Præ-

Præliandi apud Romanos modus, & ordo 317. 318. *tot.*
Præliari sub vitem, quid 329. 28
Præmia militaria 350. 4. 361. 26. *quando dabantur* 350. 19
Prætendere, quid dicitur 285. 5
Prætoris nomine ad portam salutandi mos 251. 20
Prætorium dimittere, quid 291. 13
Prætoria porta in castris 272. 20
Precatio solemnis, qua exta proiiciebantur in mare 256 2
Principum *armatura* 193. *tabernacula* 279. 21
Principales portæ in castris, quare sic appellatæ 273 26
Principia, quid 278. 299. 28
Prodigia ante Imperatoris ex urbe egressum, procurabantur 249. 14
Provincia Prætoriæ & Consulares, quæ 56. 21

Q.

Quadrato agmine vtebantur Romani locis suspectis 262. 15.
Quæstores quomodo eligebantur 154. 30. *quæstoris officium* 155. 21 *quæstor primus ab Imperatore* 154. 29. *quæstores etiam iurisdictionem exercebant* 156. 8. *quæstor scribis & librariis vsus est* 156. 15
Quinquatrus à Quinquando dictus 37. 15
Quintana, quid 80. 24

R.

Religiosi dies, quibus bellum gerere non licebat 29. 13
Res, quomodo & à quibus repetebantur 42. 27
Resignare idem quod proscribere 390. 8
Romani *alijs gentibus militia præstantiores* 1. & *sequ. vt militia, & exercitatione, ita etiam cæteris gentibus religione præstiterunt* 17 20 & *sequ. Romano-*

vam magnanimitas 3. 11. *spacio quingentorum annorum, quingenties quinquagies prælati sunt, quadringenties quadragies vicerunt* 2. 13. *varia arma à varijs gentibus sumpserunt* 4. 12. *quales milites eligebant* 79 19. *quomodo docti remos agere* 10. 3. *item, inferre & deferre ictus* 11. 1

Romana pubes quando, & quibus exercitijs exercita 13. 9

Romanorum in castris apparatus 16. 8

Romani milites ijdem fuere tignarij, nauicularij. &c. 16. 31

Romani apertis hostibus bellum non indicebant 51. 3

Romanorum dierum religio, cum priores bellum inferrent 37. 18

Romanis arma ex publico armamentario subministrata 210 22

Romanorum Impp. Dictator, Coss. re sua inclinante, aliquem ex ciuibus, vel seipsos deuouere solebant 320. 20

Romulus vnde Quirinus appellatus 359. 14

Rorarij qui dicebantur 107. 23

S.

Sacramenti olim quanta vis. & religio 85. 22. *& seq.*

Sacrificia Romanorum ante bella 19. 20. *& seq.*

Sacrum Cereris, mundus appellatum 32. 13

Sagmina quæ 412. 19

Sagum, vestis militaris 211. 22. *tam Imperator, quam alij milites gestabant* 212. 9

Sambuca, machina bellica qualis 340. 2

Sanguinis mittendi consuetudo in bello, vnde orta 393. 30

Saturnalia, quales feriæ fuerunt 30. 17. *quando, & quot diebus celebrabantur* 30. 19

Sceptrum Iouis in feriendis fœderibus, quare adhibebatur 410. 6

Scorpio, missile bellicum 336. 11. 337. 32

Scribarum munus in castris 154. 19

Serobes, quæ 382. 13

Scu-

Scutum *Samnitium* 191. 1. *quo hastati vtebantur* 191. 20
192 139. *tot ἀπὸ τῶ σκύτους dictum* 192. 30
Securis percussio 382. 6
Segestria 16. 10
Senatus *prouincias constituendi potestatem habebat* 56. 18
quare dabatur in triumphis extra vrbem 435 1
Serra in acie quid 309. 4
Seruus publicus *erat Carnifex* 465. 8. *vnà cum triumphante in curru vehebatur* 463. 27. *eius, in curru triumphali, officium* 463. 30
Signa militaria 133. 28. 223. 2. *diebus festis ornabantur & inungebantur* 142. 18
apud Signa *Romani iurabant* 142. 28. *detinebantur captiui* 143. 4 *erat asylum* 143. 5
Signorum in acie ordo 301. *tot.*
Signum manipuli fasciculus foeni 139. 1
Silentium in augurio, quid 24. 1
Sinistra principalis porta in castris 273. 23
Sociorum *in legione numerus* 119. 23. *equitum tabernacula* 279. 30. *peditum tabernacula* 280 1
Spolia *hostium, victores Dijs dicabant.* 242. 20. *victorum domibus affixa, nunquam reuellere licebat* 363. 24. *opima in Iouis Feretrij templo consecrabantur* 500. 28.
Sponsio *quorum autoritate fiebat* 401. 32. *quid à foedere differat* 402. 3
Statiuæ feriæ quæ, & quando 33. 1
Stigmata, quæ 90. 5
Stipendium, *quid* 239. 7. *militum quantum* 231. 232 233. 191. *de publico persolutum* 230. 7 *de publico, vnde Quæstor curabat* 240. 6
Stipendio milites non tantum victum, sed vestes & omnia ad bellum necessaria comparabant 235. 17
ad Stipendium accipiendum milites nominatim citabantur 239. 20
Stipendia legitima, quæ 366. 2. 368. 18

equestris ordinis 116. 24 *in prælio duobus equis vsi sunt* 118 22. *triplex stipendium meruerũt.* 234. 14. *vigilias obibant* 288. 6 *nunc ante aciem, nunc in acie, nunc peditum corona cinxere* 305. 29

Equus publicus militaris dictus est 115. 10. *equorum ornatus* 206. 17

Euocati & extraordinarij quales 75. 18, 126. 14

Euocatio quid 61. 19

Exauctorati milites immunes à labore 370. 28

Exauctoratio pœna militaris 379. 7

Exercitatio veteribus in primis curæ 9. 12. *& seq.*

Exercitus *ab exercendo dictus.* 9, 5. *tribus militum generibus constitit.* 93. 5

ante Expugnationem vrbis Dij euocabantur 321. 20

F.

Falx quid 327. 15

Fasces Imperatoribus prælati 151. 4

Ferentarij qui 108. 11

Feri, Feri, vox militũ sese adhortantiũ in prælio 319. 15

Feriendi porci ratio 414. 1

Feriæ Latinæ, quæ 29. 27 *earum autores* 29. 29. *ferijs Latinis quare non indicebatur bellum* 30. 12

Fetialium munus 39. 9 *fetialis collegij institutores* 40. 10. fetiales *quot, & ex quo hominum genere eligebantur* 40. 20 *quatuor, res repetebant* 42. 11

Filius venit, Symbolum Iudæorum ad declinandum ventura saxa 337. 8

Fœdera *vnde dicta* 413. 15 *quorũ autoritate fiebãt* 403. 14. *tria genera* 403. 19 *fœderis genus minus æquum quale* 405. 4 fœdus *æquissimum, quod dicitur* 404. 6. *iniquissimum, quale* 415, 31 *per duos fetiales feriebatur* 409. 18. *quomodo feriebatur.* 410. 23. 23

Forfex in acie quid 308. 27

Fraudatio stipendij, *quid fuit,* 389. 24 *ea qui afficiebantur.* 399. 16

Frons in acie quid 308. 10

Funda quid 200. 12
Fustigatio quando adhibebatur 380. 26, 381. 2 *fustigationis exequendæ ratio* 380. 29

G.

Gabinus cinctus, qualis 222. 12
Galbei quid 358. 17
Galea velitaris, qualis. 189. 23
Galdius Hispaniensis, qualis 188. 2 *gladio Hispaniensi quomodo veteres præcingebantur* 188. 23
Globus in acie quid 310. 1
Gradus deiectio, qualis pœna 394. 17
Gratiosa missio. quare dabatur 365. 10 *gratiosam missionem consecuti, Beneficarij appellabantur* 365. 27

H.

Habitus eorum, qui gladio feriendi erant 383. 1
Haruspicum in extis consulendis religio 27. 10
Hasta, *qua bellum indicebatur, vnde dicta sanguinea* 50. 5 *pura quibus dabatur* 358. 31 *pura, Donatica appellabatur* 359. 6
Hastæ velitum, missiles 185. 29. *hastæ velitares, quales* 186. 20
Hastaria censio, quæ 391. 1
Hastati *quare dicti Antesignani* 301. 17 *eorum armatura* 190. 17 *tabernacula* 279. 24
Helepolis quid 327. 20
Herbam dare prouerbium, vnde 351. 31
Herculis signum præferebatur in triumpho 466. 30
Hordeum aliquando pro tritico, ignominiæ causa, datum 391. 29

I.

Iani *templum apertum, index belli* 51. 29 *& seq. bifrontis templum describitur* 53. 10 *templum, bello indicto quare aperiebatur* 53. 26
Imperatoris. *potestas in re militari* 144. 18 *& sequēt. ingra-*

in grauioribus causis consilium ferebat 147. 9 *quibus rebus à Romanis ornatus* 148. 1. *bellum indicturus Gabino cinctu vtebatur* 222. 12 *omnia habebat de publico* 238 7 *delectu perfecto, rite captatis auspicijs, diem ad conueniendum indicebat* 244. 17 *nunquam ante ferias Latinas indictas egrediebatur ex vrbe, ad bellū* 248. 6 *celebratis omnibus sacris, antè quā proficisceretur, munus gladiatorium, venationesq; dabat* 249 31 *eius ex vrbe profectio* 250 21. 251. 252. *tot. exercitu & classe lustrata concionem aduocabat.* 256. 21 *eius tabernaculum Prætorīū appellabatur* 275. 16 *vbi figebatur, & omnes aliæ circumstantiæ* 75. 14. 276 *tot. imperator nunc in pugna, nunc in acie, nūc in alterutro cornu erat* 306 31 *eius in pugna officiū* 315. 28 *quo munere donabatur* 361. 12

Imperatoris *nomen veteres dupliciter vsurpabant* 419 13 *ad imperatoris nomen consequendum, quanta cædes requirebatur* 422. 12 *eius post pugnam in vrbē introitus* 432. 1. *in triumpho ornatus* 467. 8 *imperator in ouatione prætexta toga vtebatur* 480 11 *imperatorē in ouatione tibicines cingebant* 481. 6 *in imperatoris nominis inscriptione quid obseruādū* 421 26

Imperium quid olim dictum sit 51. 5

Imperio demandato Senatus nouo S C prouinciam ornabat, stipendium in milites assignabat &c. 59 23

Indutiæ *quid* 400 13. *pax sequaestris* 400 27. *earum tempore quid factum* 401. 12

Io Triumphe, Io, communis omnium lætantium vox, in Triumpho 469. 29

sub iugum mitti, quid 398.

Iupiter vnde dictus Feretrius 412. 24. 506.

Iuramenti formula, quo se milites obligabant, ne furto aliquid è castris auferrent 283. 14

Iusiurandum quomodo concipiebatur 88. 5

Iusta Missio quibus dabatur 365 *Si iustā missionē adepti, Veterani aut Emeriti appellabantur* 365. 18

L

Lacerna, quid 217. 8
Læna, quid 217. 17
Laurea corona in spectaculis vtebantur Romani 476 27
Laurus in triumpho quare præferebatur 462. 28
Legatorum *dignitas* 158 11 *duo genera* 157. 4
Legati *post Imperatorem præcipuum locum in exercitu habuere* 156. 27. *aut à Senatu dabantur, aut ab Imperatore eligebantur,* 157 25. *ius quoque dicebant,* 159. 13
Legionis *autor Romulus* 93. 14. *non idem semper numerus fuit* 93 20. *variæ ethymologiæ* 96. 14
in Legione *præter ciuem Romanum nullus merebat,* 95. 15 *quatuor hominum genera* 96 31. *centuriæ* lx, *manipuli* x x x, *cohortes* x, 99. 14
Leues milites, qui fuerunt 106. 1
Leuis armaturæ arma 200. 4 *leuis armatura post principes collocabatur* 306. 20
Lex curiata vnde dicta 58. 15. *legem curiatam quis ferebat* 59. 7
Lex de consecratione spoliorum opimorum 502. 30
Libralia, quid 239 20
Lictores, *qui* 387 5. *graues animaduersiones exercebant* 387. 4 *à ligando dicti* 150. 32. *eorum munus* 152. 16
Litare, quid sit 25. 18
Literæ publicæ de victoria, ad confirmandum Imperatoris nomen 424. 12. *literæ laureatæ* 425. 12
Lituus, quid 226. 7
Lixarum *officium* 130. 3. *à Licha dicti* 120. 9
Lorica. *vnde dicta* 199 16. *machina bellica* 333. 31
Lupus, machina bellica 333. 20
Lustratio 254 13. *lustrandæ classis mos* 255. 17

M.

Magister equitum vniuerso equitatui præfectus 181. 4
ad Magistratum vrbanum quibus patebat aditus 5. 19 ma-

giſtratus ſoli auſpicia habuere 145. 2
Malleoli, teli genus 340 29
Manipuli, qui dicebantur 97 32. *eorum munus* 284. & *ſequent.*
Manubiæ, quæ dicuntur 489. 16
Militia triplex 61. 17. *à militia qui vacabant* 73. *tot. militiæ mutatio quid* 394. 29
Militum tria genera 93. 5
Milites *qui erant in ſupplemento, in cohortes ſubſidiarias diſtributi* 124 30. *ex ruſticis olim eligebantur* 82. 21. *ad ſagum pœnulam addidere* 217. 1. *priuato ſumptu primo, poſt Romam à Gallis captam de publico ſtipendium meruere* 230. 7. *in balteis ſtipendium gerebant* 239. 27 *militibus quas ob cauſas licuerit abeſſe à die ad conueniendum indicto* 246. 2
Milites *ad bellum proficiſcendo, & arma, & alia impedimenta geſtabant* 260. 1. *eorum diei ſpatio quantum iter* 264. 265. *tot. accepto belli ſigno, ad orientem ſolem Deos venerabantur* 315 6. *hoſtem curſu & clamore aggrediebantur* 315. 13 *propter virtutem ad maiores ordines promoti* 359. 23. *militis, hoſte ſi gulari certamine deuicto, præmia* 363. 10. *his & vinus, & mortuus ornabatur* 364. 23
Milites *in prælio fortes quomodo prodebantur* 364. 1. *in ouatione olea coronati incedebant* 481. 24 *mediam pecuniæ partem ex præda, aut donatiuo apud ſigna deponebant* 42. 16
Miſsio honeſta, *quid* 365. 12. *quando concedebatur* 366. 24. *duplex* 365. 7. *miſſionem cognoſcebant Tribuni* 369. 21
Miſsio ignominioſa, *quid* 396. 16. *duplex* 396. 18. *miſſionis ignominioſæ ritus* 396. 29
Miſsio ſemiplena, exauctoratio 370. 24
Mundus *olim, quid* 31. 6. *quando patuit* 31 9. *patens, quale feſtum fuit* 31. 19
Muli Mariani, vnde dicti 262.

Multa quomodo dicebatur 68. 4
Munerum interdictio 396. 20
Muralès coronæ *quales* 355.32. *quibus dabantur* 355. 29
Murci qui 89. 5
Musculus, instrumentum bellicum quale 330. 21

N.

Naualis corona, *qualis* 356. 10. *quibus dabatur* 356. 14
Nouenſiles Dij qui dicebantur 324. 6
Nox in quatuor vigilias diſtribuebatur 289. 23

O.

Obſidionalis corona, *qualis* 351.20. *quibus dabatur* 351. 18. *eius dignitas* 352. 16
Ocreas quare haſtati tantum in dextro pede habebant 194. 20
Onager. idem quod Scorpio 338. 28
Operibus vrbes quomodo oppugnabantur 322.4. 326. 1
Opifices, Fabri, Tubicines, &c. qui non erant milites in cohortes diuiſi 128. 27
Opima ſpolia, vnde dicta 498 3
Oppidani hoſtium tela quomodo eludebant 332. 22
Oppugnabantur vrbes dupliciter 322. 3
Oppugnatores lupum, quomodo eludebant 333. 25
Orbis in acie quid 310. 6
Ordinibus deſcriptis, ſingulis ætatibus ſua arma dabantur 183. 10
Ordo incedendi ad bellum 258.259 *tot.*
Ordo formæ caſtrorum quadratæ 285. 19
Ouatio *vnde dicta* 477.28. *quare concedebatur* 478. 15
Quantium *pompa* 479.18. *victimæ oues* 479.22. *quantes quare coronam auream geſtabant* 480. 21

P.

Pænula, quid 217. 7
Palaria, quid 11. 16
Paludamentum, *quid* 214.5. *fuit proprium Imp.* 213. 24

Paraſtata, machina bellica 3 4. 19
Parma, quid 84. 24
Pater patratus, qui patre adhuc ſuperſtite liberos ſuſcipiebat 42. 16
Pax perpetua fœdere dabatur 401. 30
Pax abſque autoritate Senatus, & iuſſu populi, non erat rata 406. 21
Pace rata, quid fiebat 407. 30
Pecuniæ, ex præda, aut donatiuo, mediam partem milites apud ſigna deponebant 349. 16
Pectitum in cohortes diuiſio 121. 26
Peregrina ſacra, quæ 324. 15
Perennia, quæ 28. 7
Phalerarum *forma* 206. 27. *phaleræ ex argento, equitum munera erant* 360. 30. *quibus equitibus dabantur* 361 1
Phiala quibus dabatur 360. 26
Pila, quibus Haſtati vtebantur 195, 196. *tot.*
Pila ab hoſte emiſſa, Romani quomodo exipiebant 318. 12
Plectendi milites in, cuius 388. 6
Pluteus, quid 329. 23
Pœna leues variæ 389.
Populum de bello conſulturi Coſs. maioribus hoſtijs rem diuinam faciebant 47. 11
Populus in prouincia imperium mandabat 58. 3
Præconis officium 104. 10
Prædæ diuidendæ duplex ratio 345. 4. *præda in quos diuidebatur* 346. 9. *prædæ in ærarium collatio* 488. 20
Præfecti caſtrorum munus 160. 12. *præfectus caſtrorum in ſingulis legionibus vnus fuit* 150. 5 *præfecti fabrûm & caſtrorum, ſequuntur in ordine Legatos* 159 22 *præfecti duodecim præerant auxilijs* 182. 8
Præliares dies, qui 29. 6
Prælij ſignum, vexillum rubrum, vel purpureum ſuper prætorio extenſum 293. 23

Præliandi apud Romanos modus, & ordo 317. 318. *tot.*
Præliari sub vitem, quid 329. 28
Præmia militaria 340. 4. 361. 26. *quando dabantur* 350. 19
Prætendere, quid dicitur 285. 5
Prætoris nomine ad portam salutandi mos 251. 20
Prætorium dimittere, quid 291. 13
Prætoria porta in castris 272. 20
Precatio solemnis, qua exta proiiciebantur in mare 256 2
Principum *armatura* 198. 3 *tabernacula* 279. 21
Principales portæ in castris, quare sic appellatæ 273 26
Principia, quid 278. 299. 28
Prodigia ante Imperatoris ex vrbe egressum, procurabantur 249. 14
Provincia Prætoriæ & Consulares, quæ 56. 11

Q.

Quadrato agmine vtebantur Romani locis suspectis 262. 15.
Quæstores quomodo eligebantur 154. 30. *quæstoris officium* 155. 21 *quæstor primus ab Imperatore* 154. 29. *quæstores etiam iurisdictionem exercebant* 156. 8. *quæstor scribis & lictoribus vsus est* 156. 15
Quinquatrus à Quinquando dictus 37. 15
Quintana, quid 80. 24

R.

Religiosi dies, quibus bellum gerere non licebat 29. 13
Res, quomodo & à quibus repetebantur 42. 27
Resignare idem quod proscribere 290. 8
Romani *alijs gentibus militia præstantiores* 1. & *seqq. vt militia, & exercitatione, ita etiam cæteris gentibus religione præstiterunt* 17. 20 & *seqq. Romanorum*

vum magnanimitas 3. 11. *spacio quingentorum annorum. quingenties quinquagies prælati sunt, quadringenties quadragies vicerunt* 2. 13. *varia arma à varijs gentibus sumpserunt* 4. 12. *quales milites eligebant* 79 19. *quomodo docti remos agere* 10. 3. *item, inferre & deferre ictus* 11. 1

Romana pubes quando, & quibus exercitijs exercita 13. 9

Romanorum in castris apparatus 16. 8

Romani milites ijdem fuere tignarij, nauicularij. &c. 16. 31

Romani apertis hostibus bellum non indicebant 51. 3

Romanorum dierum religio, cum priores bellum inferrent 37. 18

Romanis arma ex publico armamentario subministrata 210 22

Romanorum Impp. Dictator, Coss. re sua inclinante, aliquem ex ciuibus, vel seipsos deuouere solebant 320. 20

Romulus vnde Quirinus appellatus 359. 14

Rorarij qui dicebantur 107. 23

S.

Sacramenti olim quanta vis. & religio 85. 22. *& seq.*

Sacrificia Romanorum ante bella 19. 20. *& seq.*

Sacrum Cereris, mundus appellatum 32. 13

Sagmina quæ 412. 19

Sagum, vestis militaris 211. 22. *tam Imperator, quam alij milites gestabant* 212. 9

Sambuca, machina bellica qualis 340. 2

Sanguinis mittendi consuetudo in bello, vnde orta 393. 30

Saturnalia, quales feriæ fuerunt 30. 17. *quando, & quot diebus celebrabantur* 30. 19

Sceptrum Iouis in feriendis fœderibus, quare adhibebatur 410. 6

Scorpio, missile bellicum 336. 11. 337. 32

Scribarum munus in castris 154. 19

Scrobes, quæ 382. 19

Scu-

Scutum *Samnitium* 191. 1. *quo hastati vtebantur* 191. 20
192 139. *tot ἀπὸ τῶ σκύτους dictum* 192. 30
Securis percussio 382. 6
Segestria 16. 10
Senatus *prouincias constituendi potestatem habebat* 56. 18
quare dabatur in triumphis extra vrbem 438 1
Serra in acie quid 309. 4
Seruus publicus *erat Carnifex* 465. 8. *vnà cum triumphante in curru vehebatur* 463. 27. *eius, in curru triumphali, officium* 463. 30
Signa militaria 133. 28. 223. 2. *diebus festis ornabantur & inungebantur* 142. 18
apud Signa *Romani iurabant* 142. 28. *detinebantur captiui* 143. 4 *erat asylum* 143. 5
Signorum in acie ordo 301. 101.
Signum manipuli fasciculus feni 139. 8
Silentium in augurio, quid 24. 1
Sinistra principalis porta in castris 273. 23
Socionum *in legione numerus* 119. 23. *equitum tabernacula* 279. 30. *peditum tabernacula* 280 1
Spolia *hostium, victores Dijs dicabant.* 242. 20. *victorum domibus affixa, nunquam reuellere licebat* 363. 24. *opima in Iouis Feretrij templo consecrabantur* 500. 28.
Sponsio *quorum autoritate fiebat* 401. 32. *quid à fœdere differat* 402. 3
Statiuæ feriæ quæ, & quando 38. 1
Stigmata, quæ 90. 5
Stipendium, *quid* 239. 7. *militum quantum* 231. 232 233. 101. *de publico persolutum* 230. 7 *de publico, vnde Quæstor curabat* 240. 6
Stipendio milites non tantum victum, sed vestes & omnia ad bellum necessaria comparabant 235. 17
ad Stipendium accipiendum milites nominatim citabantur 229. 20
Stipendia legitima, quæ 366. 2. 368. 11

Subsidia, *quæ* 302. 8. *aciei secunda pars* 302. *tot. in manipulos & cohortes diuisa* 303. 26
Sumptus ad triumphum necessarios Senatus ex ærario decernebat 443. 18
Supplicatio, *quæ* 423. 13. *quot dierum erat* 429. 24. *ante bellum à Romanis indicebatur* 19. 7. *quare imperatori victori decernebatur* 427. 17. *quare Triumphi prærogatiua dicebatur* 427. 31. *in supplicatione decernenda singulorum sententiæ rogabantur* 431. 27
Supplicarunt Romani coronati, in veste candida 429. 4
Supplicationum diebus feriandum 429. 14

T.

T in obseruando ciuium numero superstitem, & defuncti, & puerum designabat 91. 1
Tabernacula militum, *figebantur pedibus ducentis à vallo* 274. 26. *fiebant è pellibus* 275. 1
Talenti æstimatio 237. 13
Templum Iouis Feretrij vbi, & à quo extructum 505. 11
Tentorij mutandi ratio 391. 9
Testamenta in procinctu facere, quid 313. 27
Testudo *machina bellica* 311. 2. *arietaria quæ* 328. 1
Tintinnabulum & flagellum, currui Triumphali, quare appensa 495.
Tirones, q 171. 8
Toga *picta* 457. 30. *palmata* 458. 25. 460. 6. *picta vel palmata, Trabea dicta* 459. 1
Tolleno, quid 333. 7
Torques, quales fuerunt 357. 12
Torquati milites, qui 357. 23
Trabea, *quid* 459. *tot. imperatores interdum ad bellum proficiscebantur* 215 12
Transcripti, qui 123. 15
Transfuga supplex, ramum oliuæ lana obuolutum in manu ferebat 417. 6
Triarij, qui pilis pugnabant, Pilani dicti 198. 22. eorum

armatura 198 7. *tabernacula* 279. 13. *ad Triarios res redijt, quale prouerbium* 317. 29
Tribunal *suggestus erat ex cespite constructus* 148. 21. *proprium Imperatoris* 148 13
Tribunus totius legionis magistratus 162. 1. *tribunicij honoris insigne pugio erat* 171 28. *stipendium tribuni quantum* 237 6
Tribunorum *numerus & lectio* 162. 27 166. 16. *duo genera* 165. 17. *eorum in castris munera* 169. 10. *tabernacula* 277. 19 278. *tot.*
Tribuni militum, *vnde dicti* 162. 22. *ad sagum, latum, vel angustum clauum addidere* 216. 2. *post castrametationem, ab omnibus iusiurandum exigebant, se nihil ex castris furto ablaturos* 283 8. *prædam diuidebant* 344. 13. *missionem cognoscebant* 369. 21
Tributum ex censu, quando indictum 241. 20
Tripudio quomodo captabatur augurium 23. 3
Tripudium solistimum, *vnde dictum* 23. 25. *in quanta autoritate apud Romanos* 24. 25
Triumphus *Romæ honorū maximus* 435. 15. *à θριάμβω dictus* 435. 22. *duplex* 436. 22. *pro aucto, non pro recuperato Imperio dabatur* 437. 31
Triumphum ducturi, sua in prouincia, & suis auspicijs rem gerebant 437. 5
Triumphus *impediebatur, si Tribunus plebis imperatori diem diceret* 440. 29. *re præclarè ciuili bello gesta etiam non decernebatur* 441. 10
Triumphabat nemo, nisi quinque millia hostium vno prælio occidisset 493. 1
Triumphi pompa 445. 17. 446. 447. 448. 449. 450. 463. 469 470 471 472. *tot.*
Triumphus *naualis vnde dictus* 470. 20. *eius pompæ* 475 6. *in monte Albano, cæteris fuit inhoratior* 482. 28
Triumphantis habitus 446. 12
Triumphans *coronam ex laurea gestabat* 462. 12. *annalem*

lum ferreum quare gestabat 464. 19
Triumphantes quadrigis in vrbem inuehebantur 456. 16
Triumphatium *crematorum corporum ossa, & cineres in vrbem referebantur* 476. 1. *statuæ ijs triumphali habitu ponebantur* 476. 11
Trophæa *quando ponebantur* 494. 24. *vnde fiebant* 495 10. *vetustate collapsa restituere nefas erat* 497. 8
Tuba signum militare 224. 13
Tumultus, *quid* 62. 5 *Coniuratio dicta* 64. 30
Tumultus tempore Romæ se omnes ad bellum præparabant 62. 25
Turres in acie quid 311. 1
Turris, machina bellica 331. 8

V.

Vacatio militaris triplex 72. 16
Vallares coronæ quibus dabantur 455. 29
Vallescere, vnde deductum 389. 8
Vallus quid 261. 18
Vallum Romani, quomodo faciebant 270. 18
Velati, qui 107. 18
Velitum arma 184. 7
Velites, augere proceriores dicti 284. 22
Verbena, quæ 4. 2
Verberatio inplectitur 310 17
Vestes mutare milites primo suis sumptibus, postea de publico accipiebant 112. 2
Veteranorum *ante dati Vexillarij* 371. 14. *eorum præmia* 371. 32 *privilegia* 371. 35 *in agris collocati vxores ducebant* 377. 28
Vexillum sublatum signum pugnandi hostes 314. 15
Vigilum a militibus [illegible] 14
Vigiliæ nocturnas Romæ quo de committebant 287. 10
Vigilias bibendi, mos [illegible] 6
Vigiliæ quomodo obeuntur 288. 20

INDEX.

Vigilarum signa, Triariorum centuriones buccina dabant 289. 31
Vinea, machina bellica 329. 3
Virgis quando milites cædebantur 280. 18
Virilis toga sumebatur anno decimo septimo 9. 8
Virtus sola, gradus ad ordines militares 6. 2
Vittæ in supplicationibus quare addebantur ramis 417 27
Voluntarij, qui 74. 29
Vota nuncupata, quæ 248. 21
Votum, quod ante bellum susceptum, præeunte Pontifice Consul nuncupabat 20. 12
Vxores in exercitu Romanorum nullæ 84. 14

FINIS.





812.771